DIONISI⁹ HALIC.



DIONYSII HALICARNASSEI SCRIPTA QVÆ EXTANT OMNIA,

HISTORICA ET RHETORICA;

NVNC PRIMVM VNIVERSA LATINE EDITA: illa quidem olim per Gelenium; sed ita modò interpolata per Frideric. Sylburgium, vt penè noua versio dici queat:

Hæc verò à variis translata, vt altero illo Volumine videndum est.



HANOVIÆ,

Typis Wechelianis, apud Hæredes IOANNIS AVBRII.

ANNO M. DC. XV.

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO IO. RODOLPHO MVRBACENSI Lutrenſique Abbati, Sigiſmundus Gelenius Salutem.



N promiſſus Dionyſius, illuſtriſsime Princeps, venit ad tuam amplitudinem, pignus noſtræ gratitudinis; ſcriptor cui paucos in hoc genere conferas, præferas iure neminem. Fuit huic viro patria Halicarnaſſus, Aſiæ littoralis vrbs, ex aduerſo Rhodi ſita, quæ iam ante Herodotum illum ſuauiloquentem dederat. Ipſe eximius inter ſui ſeculi rhetoras, tantæq; exiſtima-

tionis criticus erat, vt omnes libenter ſequerentur eius de quocunq; ſiue antiquo ſiue recente ſcriptore ſententiam. Eam gloriam domi nactus, Romam nauigauit ad Orbis totius theatrum, quo tempore Cæſar Auguſtus nuper deuicto & ſublato Antonio, ſolus rebus Romanis præerat: commoratuſque inibi per annos viginti, & cum proceribus verſatus, adeptuſque linguæ Latinæ ſcientiam, quo hoſpitii gratiam referret, inſtituit vrbē nondum Græcis celebratam literis, apud Græcos ſuos illuſtriorem reddere, id in primis ſtudens, vt eam cōtra vulgi opinionem vindicaret à barbarie, quod tum propter ſermonem detortum à priſca origine, & Opicarum gentium conſuetudine mixtum ac viciatum, haberetur pro barbara: ſimul hoc agens, vt Græci æquiore animo cum aliis imperata facerent eorum quos ſcirent non alienos à ſuo ſanguine. Eadem

ratione

ratione ſuperioribus ſeculis adoptati fuerant Macedones; quo minus puderet ſeruitii, cum tamen eorum lingua, licet finitima, non intelligeretur à Græco homine, ſicut liquet, vel ex menſium nominibus. Inualuit certe hæc opinio, vt Latini homines Latinæque literæ non cenſerentur in barbaris; præſertim poſtquam diſciplinæ omnes his quoq; tractari cœptæ ſunt: & quemadmodum Oriens non ſolum multis in prouinciis populariter Græcam linguam recepit, verum iura ſacraq; ſua non aliâ complecti linguâ dignatus eſt, itidem Occidens eundem honorẽ Latinis literis habuit. Nec iis tantũ de cauſis hoc potiſſimum argumentum delegit DIONYSIVS: ſed cum ſciret hiſtoriam eſſe morum & actionum omnium tam priuatarum quam publicarum ceu exemplar, & vitæ ſpeculum, plurimumque referre vnde petantur exempla, ſumpſit ſibi ſcri-

bendas res Romani populi; prisci inquam illius in omni genere virtutum pace ac bello exerciti, necdum corrupti exoticis vel opibus vel vitiis: qui tulit primum Reges fortissimos ac sanctissimos, quamuis ipsos non natos ex Regibus: deinde regni in tyrannidē degenerantis impatiens, libertatem asseruit, tutatusq; est per incorruptissimos Iunios, Valerios, Lucretios, Horatios, Mucios, Menenios, Largios, Marcios, Quintios, Fabios, cæterosque his similes. Narrat enim primum exordia Romani generis, repetita ab antiquissimis Græciæ gentibus, Oenotris expulsoribus Siculorum ex Italia, Pelasgis, Arcadibus, Epeis, Troianis; quæ prima omnium Græcarum colonia trans Hellespontum in Asiam auspiciis Dardani deducta est. Deinde quomodo alterum Latii caput, Romanam vrbem, Marte prognatus Quirinus condidit, eiq; finiti-

mis

mis populis perdomitis securitatem peperit. Numa religionibus additis militares animos ad vitam mitiorem & iustiora traduxit studia. Tullus sublata de principatu controuersia, primò præposuit eam, mox tutiore consilio vniuit suæ metropoli. Ancus mare vsque protulit eius imperium. Priscus Tarquinius finitimarum gentium fecit principem. Seruius censu instituto effecit, vt vires suas nosceret. Sub vltimo Tarquinio accesserunt Sibyllina oracula, vnicum in rebus dubiis refugium: cuius Regis non ferenda superbia libertatis exciuit desiderium, eiusque asserendæ occasionem procerib. præbuit. Pulsis Tarquiniis per XIV. annos bellatum est cum tentantibus reditum, fretis Hetruscorum atque Latinorum auxilio: & hinc quoque crescendi ansa arrepta est viris fortibus. Extincta deinde cum vniuersa familia Superbo,

effloruit ciuitas sub consulibus: quorum potestas iam inde ab initio sic temperata fuit, vt nec decemuiri, quamuis legumlatores; nec numerosi tribuni militum, nec dictatores amplissima potestate moderate vsi ac leniter, æque profuerint aut placuerint. Constituta communi libertate, laboratum est nonnihil seditionibus: sed his confestim prudentium virorum autoritas remedium attulit. Videre licet obiter triplicem formam reipublicæ: primò regiam, relicto tamen penes populum belli pacisue ac legum sanciendarum & magistratuum creandorum arbitrio: mox administrationem rerum per optimates patritios, donec plebs quoque in partem curarum & honorum assumpta est, postquam per suos tribunos vicit vt admitteretur ad magistratus & sacerdotia. Licet imperii quoque videre fundamenta tantæ olim moli suffectura, legibus, religioni-

ligionibus, magistratibus, reique militaris ac rusticæ subnixa studiis. Sed nihil æque profuit ad proferenda vrbis & imperii pomœria, quam quod victis parcebatur; & aut inopes eo mittebantur in colonias, aut inde traducebantur in vrbem ascribendi tribulibus, & aucturi ciuium Romanorum numerum. vnde etiam linguæ mixtura, matureque secuta deprauatio, Sabinis, Hetruscis, Hernicis, Volscis, Æquisque ascitis: vt mirum sit potuisse præeminere in Romano sermone dialecton Pelasgicam. Fuit tamen initio principatus penes Romanos magis quam dominium, & à finitimis populis non sine contentione impetratum est, vt pro sociis haberentur verius quam pro subditis, cedebaturque virtutibus Romanorum potius quam viribus. Huius populi res memoriæ proditurus DIONYSIVS *duo præcipua quædam domo ad hoc ne-*

gotium attulit, singularem prudentiam, coniunctam cum pari eloquentia; atque ita susceptum onus sustinere facile potuit. Et quia primæ origines repetendæ erant, si non à Chao & Iano Iapetoque, certe ab antiquissimis seculis, quorum soli Poëtæ meminerunt: nec vbi seduceretur ab autoribus dubiæ fidei, sequitur concentum plurium, & verisimiliora peruestigat sagaciter, certis modo argumentis assentiens; vt sunt locorum nomina, fanaq; passim à priscis heroibus condita. Verum in his tradendis veniam & postulant & merentur, qui tractant tam remota ab ætatis suæ memoria. Quæ vrbem conditam sequuntur, hausit ex antiquissimis probatissimisque Romanorum scriptoribus, Fabio Pictore atq; Cincio Catoneq; & Valerio Antiate, ac cæteris, quos etiam Liuium sequi non piguit, ac ne hic quidem sine delectu acerrimoque

illo

illo suo iudicio: imo plerunque coarguit quorundam negligentiam, vel ex supputatione temporum, vel aliis bonis rationibus: cuius generis est censura de ætate Superbi Tarquinii, à Laurentio Valla vsurpata. Si quid illi produnt quod aut hyperbolen sapiat, aut alioqui parum quadret Romanis moribus, id silentio præterit: quale est ferinum illud, quod Liuius scribit de Scæuola manum torrente in foculo: quem noster Mucium Cordum nominat, longeque verisimilius atque etiam decentius denarrat hominis facinus. nam Scæuolæ cognomen aliis de causis in Muciam gentem recipi potuit: nec enim solo igni clades infertur artubus: & videtur alicuius studio cognomini gentilicio afficta honesta fabula. Ordinem temporum sequitur, quâ prælucet perpetua successio Regum atq; magistratuum.

Res præclare gestas sic narrat & laudat, vt accendat ad maiorum æmulationem posteros; quæ præcipua est lectionis vtilitas; & est hîc mira exemplorum varietas ac copia. Nec euentus tantum describit, sed & consilia; tum si quid inopinatum accidit. Nec tantum bellica facinora memorat, verum non minore cura pacis artes, quibus vel ordinum concordiæ, vel ciuitatis libertati ac tranquillitati consulitur: mutilam censens historiam vbi nihil præter prælia legitur & expugnationes vrbium. Quantumuis magnis rebus narrandis sufficit, nihil culpa sua deterens, omnia contexens aptißime, vbiq; sui similis, nusquam properabundus, sic temperans narrationem, vt nec supersit quidquam & nihil desideres amplius. Interdum exspatiatur digreßionibus, ne his quidem infrugiferis: aliàs delectat descriptionibus, rem ceu ob oculos ingerens.

Quæ omnia ſtilo proſequitur luculentiſsimo, non tam ad luxum ornato quam ad mundiciem, inaffectato, graui, dilucido, diuerſis virtutibus Herodotum ciuem ſuum, & Atticos Thucydidem Xenophontemque referens, coniungens quæ illis erant ſingula. Vbique Rhetorem agnoſcas, non rarò Philoſophum. Itaque impenſa in hoc opus iuſta opera, non rude commentarium nobis reliquit, ſed abſolutiſsimam hiſtoriam. Quo factum eſt, vt cum Theopompi, Ephori, Philiſti, Hecatæi, Anaxilai, Timæi, plurimorumque aliorum ſcripta interciderint; Polybii Diodorique maiori ex parte perierint, & in noſtris literis deſideretur integer Trogus Salluſtiiq; hiſtoria, minimum ſuperſit de Liuio, non multum de Tacito, dimidiatus exſtet Ammianus, (quos ſi haberemus, abſolutam teneremus Romanarum rerum memoriam ab vrbe condita

vsque ad Gratiani Augusti tempora, & labem imperii vastantibus transrenanis transdanubianisq; hostib. editam) huius monumenta ad nostram ætatem ob eximiam eorum vtilitatem seruata sint. & merito. Erat enim vir omni genere disciplinarum expolitißimus, dogmatum philosophicorum peritus, ita tamen vt in Platonem sit propensior; alienus ab adulatione & affectibus, licet mouendis illis mirus artifex; virtutum magnus amator, & inter has frugalitatis ac temperantiæ, comitum innocentiæ; reprehensor vitiorum sui seculi: de rebus diuinis, vt ea tempora ferebant; non male sentiens. nam de prouidentia per occasionem reuerenter ac pie loquitur, sic virtutem Romanorum prædicans, vt tamen eorum fortunam pendere fateatur à fauore numinis. aliquando retundit istorum impudentiam, qui negant superos curare

terre-

terreſtria. Et quia res populi Romani mandat literis, grauitate cum Romanis Hiſtoricis certat; ita in concionibus Liuianam præ ſe ferens vehementiam, & verba perſonis aptiſſima tribuens. Hiſtoriam ſuam pollicetur ſe producturum vſque ad initium primi belli Punici. ſed videtur morte immatura præuentus non abſoluiſſe quod inſtituerat. id quo magis ſuſpicer, faciunt quæ habentur ſub titulo libri vndecimi, Lutetiæ non edita, & proinde nec à nobis verſa, farrago quædam indigeſta, carens ordine, planeque vice commentarii parata, nec habens quicquam ſimile prioribus voluminibus: quam vel in hoc reliquimus ſuo loco immotam, vt authorem appareat operi cœpto immortuum. Eandem cauſam opinor, cur non reperiantur libri quos in fine primi Antiqui-

tatum promittit se scripturum de Romanorum republica. Præter præsens volumen supersunt eius rhetorici aliquot commentarii: vt, De compositione, seu orationis partium apta inter se collocatione, ad Rufum: Artis rhetoricæ capita quædam ad Echecratem. De Thucydidis idiomatibus ad Ammæum. Suidas meminit & libri De antiquorum Oratorum characteribus. Hactenus de DIONYSIO. non enim scribimus, ac ne possumus quidem pro dignitate, eius encomium. Has antiquitates ante annos quinquaginta (opinor) vertit Lapus nescio quis: sed sic, vt ex dilucidis, & aliorum quoque libris lucem inferentibus, fecerit obscurissimas; quod ipse in oculis afferret caliginem, quemadmodum ille Senecæ cauillo notatus, spinas circumferebat in pedibus. Infelici interpreti nihilo felicior typographus contigit, dignum (vt aiunt) patella

patella operculum. tanta erat eius seculi & superiorum barbaries. Itaque non magno fructu legebatur, sed non sine magno tædio. Proxima editione HENRICVS *Glareanus Poëta, nunc in Friburgensi Academia liberalium disciplinarũ Professor publicus, homo cum aliàs polyhistor, tum in mathematicis absolutißimus, & quæ peculiaris ipsius laus est, informanda iuuentute indefessus, idque prospero successu auditorii) conatus opem ferre scriptori miseris modis tractato, expertus est malum esse immedicabile, absque subsidio Græci codicis, nisi quod quædam ex aliorum librorum collatione coniectando assecutus est. nam ea phrasis est Lapi interpretis, vt sæpe dubites Græcus an Latinus loquatur, certo tamen scias te non intelligere, præsertim si idiomatis Græci sis rudis. Itaque miserebat me tanti viri, digni qui melius*

cognosceretur à Romanis, quorum virtutes tantopere celebrat. Tandem ex insperato porrectum est remedium. nam cum Christianissimo Francorum Regi Francisco sua Minerua (hoc est, eruditi viri, quos amplectebatur & fouebat excitans eorum ingenia) in mentem misisset vt regiam officinam typographicam institueret conuenientem dignitati tanti nominis, inter multos præclaros scriptores prodiit & Dionysius. ô animum planè regium, gnarum quibus vita iuuetur artibus: quem vtinam libeat æmulari cæteris Christianis Principibus! & spes est ita fore, quando non defuit qui recens etiam tum exemplum imitaretur, serenissimus Lusitaniæ & Gymnææ Rex IOANNES eius nominis tertius: & non contentus in Regno suo nouam Conimbricæ fundasse Academiam, addidit ei Typographos regios. Hic verò non dissi-

dißimulandus est mihi tuus quoque illustrißime Princeps, animus, dum per occasionem libenter soles Typographos iuuare exemplaribus simul ac pecuniis, non mediocri sane tua laude, reique literariæ commodo. Sed, vt cœpi dicere, oblata Græci codicis copia, paruo molimine sum impulsus vt totum opus melioribus auibus verterem. Authores porro eius audaciæ fuerunt mihi compatres mei carißimi, Hieronymus Frobenius & Nicolaus Episcopius, honestæ memoriæ Ioannis Frobenii laudatißimi viri alter gener, alter filius, qui hæreditarias curas ad iuuandam rem literariam conferunt communi consilio, incredibiliq; industria. Quid enim vnquam ex eorum Officina exiuit non melius & expolitius? quot eximii scriptores in omni disciplinarum genere his

triginta annis inde emißi sunt, partim restituti nitori pristino; partim è latebris, in quibus tot seculis velut sepulti iacuerant, eruti? quorum vel nudam nomenclaturam non caperet vna pagina: ne quid dicam de fœtura huius eruditi seculi. Quid quod prima omnium in Germania cæteras ad æmulationem accendit? ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Satis enim apparet non alio telo profligatam barbariem. Hæ laudes vt veræ, ita confessæ sunt omnibus studiosis bonarum literarum & artium, candidè beneficium agnoscentibus, vnde fit vt doctißimus quisque haud grauatim iis viris commodet suam operam, quemadmodum nuper ille ætatis suæ phœnix ERASMVS *Roterodamus, Beatus Rhenanus, Simon Grynæus, Hieronymus Gemusæus: vt taceam de superstitibus, non solum in hac vrbe, sed & in longinquis terris degentibus,*

bus, qui vicißim illustrant hanc officinam & illustrantur ab ea. Me quoq; multis iam annis vsi tenent grata compede vinctum & benignis officiis, vt æquo animo feram patriæ desiderium. Si quid igitur interim de litteris sum meritus, vt quidam meritum putant, & hoc illorum est beneficium: in quorum gratiam ausus sum postremis his annis in Iosepho atque Dionysio ignotas tentare vias: quam consulte, viderint οἱ εὐγνώμονες. De fide non sum sollicitus, ne eam cuiuis vtriusque linguæ perito non approbem. Elegantias viri eloquentißimi magistrique eloquentiæ quî poteram exprimere? Cæterum quod ad perspicuitatem attinet, dedi operam, vt hac quoque parte proxime archetypum accederem. Prodit igitur Dionysius tui nominis illustrißime Princeps IO. RODOLPHE *auspiciis iam commendatior; qui ex nobi-*

lißima familia natus, habente in stemmate non te vnum principem ornamentum & ipsi, & huic quod geris muneri, es egregium, locumque obtines inter non postremos Germaniæ Principes. nec mirum, cum ad hanc dignitatem attuleris virtutes quantumuis eximiis dignas honoribus, pietatem, integritatem, sinceritatem, prudentiam, grauitatem, eruditionem; magnificentiam verò ac benignitatem eo magis nunc colas, quo celsiore fortuna emines. quæ omnia in te sunt non vulgaria, sed religioso digna Principe: mihi sane cognita partim ex vno colloquio, partim ex eruditißimis simul ac humanißimis tuis epistolis. cæteras dotes norunt ac venerantur familiares T. A. & inter hos insigni literatura præditi D. Matthias Vlianus A. T. Cancellarius, & Christophorus Stilzius, quique tuæ valetudinis tuendæ curam commis-

ſam habet Ioannes Huberus. Hæc igitur tot ornamenta diuinitus in vnum heroem congeſta, merito adhibenda erant mangonizandæ (vt ita dicam) editioni nouæ, etiamſi non eſſem A. T. deuinctiſsimus: nunc non poteram effugere notam ingratitudinis, niſi vtcunque teſtatam relinquerem tuam vltroneam erga me beneficentiam dedicato hoc partu mediocris noſtri ingenii. Et alioqui, me mirifice delectat hæc animi tui erga doctos viros propenſio, quamuis in eum chorum me non ingeram: non poteſt tamen iſta A. T. de me opinio non addere mihi magnum calcar ad alacrius decurrendum in hoc ſtadio, vt ei ſaltem aliqua ex parte reſpondeam. Quapropter cum ea quæ quotidiano ſplendori & benignitati ſuperſunt, libenter impendas

tuæ ditioni ornandæ non vnis mangnificis ædificiis, eaque ipsa exornes vna atque altera bibliotheca locupletissima, qui præcipuus hominum religioni deditorum thesaurus est, dignare oro etiam has nostras vigilias aliquo inter cæteros bonos authores, quorum lectione præsertim Theologorum & Historicorum oblectaris, loco ponere, & mihi, quem semel in tuorum numerum recepisti, fauere perge Domine reuerendissime. Opto vt te diu nobis & Reipubl. incolumem seruet Seruator ille Opt. Max. Basileæ sub Calend. Ianuarias anni à natiuitate Iesu Christi M. D. XLIX.

EX SVIDA DE DIONYSIO.

Διονύσιος Ἀλεξάνδρου Ἁλικαρνασεὺς, ῥήτωρ, καὶ παντοῖος λόγιος· γεγονὼς ἐπὶ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, πρόγονος τοῦ ἐπὶ Ἀδριανοῦ γεγονότος Ἀττικιστοῦ. *Id est:* Dionysius Alexandri filius Halicarnasensis, rhetor & in omni litterarum genere præclare versatus: fuit sub Cæsare Augusto; progenitor (*seu auus*) eius qui sub Adriano floruit Atticistæ.

De hoc Atticista superioris nepote, hæc tradit idem Suidas. Διονύσιος (inquit) Ἁλικαρνασεὺς, γεγονὼς ἐπὶ Ἀδριανοῦ Καίσαρος, σοφιστὴς καὶ μουσικὸς κληθεὶς, διὰ τὸ πλεῖστον ἀσκηθῆναι τὰ τῆς μουσικῆς. ἔγραψε δὲ ῥυθμικῶν ὑπομνημάτων βιβλία κδ', μουσικῆς ἱστορίας βιβλία λς'· ἐν δὲ τούτοις,

αὐλητῶν καὶ κιθαρῳδῶν καὶ ποιητικῶν παντοίων μέμνηται· μουσικῆς παιδείας, ἢ διατριβῶν, βιβλία κβ. τίνα μουσικῶς εἴρηται ἐν τῇ Πλάτωνος πολιτείᾳ, βιβλία ἔτι. *Id est*: Dionyſius Halicarnaſenſis, qui ſub Adriano Cæſare floruit, ſophiſta fuit, & Muſicus cognomento dictus eſt, quia in rebus muſicis ſe plurimum exercuit. Scripſit autem Rythmicorum commentariorum libros XXIIII: Muſicæ hiſtoriæ libros XXXVI: in quibus tibicinum, citharœdorum, & omnis generis poëticorum (*vel artificum*) meminit: Muſicæ diſciplinæ, ſeu Muſicarum diſquiſitionum, libros XXII. Prętereá libris aliquot expoſuit quęnam in Platonis Republica muſice dicta ſint. *Hæc de vtroque Dionyſio Suidas. Sed poſtrema* vox ἔτι neſcio quam vitii ſuſpicionem de ſe præbet, ac pro numerali nota videtur

eſſe

esse supposita, pro ϛ scilicet, id est vi; vel alia consimili. nam pro 53ιο. accipere non videtur consentaneum.

EX EVNAPII PORPHYRIO.

Λογγῖνος δὲ κατὰ τὸν χρόνον ἐκεῖνον βιβλιοθήκη τις ἦν ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον· καὶ κρίνειν γε τοὺς παλαιοὺς ἐπετέτακτο, καθάπερ πρὸ ἐκείνου πολλοί τινες ἕτεροι, καὶ ὁ ἐκ Καρίας Διονύσιος πάντων ἀριδηλότερος. Id est, vt vertit Adrianus Iunius: *Ea tempestate erat Longinus spirans quædam bibliotheca ac viuum Musæum: cui de veteribus iudicandi potestas permissa* (seu iniuncta) *erat: quo munere ante illum, vt alii non pauci, ita & Dionysius è Caria, cunctis illustrior, perfunctus*

fuerat. Vbi etsi Iunius videtur intelligere Dionys. Longinũ, cuius περὶ ὕψους *exstat liber, facile tamen assentior clarissimo viro Antonio Corrano, qui Halicarnassensem Dionysium, non Longinum, hîc intelligere mauult. Fuisse autem Halicarnasum Cariæ vrbem, non modo geographi & historici tradũt, sed testatur ipsa etiã vrbis etymologia: quippe quæ sic dicta putetur* παρὰ τὸ πρὸς ἁλὶ τοὺς Κᾶρας αὐτὸν νάσσαθαι, *quod Cares eam ad mare condidere. quamquam apud Stephanum Byzantium alia nominis affertur ratio,* ἀπὸ τοῦ ἁλίᾳ περιέχεσθαι τὴν Καρίαν, *quod mari* (seu marinis aquis) *cingatur Caria.*

PRIO-

PRIORE DIONYSII TOMO CONTINENTVR:

ANtiquitatum Romanarum libri XI. & XX. quos vſque ad primum bellum Punicũ pertexuit, ſoli ſuperſtites. Eam hiſtoriam in duas partes ſecuit. Priori exponit τὸ Ῥωμαίων γένος, (453) Romanæ gentis originem, à Græcis, non à barbaris populis; Oenotris ſcilicet; (qui poſt Aborigines dicti ſunt) Pelaſgis; Palantinis Arcadibus, Euandri ductum ſecutis, Herculis ſociis; ac demum Troianis cum Ænea in Italiam profectis. Altera hiſtorię parte tractat περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας, (74.) De Republica Romana. Eam primo tradit fuiſſe μοναρχικὴν, ſub VII. Regibus, per annos ab vrbe condita CCXLIV. Deinde cum vltimus Rex Tarquinius ſuperbia & licentia nimia regnum vertiſſet in tyrannidem, regium imperiũ in ἀριστο-

κρατίαν fuiſſe tranſmutatū, certiſq; legib. & certo tēporis ſpatio limitatū, ac pro regib. ad Reip. adminiſtrationem aſſumptos eſſe cōſules annuos, regia poteſtate præditos : & horum ductu primum Tarquinii diuturnas ac varias machinationes plane fractas eſſe; deinde è finitimis gentibus Latinos & Hernicos prorſus deuictos, & tandem in ſocietatis fidem receptos; Auruncos in totū profligatos; Sabinos verò, Volſcos, Æquos, Etruſcos, etſi non plane ſubiugatos, ita tamen poſt multiplices conatus identidē retuſos, vt populi Romani vires illis oppugnandis magis ac magis creuerint. Tum per quietem ab externis bellis, partim optimatiū quorundam inſolentia, partim vulgi malitia exortis domi turbis, iiſq; nec raris nec leuibus; ſemper eas fraternis animis fuiſſe cōpoſitas: ac poſt conceſ-

concessos plebi è suo corpore magistratus annuos, cum tribunorũ ædiliumq; collegiũ perpetuo id agerẽt, vt & plebis potentiam augerent, & patritiorum vires eneruarent; patres nunc lenitate nunc seueritate vsos, ita plebeiis nonnunquam cessisse, vt interim pristinã sui ordinis auctoritatẽ asseruerint; ac si vel externa vel domestica seuerius imperiũ requirerent, dictatorẽ cum absoluta rerũ gerendarum potestate ad semestre dixisse. Cumq; plebeii tãdem etiam iuris & honorũ æqualitatẽ affectarent, anno vrbis CCCII. pro cõsulib. creatos esse Xuiros, & leges ab illis tum de publico ac priuato iure, tum etiam de iure sacrorum conscriptas. qui cum posteriorib. duob. annis licentius dominarentur, iterum è patritiis creatos esse consules. Tandem cum etiam consulatum plebeii

appetissent, Patres suspensa consulari potestate, ad tribunatus militaris consortium eos admisisse, anno vrbis CCCXI. quem magistratũ cum signa diuinitus edita improbarent, eo ipso anno rursum consules ex ordine patritio ad rerum gubernacula fuisse adhibitos. Hæc XI. librorũ qui supersunt, summa est, CCC. & XII. annorũ historiã complectens. cęteri IX. qui ad primũ bellum Punicum, seu ad annum vrbis CCCCLXXXVIII. sunt deducti, temporum & hominum iniuriâ perierunt.

Addita & in fine sunt fragmenta legationum quarũdam à Romanis apud Neapolitanos, Samnites, Tarentinos & Pyrrhum obitarũ; è posteriorib. Dionysii libris excerpta; à Friderico Sylburgio latinâ ciuitate donata.

DIONY-

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATVM

siue originum Romanarum Liber primus.

Sigismundo Gelenio vertente, corrigente verò Friderico Sylburgio.

RATIONES quas in prooemiis historiarum moris est reddere, de me afferre in hac præfatione necesse habeo: quod alioqui minime vellem. Sed neq; multus in propriis laudibus sum futurus, quas audientibus graues molestasque videri scio: neque alios scriptores traducere statui, sicut Anaxilaus & Theopompus fecerunt in historiarum suarum prooemiis: sed indicabo quo consilio ad hæc tractanda accesserim, & qua occasione assecutus sim cognitionem eorum quæ decreui hoc scripto prodere. Equidem persuasum habeo, eos quibus propositum est ingenii sui monumenta post obitum superfutura posteritati relinquere, præsertim historias, in quibus veritatem ac prudentiæ sapientiæque principia recondita omnes credimus: debere primo argumentum eligere pulchrum ac magnificum, quodque multas lectoribus vtilitates afferat: deinde curare vt ad id quam diligentissime tractandum sint instructi. Qui enim de obscuris rebus, malisve, aut indignis in I.

quibus opera collocetur, texunt historiam, siue innotescendi cupidine & qualiscunque nominis, siue ostentandæ eloquentiæ gratia; nec posteris noscuntur feliciter, nec laudem assequuntur eloquentiæ; dum quisque qualia eorum esse scripta videt, talem eos vitam sectatos fuisse existimat. Merito enim omnes putant orationem suam cuiusque animi esse imaginem. At illi qui eximia quidem argumenta sibi deligunt, sed temere ac negligenter ea tractant quibusvis rumoribus creduli, nullam inde laudem referunt. Indignum enim fuerit de claris ciuitatibus & viris ampla potentia præditis ex tempore ac negligenter commentarios scribere. Hæc ego ratus maxime consideranda scriptoribus, quippe qui hac cura non tangar leuiter, nec prætterire silentio volui, nec alio loco aptius quadrare duxi quam procemio.

II. Ceterum argumentum me delegisse elegans & magnificum, multisque vtile, facile opinor persuadebitur, his potissimum qui non omnino imperiti sunt communis historiæ. Si quis enim mentem adhibeat ad prisca tam ciuitatum quam gentium imperia maiorum monumentis prodita, ac singulatim quodque consideret, & inter se collata diligenter examinet quodnam eorum sibi dominium amplissimum parauerit, & res bello ac pace clarissimas gesserit, videbit Romanum imperium longo interuallo post se reliquisse cetera quorum hactenus extat memoria, non solum si spectes amplitudinem dominii pulchritudinemque rerum gestarum, quas nemo hactenus pro dignitate suis scriptis exornauit; verumetiam quod ad diuturnitatem eius attinet, extensam vsque ad nostrum hoc seculum. Nam antiquum illud Assyriorum imperium retro ad fabulosa vsque pertingens tempora, modicam quandam Asiæ partem obtinuit. Deinde in Medos translatum, & auctum etiam opibus non longo durauit tempore, sed in quarta ætate desiit. Persæ porro Medis deuictis, Asia quidem pene tota tandem potiti sunt: ceterum Europæas etiam gentes bello tentare ausi, non multum profecerunt, nec multum vltra ducentos annos permanserunt in rerum fastigio. At Macedonum potentia post oppressas opes Persicas, imperii quidem amplitudine superauit omnes quotquot ante fuerant: tempore vero nec ipsa longo floruit, sed mox ab Alexan-

dri

dri obitu cœpit fieri deterior. distracta enim in multos principes statim ab eius successoribus, & post illos ad alteram tertiamve ætatem progressa per se ipsa facta est debilis, ac postremo Romanis armis sublata est e medio. nec ipsa tamen totam terram ac mare coegit imperata facere. nam nec Africam late patentem subegit, nisi qua Ægypto est contigua; nec Europam totam perdomuit: sed ad septemtriones in ea non processit vltra terram Thraciam; ad occidentem finita est mari Adriatico.

Illustrissima igitur superiorum temporum imperia, quæ ex historiis accepimus, tantis opibus viguerunt, & tanto temporis spatio interierunt. nam Græcorum imperia his nequaquam conferenda sunt, nec dicionis magnitudine, nec diuturnitate temporis. Athenienses enim maritimum tantum tractum tenuerunt annis duodeseptuaginta; ac ne hunc quidem totum, sed eum duntaxat qui intra Euxinum pontum & Pamphylium pelagus continetur; idque cum maxime pollerent rebus naualibus. Lacedæmonii vero Peloponnesum ac reliquam Græciam tenentes, vsque Macedoniam extenderunt imperium: in quo vix triginta annis exactis, a Thebanis victi, eo priuati sunt. At Romanorum ciuitas imperat per cunctas terræ plagas, quæ quidem inaccessæ non sunt, sed habitantur ab hominibus: toto etiam mari dominatur, non solum intra columnas Herculis, verum etiam Oceano quacunque est nauigabilis: primaque & sola in omni hominum memoria ortum & occasum terminos imperii sui posuit. Tempus quoque eius potentiæ non breue, sed diuturnius quam vlli vel regno vel reipublicæ obtigit. Statim enim ex quo primum est condita, propinquas gentes multas & bellicosas sibi adiunxit, atque in subiugandis aduersariis omnibus in dies progressus fecit. Quod tempus iam annorum est septingentorum quadragintaquinque, vsque ad Claudium Neronem iterum, & Calpurnium Pisonem, consules, qui magistratum hunc iniuerunt Olympiade centesima nonagesima tertia. Ex quo autem totius Italiæ potita dominio, ausa est orbis imperium sibi sumere, exturbatis e mari Carthaginensibus, quorum nauales opes fuerant maximæ; subiugataque Macedonia, quæ ad id temporis III.

terrestribus copiis plurimum pollere videbatur, nulla amplius non barbara gente, non Græca contendente de principatu, septimam iam ætatem me hæc prodente dominium omnibus in terris constanter obtinet: nec est vlla gens (vt *breuiter* dicam) quæ non agnoscat vniuersorum dominam, aut detrectet eius imperium. Sed enim quod neque friuolum argumentum delegi, vt dictum est, neque viles & obscuras res tractandas suscepi verum de ciuitate scribo illustrissima, rebusque gestis quibus splendidiores nemo possit ostendere, opinor me satis approbasse omnibus.

IIII. Quod vero non incogitanter nec improuide ad priscas res eius narrandas aduerterim animum, sed bonis ad id adductus sim rationibus, libet paucis præfari, ne, qui ad omnium reprehensionem sunt procliues, antequam eorum quæ sum expositurus, quidquam audiuerint, me taxent, quod, quum vrbs hæc nostro solum tempore celebre nomen adepta sit, & ab obscuris, humilibus, & historica scriptione indignis cuncta primordiis, ante paucas ætates ad illustre gloriæ fastigium peruenerit, ex quo scilicet confectis bellis Punicis, Macedonicum imperium conuulsit; dum præclarum aliquod rerum ab ea gestarum argumentum mihi sumere liceret, ad antiquitates & origines eius pertractandas, in quibus nihil est splendoris, magis inclinarim. adhuc enim ignota est Græcis pene omnibus vetus illa Romanorum historia: & opiniones quædam minime veræ, sed ex temerariis rumoribus natæ, eorum plerosque decipiunt: errones quosdam sine lare barbaros, ac ne liberos quidem, eius vrbis conditores fuisse: hos procedente tempore non pietate & iustitia ceterisque virtutibus prouectos ad tantum imperium; sed iniusta quadam fortunæ temeritate, quæ maxima bona in immeritos sine ratione effundat. nec desunt homines parum candidi, qui palam incusare fortunam solent, quod in barbarorum deterrimos bona Græcorum transtulerit. Et quid hic alios memorem? quando etiam scriptores nonnulli in gratiam barbarorum regum, ausi sunt hæc historiis prodere; quibus studium fuit illos imperii osores demereri adulatoriis obsequiis, nulla æquitatis & veritatis ratione habita.

Hac

Has ergo falsas sicut dixi opiniones animis ciuium meorum vt eximam, pro eisque veras reponam, de conditoribus vrbis quinam fuerint, & quo singuli tempore conuenerint, & quibus casibus acti antiquas patrias reliquerint, his narrabo commentariis: in quibus polliceor me declaraturum Græcam eius gentis originem, eamque ex non pudendis nec aspernandis sui generis auctoribus deductam. Post hæc narrabo res eius mox ab vrbe condita gestas, quibusque studiis partum sit ab eorum posteris tantum imperium; nec, quantum potero, quidquam memorabile omittam: vt *nostri homines* tandem veritate cognita dignam tali ciuitate existimationem concipiant: nisi forte in eam iniquo penitus & efferato sunt animo. nec moleste ferant iusto se imperio subditos; omnibus enim hæc naturæ lex est communis, quam nullum abolebit tempus, vt potiores imperent inferioribus. desinantque incusare fortunam, quasi parum idoneæ ciuitati tantum tamque diuturnum gratis donarit imperium; edocti ex nostra historia, quam innumeras virorum virtutes tulerit mox ex quo est condita: quibus nec pietate, nec iustitia, nec perpetua per omnem vitam temperantia, ac ne bellica quidem fortitudine præstantiores vlla vnquam ciuitas tulit, non Græca, non barbara: absit modo verbis inuidia. solet enim hæc comitari pollicitationes rerum mirandarum & fidem pene superantium. qui simul omnes, post auctam a se in tantam amplitudinem rempublicam, ignorantur à Græcis hominibus: eo quod nullum sortiti sint se dignum historicum. nullum enim accuratum scriptum apud Græcos hactenus extat in hoc genere, exceptis summariis compendiis perquam breuibus. Et primus (quod equidem sciam) scriptorum Hieronymus Cardianus antiquitates Romanas cursim attigit in opere *De successione Heroicorum principum*: dein Timæus Siculus, res priscas complexus vniuersali historia, Pyrrhi Epirotæ bellis priuatim dicato volumine: cumque his Antigonus, Polybius, Silenus, & innumeri alii res easdem non eodem modo aggressi; quorum vnusquisque parum aliquid, ac ne id quidem debita cura & diligentia, sed vt ex fortuitis rumoribus collegerat, scripto prodidit. Nec absimiles historias ediderunt quot-

V.

VI.

quot Romani homines vrbis suæ res antiquas Græco sermone scripserunt; quorum vetustissimi, Quintus Fabius, Lucius Cincius, ambo æquales bellis Punicis horum vterque ea quibus ipse interfuit, vt probe sibi cognita, diligenter mandauit literis: quæ vero olim post vrbem conditam deinceps consecuta sunt, contentus fuit summatim percurrere. Has sane ob caussas visum est mihi non præterire silentio pulcherrimam historiam superioribus intactam, facturo non simplex operæpretium: quando & viris fortibus fato suo defunctis sempiterna continget gloria, lausque apud posteros; (quod proxime ad immortalitatem accedit, superstite rerum gestarum memoria) & diuinorum illorum hominum præsens ac futura progenies præponet generosam & honoratam vitam iucundæ & facili, dum reputat honestissimam occasionem sibi oblatam a maioribus, erectoque animo dat operam ne vllo pacto ab illis degeneret. Ipse quoque, qui non adulationis caussa ad hoc opus versus sum, sed veritatis & æquitatis studio, quod præcipuum debet esse historiæ propositum: primum declarabo meam mentem, quam sim propensus ad gratificandum bonis omnibus & magnarum rerum cognoscendarum cupidis: deinde pro mea virili gratias ciuitati referam, memor institutionis seu disciplinæ, ceterorumque beneficiorum quibus in ea degenti mihi frui contigit.

VII. Nunc reddita ratione cur hoc opus sim aggressus, dicendum quo fretus id fecerim. Fortasse enim qui prius legerunt Hieronymum, aut Timæum, aut Polybium, aut vnum aliquem è ceteris scriptoribus, quos paulo ante historiæ nonnulla subtraxisse memoraui; dum multa quæ à me scribuntur, apud illos non inuenient; me hæc ex tempore fingere suspicabuntur, & volent cognoscere vnde rerum earum cognitionem nactus sim. Ne igitur talem opinionem de me quisquam habeat, satius est indicare quibus libris & commentariis sim adiutus. Ego appulsus in Italiam post finem bellis ciuilibus iamiam impositum ab Augusto Cæsare, circa mediam Olympiadem centesimam octuagesimam septimam, ex illo tempore in hanc diem exactis Romæ annis vigintiduobus, assecutus Romanum sermonem eiusque regionis literas, toto eo

tempore

tempore paraui mihi quæ putarem ad hoc opus accommoda: partim ex doctissimorum hominum colloquiis, partim ex laudatorum ab his virorum commentariis, quos superiora tulerunt secula; quod genus sunt, Porcius Cato, Fabius Maximus, Valerius Antiâs, Licinius Macer, Ælique & Gellii ac Calpurnii, aliique multi scriptores non ignobiles; quorum annales Græcanicis chronographiis persimiles, materiam mihi præbuerunt vberrimam. Et de meipso quidem hactenus: reliquum est vt & de argumento præmoneam, quæ tempora & quas res narraturus sim, & quæ forma sit futura huius operis.

Ab antiquissimis fabulis ordiar historiam; quas ante me nemo attigit: quippe quæ difficulter, nec nisi magno negotio inueniri potuerint. deducam autem narrationem vsque ad initia primi belli Punici, quod incidit in annum tertium vigesimæ octauæ supra centesimam Olympiadis. dicam vero tum externa bella, quibus se populus Romanus per illa tempora exercuit; tum exortas aliquoties seditiones domesticas, quibus de caussis ortæ sint, & quonam pacto compositæ. reipublicæ quoque species omnes edisseram quibus vsa est ea ciuitas, primo sub regibus, deinde post reges exactos; quænam rerum vtrobique administratio fuerit: mores etiam eius optimos & leges præcipuas narrabo, & in summa totam viuendi rationem veterem. Formam autem addam operi, nec talem qualis placuit bellorum scriptoribus, nec qualem secuti sunt qui descripserunt ipsas tantum respublicas, nec Chronicis siue Annalibus similem, quales ediderunt qui Atticos scripserunt commentarios, sunt enim illa vniusmodi, & cito audientes offendunt, sed erit quiddam ex quauis specie, tum ea quæ in agendo, tum ea quæ in contemplando versatur, mixtum: vt satisfiat & ciuiles res tractantibus, & oblectantibus se speculatione philosophica, & his quibus extra rerum turbas vacare libet cognitioni historicæ. Atque hoc quidem historiæ erit argumentum, & talis species operis: auctor vero eius sum Dionysius Alexandri Filius Halicarnassensis, & hinc iam ordiar. VIII.

IX. *Romæ habitatores prisci. Siculi. Aborigines.*

Vrbem terræ marisque totius principem, quam nunc Romani habitant, primi in omni memoria tenuisse dicuntur barbari Siculi, gens indigena: superiore vero tempore, aliosne colonos habuerit, an inculta fuerit, nemo potest certo dicere. Aliquanto post, pulsis longo bello antiquis dominis, Aborigines eam occupant: qui primum in montibus passim sine mœnibus vicatim habitauerunt. sed postquam Pelasgi & ceterorum Græcorum nonnulli, ipsis admissi, opem in debellandis finitimis tulerunt, exacta inde Sicula gente, oppida crebra muniuerunt, subegeruntque sibi totum id terrarum spatium, quod amnes duo Liris & Tiberis terminant: qui orti ex imis Apenninis montibus, Italiam quam longa est secantibus mediam, erumpunt in Tyrrhenum pelagus, octingentorum ferme stadiorum inter vtriusque ostia intersticio. horum Tiberis versus septemtriones prope Ostiam vrbem se exonerat: a meridiano tractu Liris Minturnam alluit, ambas Romanorum colonias. Eas sedes deinde perpetuo tenuit idem genus hominum, mutatis tantum appellationibus, vetus Aboriginum nomen seruantes vsque Troiani belli tempora, quando a Latino rege denominati sunt. Post id bellum sextadecima ætate, cum Romulus sibi cognominem vrbem condidisset, sumpto quod hodieque retinent nomine, gens temporis processu ex minima euasit in maximam, & in illustrissimam ex obscurissima, dum larium egenos ad se humaniter recipit, & ciuitatem impartit deuictis bello viris fortibus, & libertis suis dat ius ciuium, nullius conditionis homines aspernata, quorum modo opera vti posset respublica: nulla re tamen magis adiuta quam institutis pulcherrimis. dum varias temporum difficultates experta, ex illis omnibus excerpit aliquid vtile.

X. Ceterum Aborigines auctores Romani generis, Italiæ indigenas alii, gentemque per se fuisse prædicant. Italiam voco oram illam omnem, quantam Ionius & Tyrrhenus sinus, tertiæque ab *continente* terra cõplectuntur Alpes. Nomen eis inde a unt impositum, quod posteris suis originis *ab se* fuerint auctores: quasi nos *Græci* γενάρχας siue πρωτογόνους diceremus. Alii malunt errones quosdam incertis vagantes sedibus, & è multis regionibus

nibus conuenas, forte fortuna in eis locis iunxisse inter se copias: munitisque sibi firmis sedibus, vitam transegisse latrocinio ac re pecuaria. hi torquent vocabulum ad conditionem eorum hominum, quasi ab erroribus vocantes Aberrigines. videtur ergo iuxta horum opinionem Aboriginum gens nihil differre ab iis qui a veteribus dicebantur Leleges. nam extorribus & conuenis, nec vllam terram veluti patriam constanter incolentibus, hanc plerumque appellationem indebant. Alii rursum Ligurum colonos eos fuisse fabulantur, Vmbris confinium. Ligures enim & Italiæ quasdam partes habitāt, & Galliæ; incertum ab vtra profecti patria. nam hactenus incomperta origo eius gentis est. Sed scriptorum Romanorum doctissimi, & in his XI. Porcius Cato, qui diligentissime scripsit de originibus Italicarum vrbium, Caiusque Sēpronius & aliquot alii, Græcos eos esse affirmant, profectos ex Achaia, multis ante bellum Troianum ætatibus. nec tamen diserte tradunt ex qua natione Græca, quaue vrbe migrauerint: ac ne tempus quidem, aut ducem coloniæ, aut quo casu patrias sedes reliquerint; fabulamque secuti Græcanicam, nullius Græci auctoris eam confirmant testimonio. Itaque rei veritas quomodo se habeat incertum est. Quod si istorum sana est narratio, non possunt esse coloni alterius generis quam Arcadici. Nam hi primi Græcorum, traiecto sinu Ionio, domicilium in Italia statuerunt, deducti ab OEnotro Lycaonis filio. is quintus fuit ab Æzeo & Phoroneo, primis Pelopōnesi principibus. nam è Phoroneo genita est Niobe; ex qua & Ioue fertur natus Pelasgus. Æzei vero Lycaon fuit filius; & huius filia Deïanira. Ex Deïanira & Pelasgo prognatus est alter Lycaon; cuius OEnotrus fuit filius, septemdecim ætatibus prius quam apud Troiam bellatum est. Et tēpus quidem hoc est missæ à Græcis in Italiam coloniæ: migrauit autem OEnotrus è Græcia, non contentus portione *sui patrimonii*. Cum enim essent Lycaoni viginti duo filii, opus erat in totidem sortes diuidi Arcadiam. Hanc ob caussam OEnotrus relicta Peloponneso, classeque parata, traiecit mare Ionium, vnaque Peucetius vnus è fratrum numero, comitante eos bona parte popularium. aiunt enim hanc gentem olim fuisse frequentissimam. adiunxerunt se his & alii Græci, quibus non suf-

ficiebat ager proprius. Itaque Peucetius, quo primum appulerunt in Italiam, super Iapygiæ promontorium suis expositis, sedem ibi fixit; & ab eo horum locorum incolæ appellati sunt Peucetii. OEnotrus vero cum maiore parte exercitus in alterum sinum peruenit, qui alluit occidentale latus Italiæ. is tunc propter accolentes Ausonas dicebatur Ausonius: deinde Tyrrhenis maris imperio potitis mutauit nomen, quod nunc obtinet. Hic nactus multos agros pascuis, multos arationi aptissimos, sed incultos plerosque, ac ne eos quidem qui colerentur frequentatos hominibus, cum repurgasset eos ex parte quadam à barbaris, condidit oppida parua & contigua in montibus, vt tum erat mos veterum. Id totum quantum agri obtinuit, (fuit autem illud non exiguum) OEnotria vocata est, OEnotrique dicionis eius homines; hoc iam tertio dicti nomine. Æzeo enim regnante, Æzei vocati sunt: & sub successore eius Lycaone rursum ab illo denominati Lycaones: transportati deinde per OEnotrum in Italiam, OEnotri aliquadiu nominati sunt: idque mihi testatur Sophocles tragicus in Triptolemo. Inducitur ibi Ceres docens Triptolemum, quantum terrarum necesse habeat peragrare seminandis à se datis frugibus. nam post mentionem orientalis Italiæ, quæ ab Iapygiæ promontorio ad Siculum fretum tenditur, aduersæque huic Siciliæ, sermonem deflectit ad occidentalem Italiam; & potissimas eius oræ gentes enumerans, ab OEnotris incipit: vnde satis erit excerpsisse hos iambicos:

XII. *OEnotri Arcades.*

A tergo ad dextram obeunda tota OEnotria;
Sinusque Tyrrhenus, solum & Ligusticum.

Antiochus autem Syracusanus, perantiquus scriptor, in Italiæ colonis, vetustissimos eius incolas percensens, & quæ loca singulis occupata sint, ait OEnotros primos omnium quorum exstat memoria, terram eam habitasse. verba ipsius sunt hæc: Antiochus Xenophanis, è vetustis monumentis hæc *quæ* fide dignissima & certissima *visa sunt*, de Italia conscripsit: Terram hanc quæ nunc Italia dicitur olim tenuerunt OEnotri. Deinde commemoratis eorum *moribus ac* forma reipublicæ, & quod regnum tandem Italo delatum sit, à quo mutato nomine dicti sint Itali: Morgetemque huic successisse, à quo Morgetes sint vocati: & quod Siculus à Morgete hospitio exceptus propriũ prin-

principatum in ea gente constituerit: hæc verba subiicit: Sic facti sunt Siculi & Morgetes & Itali, cum essent OEnotri.

XIII. Nunc genus quoque OEnotrorum declarabimus alterius antiqui scriptoris testimonio. is est Pherecydes Atheniensis, nulli secundus in texendis genealogiis: qui de regibus Arcadiæ sic loquitur: Pelasgo ex Deianira Lycaon natus est. huic nupsit Cyllene Nais nympha, à qua mons Cyllene dicitur. Deinde recensitis horum filiis, locísque quos eorum quisque habitandos ceperit, OEnotri & Peucetii sic meminit: Et OEnotrus, à quo OEnotri nominantur [in Italia; ac Peucetius, à quo Peucetii appellantur] in sinu Ionio. Atque hæc sunt ab antiquis poetis ac fabularum scriptoribus de sedibus & genere OEnotrorum prodita: quos ego secutus, si (vt Cato & Sempronius multique alii tradiderunt) Aboriginum natio reuera fuit Græcanica, credo eam OEnotrorum istorum fuisse progeniem. Pelasgos enim & Cretenses, & id genus alios, quotquot in Italiam deducti sunt, inuenio posterioribus eo venisse temporibus: antiquiorem autem hac migrationem è Græcia in partes Europæ occiduas reperire nequeo. Ceterum OEnotros præter alios Italiæ agros vel desertos vel male cultos à se occupatos, reor etiam Vmbris partem aliquam ademisse: dictos vero Græcis Aboriginas à montanis sedibus: Arcadicum enim est delectari habitatione montium: qua ratione Atheniensium quidam Hyperacrii vocati sunt & Parhalii: *illi, quod summa iuga tenerent; Parhalii vero quod ad mare incolerent.* Quod si qui de rebus priscis non facile assentiuntur absque attentiori examine, ne sint faciliores ad credendum aut Ligures eos fuisse, aut Vmbros, aut alios quospiam barbaros: sed suspendentes sententiam donec cognoscant etiam reliqua, tum demum decernant quid sit verisimillimum. Oppida autem in quibus primum habitarunt Aborigines, pauca ætate mea supererant; plurima bellis aliisque pestiferis calamitatibus oppressa, desolata sunt. erant autem in Reatino agro, non longe ab Apenninis montibus, vt auctor est Terentius Varro in antiquitatibus: aberantque à Roma, quæ minimum, iter vnius diei. eum ego secutus, dicam horum præcipua. Palatium vigintiquinque stadiis dissitum à Reate, XIV. *Aboriginum vrbes.*

vrbe Romanis nunc quoque prope viam Quintiam habitata. Ab eadem vrbe sexaginta ferme stadiis distat Trebula, sita in modico tumulo. A Trebula tantundem abest Vesbola, propinqua Cerauniis montibus. Inde quadragesimo stadio abest non ignobilis vrbs Suna in eaque pervetustum Martis templum. A Suna triginta ferme stadiis abest Mefula; cuius ruinæ monstrantur,& mœnium vestigia. Inde stadio quadragesimo abest Oruinium, vrbs si qua alia in eo tractu ampla ac nobilis apparent enim fundamenta mœnium, & sepulcra quædam antiqui operis,& septa sepulcretorum per celsos aggeres extensorum. in arce eius vetus Mineruæ templum est. Octuagesimo autem à Reate stadio euntibus via Salaria præter montem Coritum, est Cursula nuper diruta monstratur & insula quædam Issa nomine, cincta stagnis vndique. hanc absque alio munimento habitasse feruntur, freti palustribus & cœnosis aquis, non minus quam mœnibus. Issæ proximum est Maruuium, situm in eiusdem stagni recessu *intimo*, distans à Septem aquis (vt vocant) quadragesimo stadio. Rursum à Reate versus Latinam viam euntibus occurrit ad trigesimum stadium Vatia; ad trecentesimum, Tiora quæ dicitur Matiena in hac aiunt fuisse oraculum Martis antiquissimum, non absimile illi Dodonæo celebrato in fabulis; nisi quod illic in sacra quercu sedentem columbam dicunt vaticinari solitam; apud Aborigines auis diuinitus missa, quem ipsi picum, Græci δρυοκολάπτην nominant, idem faciebat in columna lignea. Ab hoc oppido XXIIII. stadiis distabat Lista metropolis Aboriginum; quam antiquis temporibus Sabini noctu ex Amiterna vrbe profecti ex improuiso ceperunt. qui vero post eam cladem fuerunt superstites, recepti à Reatinis, sæpe frustra conati recuperare patriam, agrum eius tanquam adhuc suus esset, Diis sacrum fecerunt; diris deuouentes qui in posterum fructus

XV. ex eo caperent. Septuagesimo à Reate stadio abest clara vrbs Cutilia, monti apposita; & ab ea non longe lacus quatuor iugerum magnitudine, natiuis & perennibus fluentis plenus, immensæ profunditatis, vt perhibent. huic numen quoddam præsens, ipsumque Victoriæ sacrum indigenæ autumant: & circumquaque coronis cincto neminem propinquare sinunt, inaccessosque seruant eius latices

ces nisi cum stata sacra post biennium recurrentia suo ritu faciunt, iis quibus fas est, in paruam eius insulam conscendentibus. ea diametrum habet ferme quinquaginta pedum, nec plus quam pedem ex aquis eminet, instabilis & huc illuc plerunque fluitans, alias alio ventis eam impellentibus. in ea gramen quoddam prouenit butomo *seu carici* simile, & dumi quidam non magni: res supra captum eorum qui naturę contemplationum imperiti sunt, & nullo miraculo inferior.

Has primas sedes, pulsis inde Vmbris, habuisse dicuntur Aborigines. Inde excurrendo tum alios barbaros tum præcipue confines Siculos infestabant, bellum cum eis gerentes de agrorum possessionibus. Primum finibus egressa est sacra quædam iuuentus exigua numero, ad quærendum victum à suis emissa parentibus, more antiquo, quem receptum scimus à multis tam Græcis quã barbaris. quoties enim vulgi multitudo in aliqua ciuitate nimium excresceret, nec alimenta domi omnibus sufficerent, aut aëris intemperie læsa terra fruges proferret pauciores solito, aut alia talis ciuitatem occuparet calamitas, siue bonum siue malum cogeret minui multitudinem, Deo cuipiam sacrantes quantum hominum annus pareret, emittebant armis instructos è suis finibus: si pro iuuentutis felici prouentu aut victoria è bello reportata gratias Diis agerent, peractis ante solennibus sacris, bonis auibus deducentes abituros in coloniam: sin irata numina placarent, finemque præsentium malorum poscerent, eodem modo sacris operati, mæsti veniamque petentes à suis, quos ablegare necessitas cogeret. Illi vero, vt posthac cerituri patria, nisi aliam pararent quæ se reciperet, quicquid terrarum armis acquisissent aut gratia, habebant vice patriæ: creditumque est eis adesse Deum cui dicabantur, & supra humanam spem prosperare huiusmodi colonias. Ex eo more tum quoque Aboriginum quidam, regione sua viris florente, (natorum enim quenquam necare nolebant, rati facinus id cum primis execrabile) numini cuipiam sacratis vnius anni partubus, hos cum primum virilem ætatem attigissent, colonos miserunt alio; qui Siculorum res agere ac ferre non destiterunt, ex quo patriam reliquere. Vt vero hi semel partem aliquam agrorum ex hostico adepti sunt, tu- XVI.

tius iam & reliqui Aborigines agrorum inopes, aggrediebantur suos quique conterminos: & præter alias ciuitates condiderunt has quæ nunc quoque inhabitantur, Antemnates, Tellenenses, Ficulenses prope montes Corniculos; ac Tiburtinos, apud quos hodieque Siculio pars vrbis dicitur: nec vllam aliam finitimam gentem magis infestabant quam Siculos. His controuersiis tandem gentes integræ ad arma sunt excitæ; bellumq; ortum quale ad eam diem aliud nullum in terra Italia longo tempore trahebatur.

XVII. *Pelasgos admittunt Aborigines.*

Interim Pelasgorum quidam Thessaliam patriam linquere coacti, recepti sunt ab Aboriginibus, communibusque opibus bellum gerebant contra Siculos. hanc manum Aborigines in sedium suarum partem admiserunt, spe fortassis auxilii; ego tamen id propter cognationem potius factum crediderim: quando & Pelasgorum natio Greca fuit, oriunda ex Peloponneso, agitata variis casibus, sed erroribus maxime, nusquam valens certum domicilium figere. Nam primum habitarunt apud Argos (vt nunc vocant) Achaicum, eius loci iuxta multorum opinionem indigenę à rege Pelasgo sortiti antiquitus hoc vocabulum. hunc ferunt Iouis è Niobe Phoroneo nata fuisse filium; quam primam mortalium fœminarum complexus est Iupiter, vt habetur in fabulis. Sexta post ætate relinquentes Peloponesum, migrauerunt in Hæmoniam, nunc mutato nomine dictam Thessaliam. duces autem eius coloniæ fuerunt, Achæus, Phthius, & Pelasgus, Larissæ & Neptuni filii. Vt vero in Hæmoniam ventum est, pulsis inde cultoribus barbaris, regionem in tres partes diuidunt, appellatas ex suis ducibus, Phthiotidem, Achaiam, Pelasgiotidē. Ibi ætates quinque cum exegissent, fortunis amplissimis aucti, fruentesque vberrimis Thessaliæ campis: circiter sextam ætatem eos inde Curetes & Leleges expulerunt, (qui nunc Ætoli & Locri vocantur) cumque his alii multi Parnassi accolæ, ductu Deucalionis prognati è Prome-

XVIII.

theo & Clymene Oceani filia. At profugorum alii Cretam petierunt, alii Cycladum insularum occuparunt aliquot: pars Olympo atque Ossæ contiguam regionem nomine Hestiotidem fecerunt sibi domicilium: pars in Bœotiam migrauit, & Phocidem atq; Eubœam: alii traiicientes in Asiam, multa circa Hellespontum occuparunt

loca

loca maritima, vicinasque insulas cum alias nonnullas, tum eam quæ nunc Lesbos vocatur, mixti Græcis qui ductu Macaris Criasii filii primam eo coloniam deducebant. sed maxima eorum pars per loca mediterranea se contulit ad cognatos suos Dodonæos, quos vt sacros nemo fas putabat bello aggredi: ibique manserunt sat longo tempore. deinde postquam senserunt à se grauari ceteros, quod terra omnibus alendis non sufficeret, reliquerunt eam regionem, oraculo moniti nauigare in Italiam, quæ tunc dicebatur Saturnia. tum parata classe mare Ionium traiiciunt, cupientes oram Italiæ sibi proximam contingere: sed flante Austro, & locorum ignari, prouecti longius, applicuerunt ad vnum è Padi ostiis nomine Spineticum, ibique naues reliquerunt & turbam laboribus ferẽdis impares, non sine præsidio, vt refugium haberent si res non succederent ex sententia. hi eo loco manentes, castra cinxerunt mœnibus, nauibus importantes necessaria victui: & cum eis ex voto cederent omnia, condiderunt vrbem cognominem ostio fluminis: prosperaque præ cũctis eum sinum accolentibus vsi fortuna, & diu potiti maris imperio, Delphos Deo decimas ex maritimis prouentibus, si-qua alia ciuitas, magnificas miserunt. postea tamen magnis copiis vicinorum Barbarorum aduentantibus, deseruerunt vrbem; barbari vero tandem à Romanis deleti sunt. atque ita Spinæ relictorum Pelasgorum genus interiit. At illi qui mediterranea petierunt, superatis Italiæ montibus peruenerunt in Vmbriam Aboriginibus finitimam. habitabãt tunc Vmbri & alios multos Italiæ agros, eratque ea gens cum primis antiqua & ampla. Igitur initio Pelasgi occuparunt agros in quibus primum consederant, potiti quibusdam Vmbrorum oppidulis: sed cum aduersus eos conuenisset ingens exercitus, territi hostium multitudine, contulerunt se in regionem Aboriginum. illi decreuerunt eos vt hostes bello persequi, ac mox è proximis locis confluxerunt celeriter delendi eos animo. Pelasgi vero, qui tum forte fortuna circa Cutiliam Aboriginum vrbem prope sacrum lacum statiua habebant, postquam contemplati sunt fluitantem in eo insulam, & ex captiuis quos in agris interceperant, audiuerunt appellationem eius regionis hominum, crediderunt finem iam habere suum ora- XIX.

culum. nam apud Dodonam redditum eis responsum, quod L. Mamius vir non obscurus ait se vidisse in templo Iouis antiquis literis insculptum cuidam sacrato tripodi, sic habebat:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura,
Atque Aboriginidem Cotylen, vbi se insula vectat.
Quis misti decimas Clario transmittite Phœbo;
Atque Ioui capita, & transmittite lumina patri.

XX. Aduentantibus autem cum magno exercitu Aboriginibus occurrunt Pelasgi cum oleæ ramis inermes ac supplices: expositisque suis casibus, orant vt recipiantur in amicitiam & partem sedium, nequaquam graues ipsis futuri: & interpretati oraculum, aiunt se ad ea loca sola Deorum monitu delatos. His auditis assenserunt Aborigines, quod fessis bello Siculo placeret Græca societas contra infensos sibi barbaros. itaque cum Pelasgis fœdus feriunt, & partem agrorum suorum eis assignant circa sacrum lacum; quorum pleraque erant palustria, dicta nunc prisco linguæ more Velia. solebant enim prisci Græci nominibus à vocali incipientibus preponere syllabam ου scriptam vno charactere is erat similis Γ *dubtici*, ad rectam lineam duabus obliquis additis, vt Fελένη, Fάναξ, Fοῖκος, Fανήρ, & multa similia. Horum deinde bona pars, cum *accepti* agri omnibus non sufficerent, Aboriginibus in expeditionem adscitis, bello Vmbros aggrediuntur, & vrbem eorum florentem ac magnam Crotonem repentino incursu capiunt: qua mox pro arce belli contra hostem vsi sunt, quod & satis munita esset, & agrum circumquaque haberet aptum pascuis. alia quoque loca multa in potestatem suam redegerunt, & Aboriginibus contra Siculos promptam *ac fidelem* præstiterunt operam, donec eos eiecerunt suis sedibus. in his multa oppida partim ante ab hostibus habitata, partim *recens* à se condita, tenuerunt indiuisa gentes sociæ Pelasgi & Aborigines: ex quibus sunt Cære dictum Agylla eo seculo, Pisa, Saturnia, Alsium, & quædam alia, quæ post à Tyrrhenis occupata sunt.
XXI. Falerium vero & Fascenium etiam meo tempore à Romanis habitata, paruas quasdam scintillas seruant Pelasgici generis, cum ipsa quoque olim Siculorum fuerint. in his multa antiqui

antiqui moris Græcanici longissimo tempore perdurarunt, vt armorum ornatus, Argolici clypei & hastæ: & quoties illaturi bellum, aut excepturi, vltra fines exercitum emitterent, sacri viri absque armis cum libaminibus & fœderum oblatione præeuntes ceteris: templorum quoque structuræ, delubra deorum, expiationes & sacrificia, & multa alia similia. sed omnium clarissimum monumentum, hos qui Siculos eiecerunt, apud Argos olim habitasse, templum est Faliscum Iunonis Argiuo illi simile: vbi & sacrorum ritus erant iidem, & curatrices templi sacrificulæ, & puella innupta quam vocant canephoron, sacrificium auspicari solita; ad hæc chori virginum patrios hymnos in laudem deæ canentium. Tenuerunt hi & Campanorum quos vocant camporum partem quandam non exiguam, aspectu amœnissimorum & aptissimorum pascuis, pulsis inde Auruncis gente barbara: vbi inter ceteras vrbes condidere Larissam Peloponnesiacæ illius cognominem, quæ quondam metropolis ipsorum fuerat. è ceteris oppidis quædam steterunt vsque ad nostra tempora, mutatis sæpe habitatoribus: Larissa vero iam pridem deserta est, nullo nunc manente pristinæ habitationis perspicuo vestigio: ac ne nomen quidem eius multis est cognitum. aberat autem non longe à foro Popilio. Alia quoque multa loca tum maritima tum mediterranea tenuerunt capta de Siculis.

At Siculi Pelasgis simul & Aboriginibus bello impares, liberis ac coniugibus cum auro & argento sublatis, totam regionem suam eis cesserunt: versique per montana ad meridiem, & peragrata tota inferiore Italia, cum vndecunque pellerentur, tandem paratis ad fretum ratibus, & obseruato secundo æstu, ex Italia traiecerunt in insulam proximam. Sicani tum eam tenebant, genus Hispanicum; quod fugatum à Liguribus, paulo ante ibi habitare cœperat: Sicaniamque de suo nomine vocauerant, quæ prius Trinacria dicebatur à forma triangula. horum numerus non magnus erat pro insulæ amplitudine, plerisque agris incultis iacentibus. Huc igitur deuecti Siculi, primum partes ad occidentem versas coluere, deinde & plerasque alias: mutatoque nomine, insula vocari cœpit Sicilia. atque ita Siculum genus reliquit Italiam, vt Hellanicus XXII.

Lesbius auctor est, ante bellum Troianum ætate tertia; Alcyones apud Argos sacerdotii anno sexto & vigesimo. tradit enim duas migrationes in Siciliam ex Italia: priorem Elymorum, quos ait sedibus suis eiectos ab OEnotris: alteram vero anno post quinto, Ausonum Iapygas fugientium. horum regem dicit Siculum, à quo nomen sit inditum tam genti quam insulæ. Philistus autem Syracusanus scribit traiecisse illos anno octuagesimo ante bellum Troianum; gentem vero transuectam ex Italia nec Siculos, nec Ausones fuisse, nec Elymos; verum Ligures, duce Siculo: hunc Itali filium, imposuisse nomen suum subditis. Ligures autem è suis agris pulsos esse Pelasgorum & Vmbrorum iniuriis. Antiochus Syracusanus quando migratum sit non indicat; tantum dicit Siculos optasse sibi principem deducendæ coloniæ, vi exactos ab OEnotrorum & Opicorum copiis. Thucydides eos qui migrarunt, vocat Siculos; eos qui expulerunt, Opicos; sed multis annis post res Iliacas. Hæc sunt quæ præcipui scriptores de Siculorum ex Italia in Siciliam migratione tradunt.

XXIII. At Pelasgi multos bonosque agros *bello* sibi parauerunt: vrbibus quoque potiti, alias insuper ipsi ædificauerunt; & intra paucos annos opibus, viribus, fortunis aucti sunt egregie; quæ tamen felicitas eis diuturna non fuit; sed cum maxime rebus omnibus florere viderentur, offenso numine, diris alii calamitatibus, alii barbarorum vicinorum armis deleti sunt. maxima tamen eorum pars per Græcorum ac barbarorum terras denuo dispersi sunt; de quibus longum esset accuratius scribere. pauci in Italia manserunt Aboriginum beneficio. Horum malorum prima vrbes inuasit sterilitas, quando fructus arborum decidebant priusquam maturescerent, nec statis temporum vicibus ad frugem peruenirent segetes, nec pecoribus proueniret satis pabuli: fontes quoque aut contrahebant vitium, aut maligne aquam per æstatem præbebant, aut deficiebant penitus. nec feliciores erant fœturæ mulierum ac pecorũ. nam aut abortiui fœtus eiiciebantur, aut in partu interibant, nonnunquam cum fœtarum & puerperarum pernicie: aut si euadebant difficultatem partus, vi-

tiosi & imperfecti nascebantur, aut alioquin inutiles. Deinde matura quoque ætas laborauit morbis ac mortis generibus præter solitum crebris. Consulentibus autem oraculum quo Deo quoue dæmone læso paterentur talia, & quodnam his malis remedium inueniri posset, respondit Deus, eos voti compotes, non reddidisse quæ vouerant; sed quæ maximi essent pretii, adhuc debere. Laborantes enim sterilitate Pelasgi omnium rerum, Ioui, Apollini & Cabiris decimas omnium prouentuum vouerant; potitique voto, frugum omnium & pecorum portionem sortiti obtulerant Diis; quasi vouissent hæc sola. Hæc Myrsilus Lesbius pene totidem verbis tradit quibus ego nunc, nisi quod non Pelasgos vocat qui hoc fecerunt, sed Tyrrhenos, ob caussam quæ dicetur postea.

Post relatum domum oraculum, non poterant quid sibi vellet coniicere. quibus hæsitantibus senior quidã id interpretatus est, toto cælo errare eos qui putent Deos immerito de ipsis conqueri. rerum enim ceterarum primitias rite redditas: humanæ vero prolis sortem, rem Diis longe clarissimam, etiamnum deberi: qua iuste persoluta, oraculo satisfactum iri. Placebat quibusdam consilium; aliis tamen dolus aliquis subesse videbatur. tandem censente quodam oportere scitari an Deus cuperet reddi sibi hominum decimas, mittunt ad eum denuo consultores: ille iussit hoc facere. inde nata est seditio, quum non conueniret inter eos quomodo reddendæ essent decimæ. ac primum magistratus vrbium turbauit ea res; deinde reliqua etiam plebs optimates suspectos habuit. itaque nullo ordine fiebant migrationes; sed (vt coiectare promptum est) perinde ac si æstro ac diris abigerentur. multique lares omnino deserti sunt, cum pars aliqua discederet; quod cognati eorum iniquum putarent distrahi à charissimis, & manere inter inimicissimos. atque hi primi relicta Italia Græciæ barbarumque regionum magnam partem peruagati sunt. Hos mox secuti sunt alii; idq; quotannis perseuerauerunt facere. nõ enim desistebant ciuitatũ principes ex adulta iuuẽtute primitias deligere, tũ vt Diis quod iure debebatur redderent, tum ꝙ vererẽtur ne qui ex eo numero XXIV.

clam remanentes nouas seditiones cierent. multi etiam per simultates sub specioso prætextu pellebantur ab aduersæ factionis hominibus. itaque multæ migrationes fiebant, & late per terras dispersum est genus Pelasgicum.
XXV. Erant autem ob transactam in assiduis laboribus ac periculis inter bellicosas gentes vitam, in re militari excellentissimi; nauticarum quoque rerum periti propter Tyrrhenorum commercium: id quod victum quærere necessitate compulsos satis acuebat ad fortitudinem, docens eos pericula contemnere. quamobrem quocunque delati, facile potiebantur victoria. Hos ceteri homines de nomine regionis à qua olim emigrarunt, & in memoriam antiqui
Tyrrheni. generis, eosdem Tyrrhenos vocabant & Pelasgos. quod eo dixi, nequis audiens à poetis ac historicis Pelasgos etiam Tyrrhenos nominari, miretur quomodo iidem homines vtrumque nomen habuerint. nam & Thucydides horum meminit recensens vrbes in ora Thraciæ habitatas à bilinguibus; in quarum mentione de Pelasgico genere sic loquitur: Sunt ibi & Chalcidici generis homines non ita multi; sed maxima Pelasgicæ gentis pars est, ex illis Tirrhenis qui olim & Lemnum & Athenas habitauerunt. Sophocles autem in Inacho dat choro anapæsticum carmen tale: Inache pater, fili fontium patris Oceani; qui maximos honores habes in Argiuis aruis, Iunonisque collibus, & Tyrrhenis Pelasgis. Erat Tyrrheniæ nomen illo tempore *celebre* per Græciam; & tota Italia, qua occidentem spectat, nullo gentium discrimine appellationem illam habebat: quod ipsum in Græciæ cum aliis locis permultis, tum in ea quæ nunc Peloponnesus dicitur, accidit. ab vna enim inhabitantium gentium Achaica, tota ea peninsula, in qua sunt Arcades, Iones, cum aliquot gentibus
XXVI. aliis, nominatur Achaia. Tempus autem quo res Pelasgorum cœperunt deficere, incidit in alteram fere ante bellum Troicum ætatem. durauerunt tamen pene vltra eius belli tempora, donec contractæ sunt in gentem minimam. nam præter Crotonem Vmbriæ ciuitatem memorabilem, & si quod aliud tenuerunt Aborigines domicilium, perierunt reliqua Pelasgorum oppida. Croton vero cum diu retinuisset veterem formam, non multo ante nostram ætatem & ciues mutauit & nomen, Cortona vocata, & fa-

cta Romanorum colonia. Derelictas autem à Pelasgis vrbes occupauerunt cum alii multi, vt quique erant finitimi; tum maxime Tyrrheni plurimas ac optimas. Hos quidam aiunt indigenas esse Italiæ, quidam aduenas. & qui negant eos externi esse generis, nominatos dicunt à domiciliis munitis, quæ primi in his regionibus struxerũt. Turres enim & Tyrrheni, vt Græci tyrses, clausa muris & firma ædificia nominant. Volunt igitur ex re nomen eos inuenisse, sicut Mosynœcos in Asia. nam & illi habitant super ligneis statuminibus, in altum more turrium euectis: quæ vocant Mosynas. At qui aliunde immigrasse eos fabulantur, Tyrrhenum eis aiunt fuisse ducem coloniæ, ab eoque genti nomen impositum. Hunc Lydum genere, antiquis admodum temporibus migrasse è regione quæ prius dicta sit Mæonia, quintam Iouis progeniem. nam ex Ioue & Terra genitum Manem primum in illis locis regnasse, ex hoc & Galliroe Oceani filia prognatum Cotym. Cotyi nuptam filiam Tulli terrigenæ Halien, duos peperisse filios, Adiem & Atym ex Aty & Callithea Choræi filia natos Lydum & Tyrrhenum. Lydum domi manentem, successisse in paternum imperium, ab eoque denominatam terram Lydiam: Tyrrhenum coloniæ deducendæ auctorem, occupasse bonam partem Italiæ, sociisque profectionis suum imposuisse vocabulũ. Herodotus autem narrat Tyrrhenum cum Mœonum manu non sponte sed coactũ in Italiã commigrasse. ait enim Aty regnante sterilitatẽ incubuisse terris Mœonum: incolasque aliquandiu, quod tenerentur amore patriæ, multa excogitasse eius calamitatis remedia, alternis diebus ieiunantes, reliquis vtentes cibo modico. sed cum id malum mora nihilo remissius fieret, diuiso bifariam toto populo, sorti commisisse vtris abeundum aut manendum esset. sub quam sortem venisse Atyis etiam filios: & Lydo cum sua parte feliciorem sortem obuenisse; alteram vero cum facultatibus sorte attributis appulisse in regionem Italiæ quæ ad occidentem vergit, tũc Vmbrorum cultam populis: ibique mansisse & vrbes condidisse, quæ vsq; ad sua tempora fuerint inhabitatæ. Eadem multos alios de Tyrrhenorum genere scio scribere; verum alii de auctore coloniæ, de tempore alii variant. Quidam enim dixerunt Tyrrhenum Herculis filium, na-

Tyrrheni.

XXVII.

XXVIII.

tum ex Lyda Omphale: hunc delatum in Italiam expulisse Pelasgos è suis vrbibus, non omnibus, sed transtiberinis ad Septentriones spectantibus. alii Tyrrhenum Telephi malunt filium, venisseque post Troiam captam in Italiam. At Xanthus Lydius, antiquitatum peritus, si quis alius, patriæ vero historiæ auctor nemine inferior habitus, neque Tyrrhenum vsquam in suis scriptis Lydorum principem nominat, neq; vllam scit Mæonum in Italiam deductam coloniam, aut Tyrrheniæ quasi Lydorum coloniæ meminit, cum tamen alia leuiora memoret: Atyos autem filios fuisse dicit Lydum & Torebum. hos post diuisum paternum imperium ambos mansisse in Asia: ab eisque, gentibus quibus præfuerunt, denominationes impositas indicat verbis his: A Lydo descendunt Lydi, à Torebo Torebi. horum lingua ab altera parum euariat; & hodieque alteri alterorum vsurpant non pauca vocabula, quemadmodum Iones & Dorienses. Hellanicus Lesbius ait Tyrrhenos, Pelasgos primum vocatos, postquam Italiam habitare cœperunt, assumpsisse quam nunc habent appellationem. eius verba in opere quod inscripsit Phoronida, sunt hæc: Pelasgi regis eorum, & Menippes filiæ Penei Phrastor fuit filius: huius vero Amyntor; huius deinceps Teutamides; & huius Nanas. hoc regnante Pelasgi ab Hellenibus (*seu Græcis*) sunt expulsi: relictisque ad Spinetem fluuium in Ionio sinu nauibus, Crotonem ceperunt vrbem mediterraneam: eaque belli sede vsi, constituerunt quam nunc vocant Tyrrheniam. Myrsilus contra dissentiens ab Hellanico, Tyrrhenos ait post relictam patriam passim vagabundos mutato nomine dictos Pelargos, quadam alitum pelargorum (*hoc est ciconiarum*) similitudine, quod agminatim oberrarent per Græcas regiones atque barbaras: & murum quo Atheniensium arx cincta est, cognomine Pelasgicum, opus esse horum hominum.

XXIX. Mihi tamen videntur omnes errare, qui credunt vnam & eandem gentem esse Tyrrhenicam & Pelasgicam. nam hos pro illis inuicem nominatos fuisse, mirum non est; quandoquidem & aliis gentibus tam Græcis quam barbaris idem accidit, vt Troianis & Phrygibus propinquis inuicem: quanquam multi vnum genus vtrisque autumant,

mant,& non in re, sed in nomine hanc esse differentiam: ac cum alibi quoque populorum confusæ fuerint appellationes, contigisse idem non minus Italicis gentibus. fuit enim tempus quo Latini, Vmbri, Ausones, & alii nonnulli, Tyrrheni à Græcis dicebantur; quod propter longinquas earum gentium sedes, difficile esset hæc exacte discernere: adeo vt Romam ipsam Tyrrhenicam vrbem multi scriptores opinati sint. cum igitur vitæ sedes mutarint istæ gentes, credo eis nominum quoque mutationem accidisse: sed commune ambarum fuisse genus non credo, cum aliis multis argumentis inductus, tum linguarum diuersitate, & quod nulla similitudinis apud eas supersunt vestigia. Etenim neque Crotoniatæ (vt inquit Herodotus) cum vllis hoc tempore circumuicinis communem linguam habent, neque Placiani; sed ipsis *inter se* linguæ est conuenientia. satisque apparet quod quam secum in ea loca intulerunt linguæ speciem, eam retinent. Atqui miretur aliquis, Placianis quidem, qui circa Hellespontum habitant sermonem Crotoniatas habuisse similem, quandoquidem vtrique à Pelasgis oriundi sunt; Tyrrhenis autem tam vicinis habuisse prorsus dissimilem. si enim commune genus & cognatio credenda est caussa huius in lingua similitudinis, contrarium erit caussa dissimilitudinis. neque enim vtriusque eandem caussam putare possumus. nam alterum quidem rationem quandam habet, eiusdem gentis homines, qui longe à se inuicem habitent, non amplius retinere eandem sermonis formam, propter finitimorum commercia: sed absurdissimum est, eorundem locorum incolas nihil prorsus conuenire lingua, si sint eiusdem generis. Et Tyrrhenos quidẽ diuersos esse à Pelasgis hoc argumentum est: nec tamẽ Lydorum eos colonos arbitror. nec enim communis illis lingua est: nec possumus dicere, quod licet non amplius eodem vtantur sermone, alia tamen veteris patriæ seruent indicia. nec enim eadem quæ Lydi colunt numina; nec similibus vtuntur legibus aut studiis; verum hac parte à Lydis plus quam à Pelasgis differunt. quare vereor ne verisimilior sit eorum oratio, qui non aduenam esse hanc gentem sed indigenam asseuerant: quandoquidem & peruetusta est, nec cum vlla alia moribus aut lingua eam conueni- XXX.

re compertum est. Hoc autem nomine à Græcis appellatos esse nihil vetat, vel à turribus in quibus habitarint; vel à principe cui paruerint. Romani certe aliis eos vocant nominibus. etenim ab Etruria, quam aliquando habitarunt, ipsos Etruscos appellitant: & ob excellentem sacrorum ac diuini cultus peritiam, nunc quidem obscurius *Tuscos*, olim vero exactiori voce quemadmodum Græci θυοσκόους vocabant. Ipsi vero se à duce quodam Rasena, eodem quo ille modo nominant. Vrbes autem à Tyrrhenis habitatas, & modum administrandæ reipublicæ, vniuersamque eius gentis potentiam, & res gestas cognitu digniores, ad hæc fortunæ varias vices, dicemus alias. Ergo Pelasgica natio, quantum eius cladibus superfuit, nec in colonias distractum est, (id quod ex magno ad modicum redactum est numerum) inter Aborigines degens, in his resedit locis, vbi postea Romam illorum posteri cum aliis condidere. atque hæc sunt quæ de Pelasgis produnt fabulæ.

Etrusci & Tusci.

XXXI. Non multo post, alia classis Græcorum in eam Italiæ partem appulit, sexaginta ferme annis ante bellum Troianum, vt ipsi Romani auctores sunt; profecta à Palantio vrbe Arcadica. eã coloniam deduxit Euander Mercurii filius & Nymphæ cuiusdam Arcadicæ, quam Græci Themin fuisse dicunt, & diuino afflatu instinctam: Romanarum antiquitatum scriptores Carmentam patria lingua nominant: Græce θεσπιῳδὸς (*id est fatidica*) vocari queat: ᾠδὰς enim Romani appellant carmina. hanc mulierem affirmant dæmonis spiritu correptam, futura carmine multitudini prædicere solitam. Ea classis non consensu ciuitatis emissa est: sed orta in populo seditione, inferior factio sua sponte secessit. Forte tum apud Aborigines regnum à maioribus acceptum tenebat Faunus, à Marte vt ferunt oriundus, vir gnauus ac prudens, à Romanis post, tãquam vnus Indigetum, sacris honoratus & carminibus. Is paucos illos Arcadas comiter exceptos donauit agrorum quanta ipsi vellent portione. elegerũt autem, sicut eos Themis post rem diuinam peractam præmonuerat, tumulum non longe distantem à Tiberi, qui nunc ferme in meditullio Romanæ vrbis situs est. apud eũ construxerunt

Euander & Arcades.

parvum

paruum vicum, capacem hominum quot duæ naues aduexerant è Græcia: cui erat in fatis vt in tantam vrbem euaderet, quanta alia nulla vel Græca vel barbara, siue amplitudo sedium, siue maiestas imperii spectetur, siue alia quæuis felicitas; cuius nomen, quousque mortales durauerint, præ cunctis vrbibus memorabitur. Huic oppidulo à vetere patria nomen imponunt Palantium: nunc vero Palatium à Romanis dicitur, corrupta voce iniuria temporum; vnde multis absurdarum etymologiarum occasio. Sunt qui tradant, & in his Polybius Megalopolitanus, denominatum ab adolescente quodam Palante ibi mortuo. eum fuisse filium Herculis & Dynæ Euandri filiæ: cui maternum auum exstruxisse in eo tumulo sepulcrum, & locum ab adolescente nominasse Palantium. ego tamen Romæ neque sepulchrum vidi Palantis, neque inferias audiui ei fieri; nec aliud quicquam eiusmodi cognoscere potui: quamuis hæc domus non sit obliuioni tradita, nec sit expers honorum quibus diuinum genus ab hominibus colitur. nam & Euandro & Carmentæ Romanos publice quotannis sacrificare comperi, quemadmodum reliquis heroibus ac dæmonibus: aras etiam eis erectas contemplatus sum; Carmentæ, apud Carmentalem portam sub Capitolio; Euandro, apud Auentinum collem prope portam Trigeminam; Palanti vero nihil tale vidi ab eis exhibitum. Ceterum Arcades coniunctis sub colle sedibus, exædificatis more patrio domiciliis, templa quoque construunt; primum Lycæo Pani, iubente Themide, (Arcadibus enim Deorum antiquissimus & honoratissimus est Pan) idoneo inuento loco; quod Romani Lupercal nominant, nos Lycæum dicere possemus. & nunc quidem ædificiis fanum circumquaque sepientibus, difficilis coniectura est qualis olim loci natura fuerit, sed, vt fertur, erat tum spelunca sub tumulo magna, denso querceto contecta, & sub petris profundi fonticuli, solumque rupibus contiguum nemorosum, & frequentibus ac proceris opacum arboribus. ibi ara Deo exstructa, more patrio sacra fecerunt, quæ nostro quoque tempore faciunt Romani mense Februario post brumam, nihil mutantes ex ritu pristino. modus autē sacrorum dicetur postea. In vertice vero tumuli Victoriæ ara consecrata, rem

XXXII.

diuinam ei alternis annis fieri instituerunt. quod & nostra
XXXIII. ætate Romani faciunt. Hanc Arcades fabulantur filiam Palantis prognati Lycaone: & honores quos nunc apud homines habet, consecutam Minerua iubente, quod cum hac dea simul educata sit. à Ioue enim recens natam Mineruam commendatam esse Palanti, & apud illum educatam dum adoleuerit Cereri quoque templum exstruxerunt, & per fœminas sacerdotes sacra ei fecerunt abstemia, more Græco; quorum nihil mutatum est nostro tempore. Quin & Neptuno Hippio aream assignarunt, & festum instituerunt, Hippocratia dictum Arcadibus, Romanis vero Consualia; per quod apud Romanos ex more immunes ab opere sunt equi & muli, coronanturque floribus. Alia quoque mul.a fana & aras & simulacra Deorum dedicauerunt; expiationesque & sacrificia patria instituerunt, quæ vsque ad meam ætatem fiunt eodem modo. nec mirarer siqua per tot secula posterorum memoriam fugissent & intermissa essent. sufficiunt tamen vel ea quæ adhuc supersunt, in argumentum priscorum Arcadię rituum: de quibus alias dicetur amplius. Dicuntur etiam Græcarum literarum vsum, Arcadicæ genti recens ostensum, primi in Italiam transuexisse: instrumenta quoque musica, lyram, trigona, & lydos: cum ad id temporis non nisi pastoralibus fistulis vsi fuissent, nec vllo præter has inuento musico: leges etiam tulisse, & vitam antea ferinam maiori ex parte mitem ac mansuetam reddidisse: sed & artes ac studia, multaque alia emolumenta contulisse in publicum, & propter hæc gratiosi fuisse apud suos hospites. Hæc secunda gens Græca post Pelasgos delata in Italiam, communes cum Aboriginibus sedes habuit, easque in præcipuo Romæ loco constitutas.

XXXIV. Post Arcadum aduentum paucis aliquot annis elapsis, alia manus Græcorum in Italiam venit ductu Herculis, qui tum Hispaniam, & quicquid terrarum vsque ad occidentem solem protenditur, domuerat. horum quidam missione ab Hercule impetrata, circa hæc loca hæserunt: & nacti opportunum tumulum tribus ferme stadiis distantem à Palantio, redegerunt eum in formam oppidi. is nunc Capitolinus nominatur, ab illius seculi hominibus dicebatur Saturnius: Græci nostri Cronium dicerent. Qui autem relicti illic sunt, plerique

Hercules cum sociis.

rique erant Peloponnesii, Pheneatæ videlicet, & Elidenses Epei; quos nullum amplius tangebat reuertendi desiderium, deuastata patria bello quod gesserant contra Herculem. admixtum his erat & Troiani generis nonnihil, de captiuis Laomedonte regnante abductis ex Ilio, quando Hercules eam vrbem vi ceperat. & vt mihi videtur, etiam ex reliquo exercitu quicquid erat fessum laboribus, aut errorum pertæsum, missione impetrata, in hoc loco remansit. Tumuli nomen quidam, vt dixi, antiquum existimant, eoque Epeos maxime delectatos, ob memoriam Cronii apud Elidem tumuli, qui est in Pisate agro prope amnem Alpheum. eum Elidenses Saturno sacrum rati, sacrificiis aliisque honoribus venerantur, statis eo temporibus conuenientes. Euxenus autem vetus poeta, & alii quidam fabularum scriptores Italici, putant ab ipsis Pisatis propter similitudinem sui Cronii, loco nomen impositum; & aram Saturno Epeos cum Hercule statuisse, quæ etiamnum durat ad radices collis, iuxta viam qua e foro in Capitolium ascenditur: & sacrificium quod mea etiam ætate Romani Græcanico ritu faciunt, ab illis institutum fuisse. Sed quantum ego ex coniecturis colligo, etiam ante aduentum Herculis in Italiam, sacer erat Saturno is locus, Saturnius ab incolis dictus. quin & vniuersa ora quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic deo, & à cultoribus Saturnia vocabatur, vt licet videre in Sibyllinis carminibus, & aliis oraculis à Diis redditis; suntque passim per eam regionem multa huic Deo sana dicata, & quædam ciuitates eodem quo vniuersa tunc ora dictæ nomine: loca etiam multa ab eodem numine denominata, præcipue scopuli & editi tumuli. *Italia Saturnia.*

XXXV.

Italia vero post nominata est, sub viro præpotente, Italo. hunc Antiochus Syracusanus ait bonum & sapientem fuisse; & propinquarum regionum hominibus partim oratione persuasis, partim vi coactis, totam eam terram sub imperium suum redegisse, quanta patet Napetinum sinum inter & Scyletinum: eamque primam Italiam vocatam Itali temporibus. eum ista dicione potitum, cum iam multos haberet subditos, appetisse finitimos, ciuitatesque multas in vnum coegisse imperium: ipsum vero fuisse OEnotrum genere. At Hellanicus Lesbius ait Herculē, cum Geryonis boues

Argos per Italiam abigeret, & iuuencus quidam ab armento resiliens, peragrata vniuersa ora, tranauisset trans fretum in Siciliam, rogitantem semper obuios eius regionis homines, qua persequebatur iuuencum, nuncubi eum vidissent; illis Græcam linguam parum intelligentibus, sed patriæ vocis indicio vitulum nominantibus, quo modo etiamnum animal istud appellatur, appellasse totam regionem quam iuuencus pertransierat, Vitaliam. temporis autem processu mutatum id vocabulum in præsentem formam, mirum videri non debere, quando simile quiddam accidit multis etiam Græcis nominibus. Verumtamen siue, vt Antiochus ait, a duce; quod fortasse verisimilius est: siue, vt Hellanicus opinatur, à tauro nomen hoc accepit: illud certe ex amborum auctoritate liquet, Herculis ætate, aut paulo ante, sic nominatam esse: superiori vero tempore Græci Hesperiam & Ausoniam eam vocabant, indigenæ

XXXVI. Saturniam, vt iam dictum est. Est etiam alia fabula inter indigenas vulgata, Saturnum ante Iouis regnum in his terris imperium habuisse; decantatamque illam sub Saturno vitam, omnibus copiis quas annus fert, affluentem, nusquam alibi magis quã apud ipsos floruisse. Quod siquis remota ex horum verbis fabula, bonitatem regionis velit exquirere, ex qua humanum genus plurima ad vitæ hilaritatem facientia mox a suis initiis perceperit, siue ex terra, vt antiquorum habet opinio, siue aliunde ea fuere: non facile aliam inueniat magis ad hoc idoneam. Si enim vnam terram conferas ad aliam magnitudine parem, non solum in Europa, verum etiam in toto orbe, optima meo iudicio est Italia, quanquam non me latet quod multis incredibilia videbor dicere, cogitantibus Ægyptum & Africam ac Babyloniam, & siquarum aliarum celebrata est felicitas. At ego terræ opes non æstimo ex vna aliqua fructus specie, nec me subit desiderium habitandi vbi arua tantum sint pinguia, aliarum vero rerum ad vitam vtilium aut nulla, aut admodum parua copia: sed quæ sibiipsa maxime sufficit, aduectitiisque bonis plerunque quam minimum indiget, eam puto optimam, hanc vero omnigenam fertilitatem & copiam, si cui alii terræ, Italiæ concessam

XXXVII credo. Non enim arua modo bona habet, caret autem arboribus, vt frumentifera: neque plantis modo quibus-

libet

libet alēdis est idonea, sed inutilis segetibus, vt arbusti agri: neque largiter quidem hæc vtraque suppeditat, sed parum apta est alendo pecori: neque dixerit quis eam abundare quidem frugibus ac pascuis, sed ad degendam vitam esse ingratam hominibus: sed est referta omnibus, vt *breuiter* eloquar, voluptatibus & commodis. cui enim frumentiferæ cedunt rura Campana, non fluuiis, sed aquis rigata cælestibus? in quibus campis ego vidi arua vel trifera, æstiuam post hibernam, & auctumnalem post æstiuam sementem enutrientia. cui oliuiferæ, Mesapiorum, Dauniorum, Sabinorum, aliorumque multorum cultura? cui vitiferæ Etruria, & Albanus ac Falernus ager, mirum in modum amicus vitibus, & modico labori vberrimos reddentes fructus atque optimos? præter eam autem quæ colitur, multum terræ inuenias patere ouium, multum caprarum gregibus: plus etiam & præstantius armentis equorum & boum. palustris enim & pratensis herba, copiosa illa; cultiuæque terræ irrigua & roscida, immensum quantum æstate compascua; omni tempore vegetam præbet gregum copiam. Sed saltus inprimis admiratione digni sunt, circa prærupta & nemorosa loca, tumulosque culturæ parum idoneos: ex quibus multam ac pulchram fabricandis nauibus, multam etiam aliis operibus aptam petunt materiem. atque horum nihil est vel paratu difficile, vel longe ab humanis vsibus remotum; sed omnia & confici facile, & facile conuehi possunt, propter fluuiorum frequentiam, qui vniuersam oram permeant, & magnam commoditatem importandis ac permutandis quas terra fert rebus, afferunt. eadem terra habet aquarum calidarum multis in locis scaturigines, iucundissima exhibentes lauacra, morbisque inueteratis sanandis vtilissima; metalla omnis generis, ferarum venationes luculentas, maritimosque prouentus varios: & innumera alia vel vtilitati seruientia, vel delectantia miraculo. sed omnium pulcherrima est aeris moderata, vt anni tempus fert, temperies; qualis nec nimio gelu, nec immenso æstu, fruges lædat aut animantia.

Nil igitur mirum si antiqui Saturno sacram putauerunt hanc terram, numen hoc rati omnem hominibus felicitatem plene largiri: (siue is Chronus est, vt Græci vo- XXXIIX

sunt: siue Saturnus, vt Romani: totam certe mundi naturam complexus, vtrocunque eum nominis vocabulo) videntesque regionem hanc refertam esse omni opulentia & gratia, cuius studiosum est genus humanum; & æquum iudicantes, diuino & mortali generi, quæ cuique conuenientissima essent loca, offerri ac dedicari, montes & nemora Pani, Nymphis prata & loca virentia, litora & insulas marinis numinibus; & in ceteris item quicquid cuique familiare est vel Deo vel dæmoni. Fertur etiam veteres Saturnum placare solitos humanis victimis, sicut Carthaginienses, dum stetit eorum vrbs: & idem nunc quoque fit apud Gallos, aliasque gentes occidenti proximas. Herculem vero, vt aboleret hunc morem sacrorum, & aram fundasse in colle Saturnio, & auctorem fuisse vt sanctæ hostiæ puris adolerentur ignibus. & nequam pœnam timerent quasi ob neglecta sacra patria, docuisse incolas ad mitigandam iram Dei, pro hominibus quos compeditos & manibus exarmatos in Tiberim iaciebant, oscilla ad illorum similitudinem efficta, eorundemque habitu exornata, mittere in fluuium; vt quicquid religionis in animis omnium supererat, tolleretur: seruatis scilicet antiqui ritus imaginibus. Id Romani ex eo tempore hucusque factitant paulo post vernum æquinoctium, Idibus Maiis: quo die lunam volunt esse dimidiam. tunc enim peractis rite sacris pontifices (id summum est sacerdotium) & cum his custodes immortalis ignis virgines, prætoresque & alii ciues quos illi sacrificio interesse fas est, simulacra hominum, triginta numero de sacro ponte mittunt in Tiberim fluuium; quæ Argéos nominant. Verum de sacrificiis & aliis Romanorum ceremoniis, in quibus seruant Græcanicum morem & domesticum, alias significabimus. nunc tempus videtur poscere vt de aduentu Herculis in Italiam tradamus aliquid accuratius, nec omittamus si quid ibi gessit memorabile.

XXXIX. De hoc numine quæ narrantur, quædam fabulis, quædam veritati, propiora sunt. Fabula de aduentu eius sic habet. Eurystheus præter ceteros labores iussit Herculem Geryonis boues ex Erythéa in Argiuam vrbem agere. is vbi fecit quod iussus erat, domum reuertens, adiit, tum alia multa Italiæ loca, tum Aboriginum agrum

agrum Palantio contiguum. ibi boni pabuli nactus copiã, armenta pastum dimisit: ipse labore fessus, procubuit, somnoque se dedit. Interea quidam eius loci latro, Cacus nomine, inuentis bubus sine custode pascentibus, earum cupidine captus est: cumque animaduertisset sopitum Herculem, totum quidem armentum abigere non est ausus, ratus nec latere furtum posse, & alioquin id fore difficile. paucas tamen aliquot in propinquam speluncam, vbi degebat, abdidit; quas auersas, contra solitum animalium incessum, vnam post aliam caudis eo traxerat: vt quærentem indicium falleret, vestigiis in contrariam partem ducentibus. Hercules paulo post somno excitus, cum recensuisset numerum, & aliquot boues sensisset deesse, primum incertus quo deuenerint, & ratus aberrasse à pascuis, quærit eas per agros: vt vero nusquam reperit, ad speluncam pergit, licet reclamantibus vestigiis, nihilominus perscrutandum eum locum ratus. Caco autem pro foribus stante, & cum rogaretur se vidisse negante, nec tamen inquisitionem permittente, imo vicinorum fidem inuocante, quasi vim pateretur ab hospite: confuso Herculi & inopi consilii, tandem in mentem venit reliquas boues ad speluncam agere. quarum vocem consuetumque odorem vbi senserunt inclusæ, mugitu reddito liquida voce furtum prodiderunt. at Cacus in maleficio deprehensus, ad vires conuertit animum, simulque pastores socios conuocat. Ibi Hercules *vociferantem*, claua pulsatum occidit: eductisque bubus, quoniam latronum receptaculo aptum esse locum videbat, speluncam pedo suo diruit: cumque cædem aqua fluminis expiasset, in proximo aram Ioui Inuentori posuit, quæ Romæ est prope portam Trigeminam, & ob inuentas boues Deo iuuencum vnum mactat. hęc sacra etiam mea ætate Romani ritu mere Græco faciunt, quemadmodum ab illo sunt instituta.

Ceterum Aborigines & Palantini Arcades, vt viderunt Herculem, & Caci mortem cognouerunt, hunc propter rapinas perosi, illius stupentes speciem, diuinum quiddam se videre putabant: & pro magna felicitate habebant exemptos se latronis iniuriis. atque inopes, ramis lauri, cuius in his locis magna erat copia, tam se quam illũ coronabãt; XLI

ſed & reges eorum veniebant, & ad hoſpitium eum inuitabant. vt vero nomen & genus ac res geſtas ipſo narrante cognouerunt, ſe cum tota regione in tanti viri fidem atque amicitiam commiſerunt. Euander vero qui è *matre* Carmenta iam ante audierat, eſſe in fatis vt Ioue & Alcmena prognatus Hercules immortalis ex mortali virtutis ergo fieret, mox vbi hunc ipſum eſſe didicit, occupare volens eam gratiam, primus omnium Herculem diuinis dignatus eſt honoribus: exſtructaque præ nimio ſtudio ac feſtinatione ara extemporali, ad aram iſtam Herculi mactauit iuuencum iniugem, oraculo prius cum eo communicato; precatus vt ſacra auſpicaretur. qui lætus hoſpitalitate gentis, populum excepit epulo, bubus aliquot mactatis, exemptisque ex reliqua præda decimis: reges vero (id quod eos vehementer cupere ſciebat) donauit agris Ligurum & quorundam aliorum finitimorum, expulſis prius inde viris quibusdam immanibus. Feruntpræterea incolas regionis ab eo rogatos, vt quando ſe primi inter Deos recepiſſent, honorem ſibi iſtum ſeruarent perpetuum, quotannis iniugem iuuencum mactantes, & ritu Græco id ſacrificium peragentes: & vt ſemper grata eorum haberet ſacrificia, præfeciſſe illis, edoctas prius ritum, duas nobiles familias. hos fuiſſe Potitios atque Pinarios; penes quas gentes multis ſeculis duraſſe curam ſacrorum, ita vt ille iuxta Græcorum diſciplinam inſtituerat: Potitiis ſacra auſpicantibus, adolendaque delibantibus; Pinariis extorum participatione excluſis, & in omnibus quæ ab vtriſque de more peragenda eſſent, ſecundas honoris partes capientibus eam fuiſſe tarditatis mulctam & negligentiæ, quod iuſſi mane præſto eſſe, adeſis iam extis *ad ceteram dapem* veniſſent. nunc tamen illorum poſteritas non habet curam horum ſacrorum; ſed operantur eis pueri empti ære publico. quæ autem cauſſa mutati moris fuerit, & quam manifeſta ob id indignatio numinis, ſuo loco dicetur aptius. Ara vero in qua Hercules decimas obtulit, à Romanis vocatur Maxima, prope forum Boarium, nulla inferior, quod ad ciuium venerationem attinet. nam & iuſiurandum apud eam, & pacta quæ volunt eſſe firma, peragunt; & decimas facultatum ex voto ſæpe illic offerunt. apparatus

tamen eius parum respondet opinioni hominum. Passim etiam alibi per Italiam fana huic Deo dicata sunt, aræque oppidatim & iuxta vias erectæ: nec facilè reperias in Italia locum vbi non colatur hic Deus. Et fabulis quidem hęc de illo sunt prodita. Veriora videntur quæ de eo narrant qui res eius gestas historico stilo sunt persecuti, quod scilicet, cum esset ætatis suæ ducum præstantissimus magnasque ductaret copias, quicquid terrarum Oceano cingitur, peragrauerit, tollens tyrannos quotquot essent graues & subiectis intolerabiles: aut siqua ciuitas iniuriose finitimas diciones infestaret, immani assueta victui, aut hospitum nefariis gaudens cædibus. pro quibus legitima regna moderatasque respublicas constituit, & in vita mores induxit humanos ac sociabiles. adhæc cũ Græcis iuxta versatus est ac barbaris; cum maritimis atque mediterraneis; qui antea sine fide, sine vllis contractibus fuerant inter se conuersati. & in desertis terris vrbes condidit, fluminaque auertit campos inundantia, vias aperuit in difficilibus ascensu montibus, nihil non molitus vt mare ac terra quam latissime paterent vsibus cunctorum mortalium. Ceterum in Italiam venit non absque comitatu, nec agens præ se armenta pecudum. nec enim trita est per has terras via iis quos Argos ex Hispaniis petere cogit necessitas; neque ob regionis peragrationem tantis potitus fuisset honoribus: sed perdomita Hispania cum iusto exercitu venit ad subiugandos eorum locorum homines. coactus vero est ibi multum temporis terere propter classis absentiam, quæ distinebatur hibernis tempestatibus; tum quia non omnes Italicæ gentes vltro ad imperium eius accesserant. nam præter ceteros barbaros, Ligurum gens, magna & bellicosa, in transitu Alpium sita, armis eum arcere ab ingressu Italiæ conata est: vbi Græcis fuit certamen difficillimum, adeo vt tela eos in hac pugna plane defecerint. meminit autem huius belli ex antiquis poetis Æschylus in soluto Prometheo. Inducit ibi Prometheum Herculi prædicentem inter cetera de euentu certaminum in expeditione contra Geryonem, & narrantem quanta cum difficultate *ob iter* gesturus sit bellum Ligusticum. carmen autem sic habet: Vises Ligurum copias imperterritas: quorum pugnaces, sat scio, acer licet probabis manus. nam & tela

XLI. *De Hercule verior Historia.*

XLII. te ex fato deficient. Sed postquam his profligatis sibi transitum patefecit, quidam sponte deditionem oppidorum fecerunt, maxime quotquot erant Græcanici generis, aut non satis fidebant suis viribus: plerosque tamen prœliis aut obsidionibus subigere necesse habuit. Inter eos qui bello domiti sunt, fuisse aiunt & Cacum illum Romanis fabulis celebrem; qui princeps immanium quorundam barbarorum, heroi restitit, fretus locis natura munitis, vnde in finitimos excursabat. is cum animaduertisset Herculem castrametatum in propinqua planicie, cum prædatorio globo derepente in eum irruit: & dormiente *etiamnum* exercitu, quicquid prædæ incustoditum nactus est, retro in sua secum abegit. deinde obsessus à Græcis & vi expugnatus, dum hostes cum suis propulsare nititur, in pugna cecidit. cuius castellis dirutis agros circumiacentes occuparunt milites Herculis, & cum his Arcades Euandrum secuti, ac Faunus rex Aboriginum. ceterum qui ibi mansere, ex Græcis Epei, Pheneatæ Arcades, & Troiani, fuerunt (vt coniicere licet) eius regionis præsidio relicti. nam inter imperatorias Herculis artes hæc quoque non minus quam cæteræ res gestæ fuit mirifica, quod abstractos à deuictis vrbibus viros secum ducebat in militiam; ac si promptam & fidelem sibi in bellis operam nauassent, eos in agris hosti ademptis collocabat, de alieno eis satisfaciens. has ob caussas durat eius nomen & gloria per Italiam, non ob transitum, in quo nihil veneratione dignum inerat. Sunt qui dicant eum etiam filios iis in locis quæ nunc Romani habitant, reliquisse, susceptos è duabus fœminis: Palantem, ex Euandri filia, quam Lauinam nominant; Latinum, ex quadam Hyperborea puella; quam obsidem à patre acceptam, secum circumduxerit. eam aliquantisper innuptam seruasse: sed cum in Italiam appulisset, captum amore, grauidam reddidisse; & abiturum Argos, nuptum dedisse Fauno Aboriginum regi. quo factum esse vt plerique Latinum huius putarint filium, non Herculis. Ex his Palantem aiunt ante pubertatem mortuum: Latinum, postquam virilem ætatem attigit, factum esse regem Aboriginum. quo sine maribus liberis defuncto in conflictu cum finitimis Rutulis, regnum deuolutum esse ad Æneam Anchisæ filium, affinita-

XLIII. (margin, beside "neratione dignum inerat.")

affinitate Latino iunctum. Sed hæc aliis facta sunt temporibus. Hercules autem compositis ex animi sententia rebus Italicis, & recepto incolumi ex Hispaniis exercitu nauali, ac decimis prædæ in Deorum sacrificia impensis, oppido item de suo nomine condito vbi classis eius statiua habebat; (quod nunc quoque à Romanis habitatur inter Pompeios & Neapolim, tutos omni tempore portus habens) denique gloriam exemplo futuram posteris, honoresque diuinos apud omnes Italos consecutus, traiecit in Siciliam. Illi verò quos colonos reliquit & præsidium Italiæ, fixis circa Saturnium collem sedibus, aliquandiu propriam habuerunt rempublicã: sed elapso non longo tempore, viuendi rationem, leges, sacra cum Aboriginibus cõiunxerunt, & sicut Arcades & ante hos Pelasgi, in eandem cum illis ciuitatem coaliti, pro vna gente habiti sunt. Atque hæc de Herculis expeditione, & relictis in Italia Peloponnesiis dicta sint. post cuius digressum ætate altera, circiter annum quintum supra quinquagesimum, vt ipsi Romani perhibent, rex Aboriginum fuit Latinus Fauni filius, sed Herculis satu editus, annũ agens regni sui quintum & trigesimum. Per id tempus Troiani cum Ænea post captum Ilium profugi appulerunt Laurentum, quod in Aboriginum litore, Tyrrheno mari alluitur, non longe ab ostio Tiberis: acceptoque ab hospitibus ad habitandum agro, & quicquid petierunt, oppidum condunt non longe à mari in quodam colle, nomine Lauinium. nec ita multo post vetere appellatione mutata, vnà cum Aboriginibus à loci rege Latini nuncupati sunt: & relicto Lauinio vna cum indigenis maiorem vrbem muniuerunt, quam Albam nominarunt: vnde alia quoq; multa oppida deduxerunt quę Priscorum Latinorum vocantur, & pleraque nostro etiam tempore habitantur. Deinde sextadecima post captum Ilium ætate miserunt coloniam in Palantium & Saturniam, vbi Peloponnesii & Arcades primas sedes fixerant, quæq; etiam tum scintillas quasdam prisci generis retinebant: ac Palantiũ muris cinxerunt, vt vrbis formam tum primũ acceperit. Conditæ vrbi Romæ nomen imposuerunt, quod Romuli ductu missa esset colonia, qui septimusdecimus ab Ænea descendebat. Dicam & aduentum in Italiã Æneæ, scriptoribus partim ignoratũ, partim

XLIV.

XLV. *Æneæ & Troianorũ in Italiam aduentus.*

inuidiose narratum, diligenter super ea re scrutatus fide digniores tum Romanas tum Græcas historias, in quibus sic proditum inuenio.
XLVI. Capto ab Achæis Ilio, siue Durii equi commento, sicut canit Homerus, siue Antenoridarum proditione, siue alio modo, cetera quidem multitudo tam sociorum quam ciuium in cubilibus deprehensa cæditur. noctu enim ex inopinato & sine custodiis oppressi sunt. Æneas autem cum Troianis suis, qui ex Ophrynio & Dardano Iliensibus auxilio venerant, & siqui alii inferiorem vrbem captam mature senserunt, in Pergami munitionem confugiunt, arcemque proprio muro tutam occupant: vbi Troianis reposita erant sacra patria, & maxima opum vis, vtpote in loco firmo: ineratque militum fortissimus quisque ibi subsistentes, propulsabant siqui conarentur in arcem ascendere: cumque angiportorum haberent peritiam, ex arce decurrentes, excipiebant eos qui ex vrbe capta euaderent: ita vt plures effugerent quam interciperentur. hoc machinamento Æneas frustratus est primum hostium impetum, quo cunctos ciues interimere nitebantur; effecitque ne tota vrbs in eo feruore caperetur. sed cum etiam in futurum caute prospiceret, cogitans impossibile esse vrbem seruare iam maxima sui parte captam, in mentem venit arcem hostibus cedere, subductis prius corporibus & sacris patriis, & siquid præterea secum exportare posset quod vbi placuit, pueros, mulieres, senes, & quicquid hominum erat ad fugam tardius, præmisit, iussos Idam petere, dum Achæi arcis oppugnationi intenti, de persequendis ex vrbe profugis nihil cogitant. militum autem partem exeuntibus addidit præsidio, quo tutior & expeditior eis è præsenti calamitate fuga esset, cum mandatis, vt montis loca natura munitissima occuparent. reliquam militum manum, in qua erat plurimum roboris, retinuit intra muros, eorumque viribus oppugnantem muros hostem distinuit, dum præmissa turba facilius effugeret. Sed postquam Neoptolemus cum sociis in partem arcis euasit, vniuersis Achæis succurrentibus excessit arce per portam qua fugientes emiserat; atque ita seruatis ordinibus abiit, lectissimis bigis vehens secum patrem, deos penates, vxorem, liberos, & siquid ceterorum vel corporum vel vtensilium maximi esset preti

Inter-

Interea expugnata vrbe, Achæi direptione occupati, elapsis tutum dederunt effugium. Æneas suos in itinere assecutus, vno agmine facto, recepit se in Idæ munitissima. Eodem venere Dardanenses, noctu deserto oppido. cum flammam solito maiorem ex Ilio emicantem vidissent: absque iis qui cum Elymo & Ægesto correptis nauibus ante ex oppido excesserant. Venit etiam ex Ophrynio totus populus, aliarumque Troianarum vrbium incolæ, libertatis studio ducti: breuique tempore Troianæ gentis copiæ maximæ illo confluxerunt. Itaque Æneæ socii captæ vrbi superstites, ibi morabantur, sperantes se non multo post profecto hoste ad sua redituros. Achæi vero oppidanis & circumuicinis in seruitutem redactis, vastatisque castellis, parabant se ad expugnationem montium. Sed cum ad eos venissent caduceatores acturi de pace, ac rogarent ne se ad belli necessitatem adigerent, pro concione pactum initum est his conditionibus: vt Æneas ac socii, cum suis rebus quas in fuga asportassent, intra certum tempus agro Troiano excederent, castellis in potestatem Achæorum traditis: Achæi vero ex pacto tutam eis terra marique discedendi copiam facerent. Accepit cōditionem Æneas; quippe qui nihil in præsens videbat satius: ac mox Ascanium filiorum natu maximum, cum parte sociorum quæ fere constabat ex Phrygibus, in Dascilitícum agrum ad lacum Ascanium mittit, quum ad regni administrationem ab eius regionis incolis esset accitus. sed is ibi mãsit non longo tempore. nam cum ad eum venissent Scamandrius cum aliis de familia Hectoris è Græcia à Neoptolemo dimissis, deducens eos in paternum imperium ad Troiam rediit. Et de Ascanio tantũ comperimus. cum reliquis autem filiis & patre ac delubris deorũ, Æneas parata iam classe traiecit Hellespontũ, proximam peninsulam, quæ ab Europa in mare procurrens, Pallene dicitur, nauibus petens. eam tenebat socia gens Thracum, Crusæa nomine, cuius strenua opera in bello vsi fuerant. XLVII.

Atque hæc est de Æneæ fuga fide dignissima narratio, quæ exstat apud veterem scriptorem Hellanicum in rebus Troicis. Reperiuntur & aliæ nonnullæ ab hac discrepantes; quæ mihi sane minus hac videntur esse verisimiles. iudicium sit suum cuique liberum. Sophocles tragicus in XLVIII.

Laocoonte fabula facit Æneam instante vrbis excidio in Idam cum rebus suis secedentem, quod tum pater Anchises, mandatorum à Venere acceptorum memor, sic iuberet, tum ipse ex recenti prodigio quod circa Laocoontidas acciderat, coniectaret vrbis interitum. apud eum tales exstant ex aliena persona iambi: Nunc in porta est Æneas deæ filius, humeris baiulans patrem, fulminata terga amictum fluxa veste byssina. hunc stipat tota turba familiarium: sequiturque plebes non quanta tibi placet, sed iis qui Phrygum coloniæ fauent. Menecrates autem Xanthius vrbem eum Achæis prodidisse affirmat, ob simultatem quæ illi cum Alexandro intercesserit: & in gratiam eius beneficii Græcos ei permisisse vt se cum tota domo seruaret è periculo. is ab Achillis funere auspicatus suam historiam, scribit in hunc modum: Achæos autem tenebat mæstitia; videbanturque sibi totius exercitus capite truncati attamen iustis ei persolutis, bello vniuersam hostium regionem infestabant, donec Æneæ proditione captum est Ilium. is enim ægre ferens in nullo se apud Alexandrum esse pretio, arcerique à sacerdotiis, subuertit Priamum. quibus perpetratis, ciuis Achæorum factus est. Alii dicunt eum tunc commoratũ apud Troianã stationem nauium: alii cum copiis à Priamo in Phrygiam missum ad militaris cuiusdam negotii procurationem. Nec desunt qui fabulis propiora narrẽt de eius ab Ilio exitu. integrum

XLIX. sit cuique quodlibet credere. Quæ deinde sequuntur, adhuc incertiora plerique faciunt. Alii Thracia tenus eum perducunt, ibique vitam finisse affirmant: quorum è numero sunt Cephalo Gergithius, & Hegesippus qui de Pallene scripsit, viri graues & scriptores veteres. Alii rursum è Thracia excitum, deducunt in Arcadiam: dicuntq; illum habitasse in Orchomeno Arcadico, & ea quam (licet mediterranea sit) ob cœnosas lamas & flumen, Neson (*id est Insulam*) nominant. quin & Capyas ab Ænea ceterisq; Troianis esse conditas, & deducto a Troiano Capy nomine vocatas: quod inter alios tradit Aristhus scriptor rerum Arcadiæ. Sunt qui fabulentur venisse quidem eum ad hæc loca; non tamen ibi defunctum, sed in Italia: quod cum aliis multis testatur etiam poeta Agatyllus genere Arcas, huiusmodi elegiaco:

Arcadiam

Arcadiam venit, geminasq; in Neside natas
Nuptui Codonem Anthemonemque locat.
Italiam petiit post hæc; vbi nascitur illi
Romulus.

Porro Æneam & Troianos in Italiam peruenisse confirmant Romani omnes, eorumque sacra & festi dies indicant, & Sibyllini libri cum Pythicis oraculis, aliaque multa; quæ nemo tanquam ad speciem conficta respuerit. Quin & apud Græcos multa & manifesta in hanc vsque diem eius rei exstant indicia, in quos portus appulerint, & apud quos tempestatibus aduersis detenti sint: quæ, cum multa sint, referam quam potero breuissime. Primum appulerunt ad Pallenen Thraciæ peninsulam, habitatam (vt dixi) à Crusæis barbaris; tuto ibi excepti hospitio. hic dum hibernant, Veneri templum exstruxerunt in vno è promuntoriis, & oppidum Æneam condiderunt; in quo nauigationis pertæsos reliquerunt, & siqui fuere manendi cupidi; habituros posthac eum locum pro patria. id oppidum durauit vsque ad imperium successorum Alexandri Macedonum; Cassandro demum regnante, dirutis pristinis sedibus, Æneatæ in Thessalonicam recens tum conditam cum aliis multis migrare iussi sunt. A Pallene Troiani Delum veniunt, regnante in ea Anio; vbi, florentibus insulæ rebus, & stantibus adhuc domiciliis, multa visebantur aduentus Æneæ indicia. Inde in aliam insulam Cythera ventum est, præiacentem Peloponneso; & Veneri templum ibi conditum. A Cytheris nondum Peloponnesum præteruecti, quendam ex Æneæ sociis Cinæthum in vno promuntoriorum sepeliunt, quod nunc ab eo Cinæthium vocatur: renouataque cum Arcadibus cognatis (vt post dicemus) amicitia, aliquantulum in his locis morati, relictis hic quoque aliquot è suis; Zacynthum inde venerunt, recepti à Zacynthiis iure cognationis & amicitiæ. Dardanus enim Iouis & Electræ Atlantidis filius è Batea duos (vt perhibent) suscepit filios, Zacynthum & Erichthoniū: quorum hic, Æneæ autor fuit generis; alter, Zacynthus, insulæ conditor. eius cognationis memoria benigne ab insulanis accepti, cōtriuerunt ibi aliquantū temporis, quod tum mare nauigationē non admitteret. interim Veneri in tēplo *à se* constructo

ſacra faciunt: quæ ſacra etiamnum publice peragunt Zacynthii, & certamina iuuentuti proponunt tum alia, tum curſus: in quo præmium accipit qui primus in templum peruenerit. Curſus is vocatur Æneæ & Veneris; & ambobus ſtatuæ ſunt poſitæ. Inde per altum nauigantes appulerunt ad Leucada, tenentibus adhuc eum locum Acarnanibus. hic rurſum Veneri templum conſtruunt; quod nunc eſt in parua inſula inter *iſthmum eius peninſulæ* perfoſſum, & ipſum oppidum, ſita. vocatur id Veneris Æneadis. Hinc ad Actium delati, ſtationem habuerunt in Ambracii ſinus promontorio. Inde Ambraciam peruenerunt, vbi Ambrax regnabat, Dexameni filius, Herculis nepos. in vtroque loco manent eius aduentus veſtigia: apud Actium, templum Veneris Æneadis; & prope id, aliud Magnorum deorum; quæ etiamnum exſtant: Ambraciæ vero, eiuſdem Deæ templum, & heroicum Æneæ ſacellum prope paruum theatrum; in quo etiam eſt parua antiqui operis ſtatua, quæ Æneæ eſſe dicitur. eam victimis colere ſolebant *ſacerdotes* quas ipſi appellant am-
LI. phipolos. Ex Ambracia nauibus Anchiſes oram legendo, Butrotum Epiri portum ſubit: Æneas cum militum fortiſſimo quoque duorum dierum itinere Dodonam peruenit oraculi cauſa; vbi Troianos cum Heleno inuenit: acceptoque de deducenda colonia reſponſo, & inter cetera dona oblatis Deo crateribus æreis, quorum aliquot hodieque exſtant literis antiquiſſimis teſtantes muneris auctores Troianos, ad claſſem redeunt emenſo quatuor ferme dierum itinere. A Butroto ſecundum oram deuecti in portum qui tunc Anchiſæ, nunc obliterato nomine dicitur, cum etiam ibi templum Veneri dedicaſſent, Ionium mare traiiciunt, ductoribus nauigationis aliquot qui ſe vltro comites addiderant; aſſumpto etiam Patrone Thurio cum ſuis. horum plerique poſtquam exercitus in Italiam peruenit incolumis, retro vnde venerant reuerſi ſunt: Patron ab Ænea perſuaſus vt vna in coloniam iret, & quidam ex eius ſociis, manſerunt in claſſe: quos nonnulli aiunt ſedes fixiſſe in Aluntio Siciliæ. Huius beneficii memores poſtea Romani, Leucada & Anactorium Corinthiis ademptum donauerunt Acarnanibus, & permiſerunt eis reſtituere
OEnia-

OEniadas, concesseruntque commune cum Ætolis ius fructus ex Echinadibus insulis colligendi. Ceterum Æneas & Troiani non vno loco facta exscensione in Italiam, quod maior pars nauium appulisset ad Iapygiæ promontorium, (tum Salentinum erat) reliquæ ad Mineruæ templum, vbi etiam Æneas in Italiam exscendit, (est id promontorium, cum æstiuo portu, qui ex illo tempore dicitur Veneris) præternauigarunt totam eam oram vsque ad fretum, per illa quoque loca relictis *passim* aduentus sui vestigiis: inter quæ est in Iunonis templo ærea phiala, donatoris Æneæ nomen antiquis literis testans. Vt ventum est ad mare quod Siciliam alluit, siue animi decreto, siue tempestatibus acti, quæ in hoc maris tractu non raræ sunt, appulerunt ad eam insulæ partem vbi sunt Drepana. Hic forte fortuna incidunt in Elymi & Ægesti socios; qui priores à Troia profecti, aspirante cum ventis fortuna, quum paucis onerati essent impedimentis, breui temporis spatio in Siciliam appulsi, habitabant circa Crimisum fluuium, à Sicanis in partem agrorum admissi propter Ægesti cognationem & amicitiam, qui casu quodam in ea insula natus & educatus fuerat. Nam regnante Laomedonte, quidam ex Ipsius maioribus, vir è Troa stirpe nobilis, orto inter ipsum & regem dissidio, à rege ob crimen nescio quod captus ac necatus fuerat, & cum eo omnes melioris sexus liberi, nequis vltor iniuriæ tandem exsisteret. filias vero, adhuc virgines, occidere indignum ratus, nec tamen tutum eas elocari Troianis ciuibus; dedit negotiatoribus, cum mandatis vt asportarentur in terras longinquissimas. has abeuntes adolescens quidam nobili genere natus, in eadem naui comitatur is alterius amore captus, puellam aduectam in Siciliam duxit coniugem. ex his parentibus in eadem insula Ægestus est genitus: qui linguam & mores eius regionis edoctus, post obitum parentum, a Priamo rege impetrauit reditum in veterem patriam: & cum tolerasset cum suis ciuibus bellum Achaicum, quo tempore hostes vrbe potiti sunt, nauigauit rursum in Siciliam, vna cum Elymo fugiens tribus nauibus; quas Achilles dum oppida Troiana popularetur, saxis latentibus hærentes amiserat. In hos viros postquam Æneas incidit, complexus est eos comiter: conditisque in eorum gratiam Ægesta & Elyma,

LII.

exercitus sui partem in his oppidis reliquit; quantum ego coniectura possum colligere, sua sponte, vt labore aut certe marinis iactationibus fessi, loco tuto quiescerent: tametsi quidam scribunt detrimentum classis ibi acceptum, nauibus aliquot, fœminarum opera, ob diuturnum errorum tædium, incensis: atque ita coactum Æneam reliquisse turbam, quam post exustas suas, reliquæ naues capere non poterant.

LIII. Sunt præterea multa alia Æneæ & Troianorum ad Siculos aduentus argumenta, sed luculentissimum ara Veneris Æneadis in Erycis vertice fundata, & apud Ægestanos templum Æneæ dicatum: illa, matri erecta ab ipso Ænea; hoc, in beneficii memoriam seruatori suo dicatum ab iis quos classis ibi reliquerat. Hæ igitur fuerunt sedes Troianorum qui cum Ægesto & Elymo profugerunt, appellatique sunt *in vniuersum* Elymi, quod huius propter genus regium maior esset dignitas. Æneas vero cum suis è Sicilia per Tyrrhenum mare nauigans, in Italia primum appulit ad portum Palinurum, qui ab vno gubernatorum Æneæ ibi defuncto nomen id sortitus est: deinde ad insulam applicuerunt, cui nomen indiderunt Leucasiæ, ab Æneæ consobrina circa hæc loca mortua. Illinc deuecti ad pulchrum ac profundum in Opicis portum, extincto ibi quoque Miseno viro nobili, ab eo portum denominauerunt. Inde ad insulam Prochytam & eius promuntorium Epityches appulsi, locis istis hæc nomina imposuerunt, vt ea defunctarum ibi mulierum essent monumenta: quarum altera Æneæ cognata, altera nutrix fuisse dicitur. Tandem ad Italiæ Laurentum perueniunt; vbi errorum fine inuento, vallum excitarunt: & locus in quo castra metati sunt, exinde Troia vocatur, distans à mari circiter quatuor stadia. In hanc autem nauigationem describẽdam necessario digressus sum, quandoquidem scriptores partim negant Æneam cum Troianis in Italiam venisse, partim alium quendam Æneam venisse dicunt, non Anchisæ ac Veneris filium: quidam Ascanium Æneæ filium, alii quosdam alios. Sunt qui Veneris Æneam dicũt deducta manu suorum in Italiam, rebusque ibi constitutis domum reuersum Troiæ regnasse, morientemque reliquisse regni successorem Ascanium, eiusque progeniem id regnum longo tempore tenuisse: decepti, vt opinor, versibus Homericis nō

recte intellectis. nam is poeta in Iliade sua facit Neptunũ Æneæ & Æneadûm fata prædicentem in hanc sententiã:

Imperitabit enim Teucris Æneia virtus,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Existimantes igitur Homerum horum virorum imperium in Phrygia nouisse, (quippe quod domicilio in Italia fixo, Troianis imperare non potuerint) reditum Æneæ commenti sunt. Sed quid vetabat ne Æneas Troianis sibi ascitis, etiam alibi constituta republica imperaret? Nec desunt huius falsæ opinionis caussæ aliæ. Quod si quem perplexum facit quod Æneæ sepulcra narrantur & monstrantur LIV. multis in locis; cum vnus & idem in pluribus locis sepultus esse nequeat; cogitet hanc dubitationem esse vulgarem, præsertim de iis qui in illustri fortuna vitam egerunt vagam & instabilem; & intelligat, etsi vnus duntaxat locus illorum capit corpora, apud multos tamen monumenta eis facta esse, in gratiam acceptæ vtilitatis cuiuspiam; præcipue si superessent reliquiæ generis, aut oppidum aliquod conditum; aut sicubi longiore vsi hospitio, humanos se in hospites suos præbuissent: qualia de hoc etiam heroe ferũt fabulæ. Qui enim effecit vt captum Ilium non funditus deleretur, & vt ad Bebryciam salua redirent auxilia; qui Phrygiæ regem reliquit Ascanium filium, qui in Pallene condidit ciuitatem sui nominis, qui in Arcadia collocauit filias, qui in Sicilia reliquit partem exercitus, qui in multis aliis locis se, dum ibi commoraretur, humanum præbere visus est, conciliauit sibi hominum eorum beneuolentiam: qua factum est vt postquam inter mortales esse desiit, multis in locis sepulcris & monumentis honoratus sit. alioquin non facile attuleris caussam cur tot eius per Italiam exstent monumenta. Sed de his alibi rursum dicetur, prout postulabit occasio. Quo minus LV. autem remotiores Europæ partes Troiana classis peteret, in caussa fuerunt oracula, finem in his regionibus sortita; & numinis voluntas variis modis sese proferens. Postquam enim Laurento appulsi, tentoria fixerunt per litora, cum prius homines ibi siti laborarẽt ob aquarum inopiam, (dicam quod ab incolis loci accepi) suauissimi laticis fontes sua sponte è terra visi sunt prorumpere, qui aquationem præbuerunt toti exercitui, & locum illum fecerunt irriguũ,

fontanis aquis vſque ad mare decurrentibus. nunc tamen non adeo redundant vt quicquam inde profluat, ſed in concauo loco reſtagnat aqua modica, Soli ſacra, vt ferunt accolæ. monſtrantur apud eam aræ duæ; quarum altera orientem ſolem ſpectat, occidentem altera; vtrumque Troianorum opus. in his Æneam fabulantur Deo mactaſſe primam victimam, in gratiam acceptorum fontium. Deinde prandium eis humi ſumentibus, multi menſæ vice, cibis ſubſtrauerant apium, vel (ſicut alii dicunt) cruſta triticea; quo veſcerentur mundius. abſumptis autem cibis appoſitis, cum vnus atque mox alter non temperarent ab apiis ſiue cruſtulis ſuppoſitis, quidam ex Æneæ filiis, vt fertur, ſiue is fuit alius quiſpiam è contubernalium numero, exclamat, At nos iam & menſam comedimus. quo audito omnes tumultuati ſunt, vt qui iam primum oraculi euentum cernerent. acceperant enim quoddam reſpõſum apud Dodonam, vt nonnulli ſcribunt; vt alii malunt, in Erythris prope montem Idam, vbi habitabat Sibylla eius loci Nympha fatidica. hæc iuſſerat eos nauigare occidentem verſus, donec eo locorum peruenirent, vbi menſas comederent: quod ſimulatque factum animaduertiſſent, quadrupedis ductu, vbicunque feſſa procubuiſſet animans, ibi condere oppidum. Huius oraculi tunc admoniti, alii penates è naui in præmonſtratum locum, Æneæ iuſſu efferunt; alii ſcabella eis & aras adornant: mulieres ſacra cum vlulatu & choreis adferunt. Æneas vero & comites, paratis omnibus
LVI. ad ſacrificium, coronati conſiſtunt circum altaria. Intereà dum hi vota faciunt, porca deſtinata ad victimam, grauida tum & vicina partui, incipientibus eius immolationẽ ſacrificis, proripit ſe excuſſis vinculis, & mediterranea curſu petit. Senſit Æneas hanc profecto quadrupedem præuiam deſignaſſe oraculum: eamque cum paucis modico interuallo ſubſequitur, veritus ne inſectationis ſtrepitu territam à via fatali auerteret. illa ferme viginti & quatuor ſtadiis à mari digreſſa, in collem quendam procurrit, ibique feſſa quieuit. At Æneas qui animaduertebat finem oraculi, videns eum agrum nec terram habere bonam, & procul abeſſe à mari, eoq; importuoſo, incertus erat animi, vtrum deberet parêre vatum monitis, & male per omnem vitam habitare in loco nullius boni participe; an longius meliorem

rem terram quærere. Hæc animo agitanti, & numina incuſanti, repente vox quædam è nemore dicitur edita, non apparente qui loquebatur, iubens maneret ibi, & cito conderet oppidum; neue præſenti hæſitationi indulgens, quaſi agrum habiturus ad paſtiones & degendam vitam parum commodum, breui poſt venturã felicitatem pateretur elabi è manibus. eſſe enim in fatis vt ex hoc inopi & modico profecti domicilio, tandem multos ac bonos agros acquirant; eius vero liberi & poſteri ſibi parent imperium longe ampliſſimum, & plurimis duraturum ſeculis. in præſens Troianos debere contentos eſſe his ſedibus: poſt totidem annos quot ſus porcellos pepererit, fore vt ipſius poſteri condant aliam vrbem magnam & florentem opibus. Tum vero Æneam, ratum diuinam eſſe vocem, imperata feciſſe. Alii narrant heroi ſollicito & languenti præ mæſtitia, & neque ad caſtra deſcendenti, neque cibum admittenti, ſed illic ita vt erat noctem illam cubanti, viſum in ſomnis ſpectrum ingens & mirum, ſimulata vnius è penatibus diis ſpecie; & præmonuiſſe quæ modo dicta ſunt vtrum ſit verius, nouit Deus. Poſtera die ſuem triginta porcellos peperiſſe dicitur, & poſt totidem annos à Troianis aliam vrbem eſſe conditam iuxta vocem fatidicam; de qua ſuo loco memorabimus. Æneas fœtum ſuis, vna cum matre, diis LVII. penatibus immolat eo loco vbi nunc eſt caſa lignea, quam Lauinienſes ſacram exiſtimantes, ceteris inacceſſam ſeruant: iuſſiſque Troianis in collem mouere caſtra, Deorum ſimulacra in opportuniſſimo collis loco ſtatuit; continuoq; oppidum ædificare maxima omnium alacritate aggreditur, excurrens in circumuicina, & conquirens quicquid ad vrbis ædificationem vſus poſtularet: non ſine agreſtium indignatione ferrum, ligna, inſtrumentumque ruſticum auferens. Interea Latinus, penes quem tum erat regnum, aduerſus finitimos Rutulos bellum gerens, aliquoties parum feliciter pugnauerat. ei mox terribilis nuntius aduolat, vaſtari totam oram maritimam ab extero exercitu: cui niſi occurratur celeriter, fore bellum cum vicinis difficilius. His auditis metus virum ſubit, confeſtimque intermiſſo præſenti bello, in Troianos magnum educit exercitum. At cum videret eos Græco more armatos, & ſeruatis ordinibus impauide inſtantem martis aleam exſpectantes, inter-

mittit dimicationem subitam; quippe qui se illos primo impetu, quo feruentissime domo festinarat, subigere posse desperaret: castrisque in quodam colle positis, decreuit primum suos longo & contentissimo itinere fatigatos reficere. vbi cum per noctem commorans, cum hoste sub auroram confligere decreuisset, quidam indigetum dæmonum in somnis illi assistit, monens vt Græcos in agri partem recipiat. aduentum enim eorum esse in rem Latini maxime, bonoque futurum vniuersæ genti Aboriginum. Itidem Æneam dii penates eadem nocte per visionem oblati hortantur, persuadeat Latino vt sponte sedes concedat vbi voluerint, malitque Græcis sociis vti quam hostibus. ambos certe somnium vetabat incipere prælium. Vt vero exorto die in procinctu stabant acies, vtrinque ad duces missi caduceatores, postulantes eorum colloquium: id quod impetratum est.

LVIII. Ac prior Latinus questus peti se repentino & non denuntiato bello, rogabat Æneam quisnam esset, quamue ob caussam ageret ferretque res suas, nulla vnquam lacessitus iniuria, nec ignorans omnes qui priores infestantur, belli auctores armis persequi solere: cumque licuisset ei quæcunque petiisset moderata, amice à volentibus ac lubentibus incolis impetrare, ea violato iure gentium, turpius quam honestius per vim sibi vsurpare maluisset. Ad hæc Æneas respondit: Nos Troiani sumus genere, profecti ab vrbe apud Græcos non incelebri: qua post decennale bellum ab Achæis capta & nobis adempta, errabundi vrbem aliam & agros vbi habitemus in posterum, quærimus: Diisque ita iubentibus huc peruenimus; quorum oracula pollicentur hanc solam terram nostris erroribus portum fore. ex agris autem res vsibus nostris necessarias quærimus miseriæ nostræ magis quam honesti memores; quod nuper *factum* nequaquam volebamus. sed hanc iniuriam pensabimus multis beneficiis & officiis, offerentes vobis & corpora & animos duris iam rebus probe exercitos: quibus si vti libet, à vestris agris omnem iniuriam arcebimus, hostilesque vna vobiscum alacriter occupabimus. supplices certe oramus ne anteacta iratis accipiatis animis, cogitantes, necessitatis hoc, non petulantiæ fuisse facinus: quandoquidem omne peccatum inuoluntarium meretur veniam. Quare æquum fuerit vos nihil durius consulere in suppli-

ces.

ces sin minus, veniam eorum quæ coacti facimus, à diis & numinibus terram hanc tenentibus precati, vos bellum mouentes propulsare conabimur. nec enim primum hoc bellum gesturi sumus, nec maximum. Ad hæc Latinus: Equidem & Græcorũ omne genus diligo, & fatalibus hominum casibus condoleo: essetque mihi curæ vestra incolumitas, si compertum haberem vos sedium inopia huc aduenisse; agrique portione contentos, amice nobiscum & beneuole fruituros iis quæ dabuntur; nec conaturos meam mihi dicionem vi eripere. Quodsi vera sunt quæ dicitis, fidem date & accipite, quæ nostra sine dolo malo confirmet fœdera.

LIX. Ænea vero probante regis sententiam, fœdus inter vtrosque ictum est his conditionibus: vt Aborigines darent Troianis agri quantum peterent, à colle quoquouersus stadia circiter quadraginta: Troiani Aboriginibus essent in præsenti bello socii; eorumque auspiciis, vbicunque vsus postulauerit, militarent: vtrique alteros pro viribus iuuarent mutuum, tam manu quam consilio. Hæc pacti, datis vltro citroque obsidibus, communem expeditionem in Rutulos faciunt: breuique captis vniuersis illorum oppidis, reuertuntur ad semiperfectum Troianorum oppidum, & pari omnes alacritate id muniunt. ei nomen Æneas indidit Lauinium; vt ipsi Romani dicunt, à Lauina Latini filia; vt Græci quidam fabulatores, ab Anii Deliorum regis filia, eodem vocata nomine: in cuius morbo per id tempus extinctæ ibique sepultæ memoriam, oppido vocabulum aiunt impositum. hanc Æneæ precibus impetratam à patre, nauigationis comitem Troianis fuisse perhibent, quod sapiens esset ac fatidica. Fertur, dum Lauinium conditur, oblata Troianis quædam prodigia: in nemore accenso sua sponte igni, lupum ore aggessisse fomitem aridum; ibi aquilam aduolasse, & alarum ventilatione flammam excitasse: vulpem contra cauda in flumen intincta, ignem ab illis accensum aspersisse: & nunc accendentibus, nunc extinguente, præualentibus, tandem vicisse illos duos, hanc vero abiisse conatu irrito. Quo viso Æneam dixisse, illustrem quidem, nobilemque, & mirandam futuram eam coloniam, sed suis incrementis inuidiosam & molestam circumuicinis;

Lauinium.

fere tamen vt tandem vincat aduersarios, humanæ inuidiæ prævalente fauore numinum tam insigne futurę vrbis fortunæ præsagium tunc accidisse dicitur: extantque rei monumenta in foro Lauiniensium, æreæ horum animalium effigies, longissimo ibi tempore asseruatæ.

LX. Absoluto Troianorum oppido, animos vtrinque cupido incessit percipiendæ vtilitatis mutuæ: & initium huius rei factum est à regibus, qui per connubium æquauerunt dignitatem exterorum atque ciuium, Latino Æneæ vxorem dante Lauinam filiam. Dein exemplo regum ceteris quoque animo suo morem gerentibus, breui admodum tempore collatis in vnum moribus, legibus, & Deorum ceremoniis, communicato per connubia genere ac iure ciuitatis, commixta ex vtrisque respublica; & appellatione à rege Aboriginum desumpta, Latinos se vocarunt; pactisque adeo steterunt firmiter, vt nullo vnquam tempore ab inuicem dirempti fuerint. Atque hæ sunt gentes quibus in vnam rempublicam conuenientibus Romanum genus concreuit, ante vrbem quam nunc tenent, conditam: primum Aborigines, qui ex his locis eiecerunt Siculos, ipsi Græci generis, oriundi à Peloponnesiis cum OEnotro ab Arcadia in has sedes profectis, vt ego credo. deinde Pelasgi, qui demigrarunt ex Hæmonia, quæ nunc dicitur Thessalia. tertii, qui ex oppido Palantio in Italiam cum Euandro venere. post hos è Peloponnesiis Herculi militantibus, Epei atque Pheneatæ; quibus & Troiani generis nonnihil permixtum erat. Postremo Æneæ socii elapsi ex Ilio, Dardanoque, & ceteris Troianis oppidis.

Romanæ gentis progenitores.

LXI. Quod autem etiam Troiani cum primis Græcanica natio fuerint, profecta olim à Peloponneso, dictum est quidem iam pridem & ab aliis, dicetur tamen à me quoque breuibus. Narratur autem de illis hoc modo. Primus in ea quæ nunc vocatur Arcadia regnauit Atlas, habitans circa mõtem Caucasum. huic filiæ fuere septem, nunc relatæ inter sidera, Pleiadum cognomine. vnam ex his Electram duxit Iupiter; ex qua suscepit filios Iasum & Dardanum. Iasus, mansit cælebs; Dardanus, vxorem habuit Chrysen Palantis filiam, & ex ea filios Idæum & Dimantem, qui Atlanti successerunt, & regnum Arcadiæ aliquandiu tenuerunt. deinde cum ingens diluuium accidisset per Arcadiam, cum ob stagnantes in planitie

planitie aquas, agri diu coli non potuissent, homines ad
montana se conferre coacti parco victu sustentabant vi-
tam: *cuius pertæsi*, & animaduertentes reliquum agrum
non suffecturum alendis omnibus, totum populum in par-
tes duas diuidunt. altera in Arcadia mansit, Dardani filio
Dimanti regno credito: reliqui magna classe demigrarunt
è Peloponneso. hi præter Europam nauigantes, & in Me-
lanem sinum delati, appellunt ad insulam quandam Thra-
ciæ, de qua nō possum affirmare descrtane an prius quoque
habitata fuerit. ei Samothraciam nomen fecerunt, ex viro
& loco compositum. ipsa enim, ad Thraciam pertinet: cō-
ditor autem eius, fuit Samon Mercurii filius & nymphæ
Cyllenicæ, Rhenes nomine. ibi non diu commorati, quod
molestam vitam agerent, pugnantes simul cum sterilis
terræ & maris asperi difficultatibus, paucis aliquot in in-
sula relictis, denuo maior pars migrarunt in Asiam, dedu-
cente coloniam ipso Dardano. nam Iasus in insula fulmi-
ne ictus periit, quod Cereris concubitum appetiisset. Ex-
scensione autem in Hellesponto facta, eam habitauerunt
terram quæ nunc Phrygia dicitur: Idæus Dardani filius, cū
parte exercitus, montes qui nunc Idæi ab eo vocantur: vbi
condito Matri Deûm templo, mysteria & sacra instituit,
quæ adhæc vsque tempora durant per totam Phrygiam. I-
pse autem Dardanus in ea quæ nunc Troas est, sui nomi-
nis oppidum condidit, acceptis agris à rege Teucro, à quo
Teucris tunc dicebatur ea regio. Hunc & alii multi, &
Phanodemus qui scripsit de Atticis antiquitatibus, aiunt
ex Attica sedes transtulisse in Asiam, cum esset princeps pa-
gi Æxonensis; multisque argumentis fidem suo sermoni
adstruunt: & quod obtinuisset terram magnam & bonam,
nec multos habentem indigenas, libenter vidisse Darda-
num cum Græcorum copiis, tum vt sociis vteretur contra
hostes barbaros, tum ne terra careret cultoribus. Nunc LXII.
vt etiam de Æneæ maioribus dicamus, locus postulat; id
quod paucis indicabitur. Dardanus post Chryses Palantis
filiæ, quæ primos ei filios peperit, obitum, Bateam duxit
Teucri filiam. ex his filius prognatus est Erichthonius, qui
fertur fuisse omnium hominum fortunatissimus, quod &
in patris & in materni aui diciones hereditario iure succes-
serit. is è Callirœ Scamandri filia Troëm genuit; à quo gēti

nomẽ impositũ. Trois, & Acalidis Eumedis filię, fuit Assaracus: huius porro & Clytodorę Laomedontis filię, Capys: Capys & Naidis nymphæ; Anchises, Anchisæ & Veneris, Æneas. Itaq; Troianũ etiam genus oriundũ à Græco satis declarauimus. Ceterum de tẽpore quo Lauinium est côditum, auctores variant. mihi propiores vero videntur, qui secundo anno post discessum à Troia id factũ autumant. Iliũ enim captũ est vergente iam æstate, septẽdecim diebus ante solstitiũ, octaua desinẽtis Thargelionis die, iuxta supputationem temporũ Atticam. supererãt ex eo anno post solstitium dies viginti. Itaq; trigintaseptẽ diebus qui captã vrbem secuti sunt, existimo Achæos res vrbis composuisse, & legationes accepisse ab iis qui excesserant, fœdusq; cum eis fecisse. Sequenti autẽ anno, qui ab vrbe capta fuit primus, circa æquinoctium auctumnale Troiani à terra soluentes Hellespontũ traiiciunt: delatiq; in Thraciam, exegerunt ibi hiemem, colligẽtes profugos, & futurę nauigationi sese parantes. ex Thracia vero primo vere profecti, emẽsi sunt spatium illud quod inter Thraciam & Siciliã est interiectũ. Iteam appulsi, manserũt ibi vsq; ad eius anni exitũ: vbi etiam altera hiems exacta est, dũ Elymis oppida condunt in ea insula. mox vt mare visum est nauigationẽ admittere, soluentes à Sicilia, traiiciunt mare Tyrrhenicum; tandemq; Laurentum in Aboriginũ litore perueniunt, æstatis medio: acceptoque illo agro, côdiderunt in eo Lauiniũ, expleto anno post captum Ilium secundo. Et de his quidẽ rebus opinionem nostrã indicauimus.

LXIII. *Anni à Troia capta.*

LXIV. Ceterum Æneas postquã tẽplis ceterisque ornamentis id oppidum satis instruxit, quorum pleraq; ad nostra tempora durauerunt, sequẽti quidem anno hoc est post discessum suum tertio, Troianorum tãtum rex fuit: quarto autem defuncto Latino, etiam illius regno potitus est, tum affinitatis iure, quod post Latini obitum ad solam Lauinam vniuersa peruenisset hereditas: tum quod belli aduersus finitimos dux esset designatus. Rutuli enim denuo à Latino defecerant, ductu cuiusdam transfugę. is erat Turnus côsobrinus Amatæ Latini côiugis: qui propter Lauinæ nuptias affinẽ Latinum incusans, quod præteritis cognatis exterum sibi asciuisset generum, Amata quoque instigãte, & aliis quibusdam fauentibus, cum militum manu cui præerat, ad Rutulos transierat. Ex his caussis redintegrato

Æneas Latino succedit in regno Latii.

tegrato bello, & commisso acri prœlio, Latinus cecidit atque Turnus, cum multis aliis. Æneas tamen & victoriam consecutus est, & regnum soceri: in quo tribus annis exactis post Latini obitum, quarto bellum gerens interiit. nam & Rutuli vniuersi oppidatim arma contra eum sumpserunt, & vna rex Tyrrhenorum Mezentius, timens suæ dicionis oppidis, quod suspectam haberet crescentem magis ac magis Græcorum potentiam. Itaque pugnatum est acriter non longe à Lauinio; & multis vtrinque desideratis, nox diremit prœlium. corpus Æneæ cum quæsitum nusquam compareret, alii cõiectabant eum discessisse ad Deos, alii necatum in flumine apud quod pugnatum erat. Latini sacellum heroi dicauerunt, cum inscriptione hac: PATRI DEO INDIGETI, QVI NVMICI AMNIS VNDAS TEMPERAT. Sunt tamen qui dicant id Æneam dicasse Anchisæ, defuncto ante hoc bellum anno proximo. est autem tumulus non magnus, & circumcirca in ordinem digestæ arbores spectatu dignæ. Ænea ex hominibus exempto, septimo ferme anno post captum Ilium, Euryleon regno Latinorum potitus est, mutato nomine in exsilio dictus Ascanius. Obsidebantur tum Troiani, crescentibus indies hostium copiis. nec Latini poterant Lauinio succurrere. ac primum ad æquas pacis & amicitiæ conditiones hostem inuitabat Ascanius: quæ cum fastidirentur, coactus est hosti permittere arbitrium, modo pax fieret. sed cum Tuscus rex tum alia intoleranda vt iam subactis imperaret, tum vt quantum vini Latinus ager ferret, quotannis deportarent in Etruriam; rem indignam rati, vinetorum fructum Ioui sacrum esse publico decreto sanciunt ex Ascanii sententia: seque inuicem cohortati ad rem gerendam fortiter, inuocataque ope numinum, erumpunt obseruato lunæ silentio moxque aggressi propinquum vrbi vallum, quod sibi hostes in loco munito obiecerant, præsidiumque iuuentutis Etruscorum lectissimæ duce Mezentii filio Lauso imposuerant, improuiso incursu munimentum strenue capiunt. Interea ceteri qui castra metati fuerant in planitie, vt videre lumen intempesta nocte exortum subito, & voces audiuere morientium, in montana ex campestribus refugiunt: erantq;

LXV.

Ascanius, II. Latinorum rex.

omnia plena trepidatione atque tumultu; vt solet fieri tur
bato per noctem exercitu, dum metu imminentium hosti
um non potest miles contineri in ordinibus. Latini autem
expugnato repentina vi præsidio, cum etiam reliquum ex
ercitum animaduertissent esse turbatum, instabant fugien
tium tergo, fundentes & fugantes: qui adeo virtutis erant
immemores, vt vix satis intelligerent in quanto essent pe
riculo: sed præ tumultu inopes animi atque consilii, pars
per prærupta loca delabentes exhalabant animam; alii de
lati in fauces imperuias, veniebant in potestatem hostium
maxima pars sublato per tenebras discrimine, conficiebant
se inuicē pro hostibus: pluresque suis quam hostilibus ar
mis interierunt. Mezentius cum paucis occupato quodam
tumulo, postquam audiuit mortem filii, tantamque strage
exercitus, considerans in quam angustum se conclusisse
locum, vt in rebus dubiis, misit caduceatores Lauinium
acturos de fœdere: & cum Latini suadente Ascanio mo
derate fortuna vsi essent, impetrata certis conditionibus
pace, reductisque *quæ supererant* copiis, posthac posi
aduersus Latinos inimicitiis, constanter mansit in ami
citia. Trigesimo autem anno post conditum Lau
LXVI. nium, [Ascanius Æneæ filius, ex oraculo Æneæ dato,
liam vrbem condit: tralatisque Lauiniatibus] & ceter
Latinis quos commodius habitandi cupido cepisset,
recens conditam vrbem, Albam ei nomen imposuit: Græ
ci sua lingua Leucen dicerent. additum est cognomen Lo
gæ, à situs forma, vt discerneretur ab altera eiusdem nom
Alba longa nis: ac veluti composito vocabulo Alba lōga, quod Græc
esset Λευκὴ μακρά, nominatur. nunc tamen deserta est. nam
regnante Romæ Tullo Hostilio, quoniam videbatur cum
sua colonia de principatu contendere, solo æquata est à Ro
manis; eiusque ciues vrbs Roma, destructa matrice, intra
sua mœnia recepit. Sed hæc euenerunt postea: olim cum
ædificaretur, ita fuit condita, vt medium inter montem
lacum obtineret spatium. hi vrbis veluti muri, obstaba
quo minus facile caperetur. nam & mons cum primis
tus est ac tutus, & lacus profundus ac magnus: ex quo
ductis claustris in subiectos campos aqua dispensatur arb
tratu agrestium. prospectat autem in campos amœnita
mirandos, omnis generis frugum fertilissimos, nec cede

tes vlli agro Italiæ, præcipue bonitate vini suauissimi; quod
Albanum vocant, præcellens omnibus reliquis, si Falernũ
excipias. Dum autem conderetur, accidisse ferunt mi- LXVII.
rum prodigium nam cum simulacris Deorum, quos Æ-
neas à Troia deuectos Lauinii collocauerat, templum ex-
structum esset cum adyto, & statuæ è Lauiniate templo in
hæc penetralia translatæ; sequenti nocte, clausis vt cũ ma-
xime foribus, & inuiolatis tecto simul atque parietibus, si-
mulacra mutata statione in pristinas bases transisse reper-
ta sunt: denuoque Lauinio cum votis & sacrificiorum pla-
caminibus transportata, in eundem locum rursus vt ante,
sunt reuersa. Dubitatum est diu quidnam facto opus esset,
quum neque sine Diis patriis habitandum censerent, ne-
que in semel relictas sedes remigrandum. tandem placuit
sententia quæ & religioni Deorum, & vtilitati hominum
satisfaceret. visum enim est simulacra suo loco sinere, & vi-
ros qui sacrorum curam gererent ex Alba ad Lauinium in-
colendum reducere. fuerunt hi sexcenti numero, commi-
grarũtque illo cum totis familiis duce Ægesto. Hos Deos
Romani Penates vocant; Græci vario modo conati signi-
ficationem reddere, alii πατρῴους, alii γενεθλίους, quidam κτη-
σίους, quidam μυχίους, nonnulli ἑρκίους appellarunt. quarum
appellationum singulæ, aliquam eorum proprietatem ex-
primere voluisse videntur: fierique potest vt, licet non eo-
dem modo, idem tamen omnes aliquatenus significẽt. Eo-
rum effigiem atque habitum Timæus describit in hunc
modum: sacra in Lauiniatum adytis reposita, esse caducea
ferrea & ærea, Troianamque testam fictilem: idque se co-
gnouisse ait ex ipsis ciuibus. Ego vero quæ videre non est
fas omnibus, neque audire ab his qui viderunt licet, ea nec
scripto prodenda censeo quin & illis succenseo, qui curiose
inquirunt & sciscitantur plura quam concessum est legibus.
Quæ autẽ mihi ipsi sunt perspecta & cognita, nec vlla reli- LXVIII.
gio vetat scribere, sunt hæc: Templum Romæ non procul
foro ostenditur, secundum viam quæ ad Carinas fert com-
pendio, supra modum obscurum, nec magnum structura.
locus vernacula gentis lingua dicitur Subuelia in eo posi-
tæ sunt Troianorum Deorum imagines, quas cuiuis fas
est inspicere, cum inscriptione DENAS, quæ Penates signi-
ficat. videntur enim mihi prisci, ante inuentum P, vsurpasse

pro eo D literam. sunt autem hastati duo iuuenes, habitu sedentium, admodum antiqui operis. alia quoque multa in antiquis templis horum Deorum idola conspeximus, & in omnibus duos iuuenes militari habitu. Hæc igitur videre fas est; fas etiã audire de illis & scribere quæ exstant in Callistrati historia quam edidit de rebus Samothraciæ, & apud antiquarũ fabularum collectorem Satyrũ, & cũ alios multos tum Aratinum poetam, omniũ quos scimus antiquissimũ; apud quos ita legitur: Chrysen Palantis filiam, quum Dardano nuberet, attulisse dotem Mineruæ munera, effigies videlicet ipsius deæ, simulque sacra Magnorũ Deũm quorum mysteria didicerat. sed postquam diluuium fugientes Arcades, relicta Peloponneso, vitæ sedes in Thraciæ insula fixerũt, Dardanum ibi templũ exstruxisse his Diis, nomini communicato eorũ nomine proprio, ritusq; illis instituisse, quibus & hodie mos est initiari in Samothracia. deinde cum maiorem populi partem transportaret in Asiã, sacra quidem ac mysteria penes eos reliquisse qui manserũt in insula, Palladia vero & Deorum imagines secum abstulisse cumq; oraculum de sedibus consuleret, inter cetera de asseruandis sacris hoc esse admonitum oraculo:

LXIX.

Perpetuum diuis cultum sancibis in vrbe
Quam statues; ritu que coles sacrisque, chorisque.
Nam dum sancta manent regioni munera vestra,
Vxori quæ dona tuæ dedit inclyta Pallas,
Vastatrix vrbem non tanget dextera Martis.

Atque ita Dardanum in vrbe à se condita & denominata reposuisse hæc simulacra: postea cum Ilium habitari cœpisset, nepotes illo transtulisse hæc sacra *gentilitia*; dicatũq; his ab Iliensibus in arce templum cũ adyto: ibiq; asseruata quã possent diligentissime, omnibus missa diuinitus existimantibus, & penes illa esse incolumitatẽ publicam. Æneam autẽ, capta inferiore vrbe, potitum arce, sacra Magnorum Deũm ex adytis abstulisse cũ eo quod supererat Palladio: nam alterum nocturno furto Vlixis ac Diomedis surreptum. cum his Æneam ex vrbe profugisse, eaq; secum in Italiam deportasse. Aratinus autem dicit à Ioue donatum Dardano vnum Palladium; idque in vrbe Iliaca, tantisper dum ea caperetur, in adyto absconditum fuisse. ad eius exempla

plar imaginem indiſcretæ ſimilitudinis effictam fuiſſe, ac in propatulo poſitam, ad fallendas inſidias; eamq; furto Achæos ſubduxiſſe. Itaq; hos ſecutus auctores, aio ſacra per Æneam in Italiam translata, eſſe Magnorum Deûm imagines, quibus inter Græcos Samothraces initiantur præcipue, fabuliſq; celebratū Palladium; quod dicunt in templo Veſtæ cuſtodiri à ſacratis virginibus; vbi etiam aſſeruatur ignis perpetuus: de quibus dicetur alias. poteſt autem fieri vt præter hæc ſint etiam alia, quæ nos profani homines ignoremus. Et de ſacris Troianis hæc dicta ſufficiant.

Aſcanio autem defuncto regni ſui trigeſimo octauo anno, Siluius aſſumpſit imperium, frater Aſcanii, poſt mortē Æneæ ex Lauina Latini filia natus; quem ferūt inter paſtores educatum in montibus. cum enim regno potitus eſſet Aſcanius, grauida tum Lauina, metuens nequod nouercæ nomen ſibi crearet malum, commiſit ſe fidei Tyrrhi cuiuſdam, qui regiis ſubulcis præerat. eum enim Latino cū primis familiarem fuiſſe nouerat. Is ergo abductam in deſerta ſiluarum, quaſi vulgarem quāpiam mulierem alebat, conſtructo in nemore tugurio, cauēs ne ab iis quibus erat nota, conſpiceretur: natumq; infantem ſuſtulit & educauit, atque à ſilua Siluium denominauit: Græci Hylæum dicerēt. Tempore autē procedente, vt cognouit Latinos diligenter quærere puellam, & ſuſpectum eſſe de eius nece Aſcanium, indicauit rem totam populo & ipſam vna cum puero produxit è nemore. Ita Siluius ex oblato ſibi caſu nomen inuenit; quod deinceps manſit in progenie. regnum autem adeptus eſt poſt fratris mortem, non ſine controuerſia; quod Iulus maior Aſcanii filius, poſtularet in paternum regnum ſuccedere. ſed eam litem populus diremit *iuſto* ſuffragio, præter alias rationes hac motus præcipua, quod Siluius matre natus eſſet ad quam ſolam vniuerſa regni hereditas pertineret. Iulo vero pro regno honor ſacerdotii repoſitus eſt, regio imperio ſecurior ac quietior; quo ad noſtram vſque ætatem fruitur gens Iulia, auctoris appellationem referens, & omnium quas ego ſciam familiarum maxima atque illuſtriſſima. tulit enim duces præſtantiſſimos, virtute facile approbantes nobilitatem ſui generis; de quibus aliâs dicetur conuenientius.

LXX. *Siluius*

Porro Siluius cum vndetriginta annis tenuiſſet imperi- LXXI.

Æneas Sila. um, Æneam filium heredem reliquit principatus, quem regno & vita exemit annus alter à trigesimo. Post hunc *Latinus Sila.* quinquaginta & vnum annos regnauit Latinus: post quem *Alba S.* Alba vnde quadraginta annos. Post Albam Capetus *Capetus S.* vigintisex annis regnum tenuit; Capys deinde annis *Capys S.* duodetriginta. Calpetus post hunc in regno annum attigit *Calpetus S.* tredecimum; post quem octenni spatio regnauit Tiberinus. *Tiberinus S.* hunc perisse dicunt in commisso iuxta fluuium prœlio; abreptumque rapidis eius gurgitibus, fecisse vt mutato prisco *Agrippa S.* nomine Tiberinus vocaretur pro Albula. Agrippa huic successit, regnauitq; anno vno & quadraginta: post Agrip- *Alladius S.* pam vndeuiginti Alladius, tyrannicum Deisque inuisum ingenium.is, Deorum contemptor, commentus est quo modo tonitrua & fulmina imitaretur, vt ciuibus hoc terrore attonitis haberetur pro Deo. Sed imbribus & veris fulminibus in eius ędes irruentibus, stagnoque iuxta quod habitabat præter solitum exundante, diluuio cum tota domo absorptus est: & nunc quoque decrescente stagno & aquis decedentibus, per tranquillitatem spectantur diruta atria, *Auẽtinus S.* & alia habitationis vestigia. Auentinus post eum successit, à quo nomen vni è septem vrbis collibus; tenuitque regnū *Proca S.* annis triginta septem: & post hunc Proca, viginti tribus. *Amulius S.* Hunc proxime secutus est Amulius, qui regnum maiori fratri Numitori debitum, per iniuriam occupauit, & per annos quadragintaduos tenuit. Post hunc cæsum à Romulo & Remo natis Vestali virgine, vt mox dicetur, legitimū *Numitor S.* regnum ad Numitorem rediit, maternum adolescentum auum. Altero deinde regnantis Numitoris anno, post Iliū captum quadringētesimo trigesimo secundo, Albani, Ro- *Vrbis conditæ annus I.* muli & Remi ductu, coloniam miserunt Romam, anno primo septimę Olympiadis qua stadium vicit Daicles Messenius, archonte Athenis Charopo, decennis eius principa-

LXXIII. tus anno primo. Quoniam autē auctores multum variant tā de tēpore quo vrbs est condita, quā de ipsis conditoribus: nec mihi videtur rē, quasi confessam, esse obiter tantū attingendā. Nam Cephalon Gergithius, scriptor antiquissimus, secunda ætate post bellum Troianum ait conditam ab iis qui cū Ænea ex Ilio se proripuerant. conditorē eius nominat Romum, coloniæ ducem: fuisseq; hunc vnū ex Æneæ filiis. nam quatuor Æneam habuisse filios, Ascanium, Euryleontem,

tyleontem, Romulum, Romum. Cum hoc de tempore conſentiunt Demagoras & Agathyllus, multique alii, quemadmodum & de duce coloniæ. Sed is qui recenſet mulieres ſacerdotio apud Argos functas, & quid geſtum ſit cuiuſque tempore, Æneam dicit è Moloſſis in Italiã cum Vlixe delatum, vrbis conditorem fuiſſe; nomenque illi indidiſſe à quadam Ilienſi fœmina Roma: quam narrat ceteras Troianas hortatam effeciſſe vt facto ſecum impetu naues exurerent, nauigationis & errorum tædio. huic aſtipulatur Damaſtes Sigenſis, & quidam alii. Ariſtoteles philoſophus ſcribit Achæorum partem à Troiano bello redeuntem circum Maleam curſum flexiſſe; correptoſque à ventis, tempeſtatis vi, vltro citroq; diu per altum iactatos, tandem appuliſſe ad eam Opicæ regionis oram quæ vocatur Latium, Tyrrhenoque mari alluitur. cumque optati litoris deſiderio naues illo ſubduxiſſent, exegiſſe ibi totã hiemem, ineunt vere abnauigare paratos. ſed quum naues eis nocturno incendio conflagraſſent, adempta profectionis facultate neceſſitatem in voluntatem vertiſſe, vitæque ſedes in agris ad quos appulerant fixiſſe. eum caſum obueniſſe illis captiuarum Ilienſium opera, quod metuentes ne ſe domum in ſeruitutem abducerent, ignem in naues conieciſſent. Callias autem Agathoclis rerum geſtarum ſcriptor, Romam quandam Troianam fœminam cum ceteris Troianis delatam in Italiam, nupſiſſe Latino Aboriginum regi, eique duos peperiſſe filios, Remum & Romulum; à quibus conditæ vrbi nomen matris impoſitum. Xenagoras hiſtoricus, Vlixis & Circes tres fuiſſe filios, Romum, Antium, Ardeam; eoſque conditis tribus oppidis, à ſe indidiſſe illis nomina. Dionyſius Chalcidenſis cõſentit quidem de auctore vrbis Romo; ſed eum iuxta quoſdam, Aſcanii fuiſſe filium dicit; iuxta alios, Emathionis. nec deſunt qui dicant Romam conditam ab Itali filio Romo, nato ex Electra Latini filia. Poſſem & alios multos LXXIV.
Græcorum ſcriptores adducere variantes de vrbis conditoribus: ſed ne verboſior videar, præſtat tranſire ad Romanos; apud quos nemo antiquus exſtat nec fabularum auctor nec hiſtoriæ: vnuſquiſque tamen aliquid deſumpſit ex antiquis narrationibus, quæ in ſacris libris aſſeruantur dicatæ numinibus. Horum quidam volunt Æneæ

filios fuisse Romulum & Remum, conditores vrbis: alij Æneæ ex filia nepotes, tacito patris nomine. hos Æneam Latino Aboriginũ regi dedisse obsides ex fœdere icto inter indigenas & aduenas: puerosque benigne apud regem habitos, non solum educatos liberaliter, verumetiam cum is absque virili prole decederet, relictos ex parte quadam heredes imperii. Alii dicunt Ænea defuncto Ascanium ex asse regni heredem relictũ, assumpto principatu, agros & opes Latinorum tripartito diuisisse cum Romulo & Remo fratribus: ipsum deinde Albam condidisse & alia quædam oppida: Romulũ vero, Capuam, à Capy proauo denominatam; Anchisam, de Anchisæ aui sui nomine: de patris autem nomine, Æneam, quę post fuit Ianiculum; Romam quoque, de suo. hanc desolatam aliquamdiu, rursum Albanis aliam coloniam eo Romuli & Remi ductu mittentibus, pristinam formam recuperasse: vt iam eadem vrbs intelligatur bis condita; semel, non multo post belli Troiani tempora; iterum ætate post priorem quintadecima. Quodsi quis rem altius velit repetere, tertiam etiam Romam his antiquiorẽ inueniet, vt quæ ante Æneæ Troianorumque in Italiam aduentum fuerit. Hoc autem non vulgaris aliquis nec recens scriptor prodidit, sed Antiochus Syracusanus, cuius iam supra memini. Is ait Morgete in Italia regnante (Italia tum erat ora quam lõga à Tarento Pæstum vsque protenditur) venisse ad eum quendam Romanum exsulem. verba ipsius sunt hæc: Postquam autem Italus consenuit, Morges pro illo regnauit. huius tempore Roma venit vir quidam profugus, nomine Siculus. Atque ita ex auctoritate Syracusani huius scriptoris inuenitur quædam antiqua Roma, Troianis temporibus superior. vtrum autem eodem loco sita fuerit vbi nostri temporis Roma incolitur, an alius locus idem nomen habuerit, quemadmodum ille incertum reliquit, ita nec ego coniicere valeo. Et de priscis quidem eius conditoribus
LXXV. hæc dixisse sufficiat. Extremam autem Romæ ædificationem, siue ea deductio habitatorum potius dicenda est siue quodcunque aliud, Timæus Siculus nescio quam regulam secutus, ait congruere in tempus quo Carthago est condita, trigesimooctauo anno ante primam Olympiadem: Lucius autem Cincius, vir Senatorii ordinis, in
quartum

quartum annum Olympiadis duodecimæ. Porcius Cato Græcam temporum rationem non indicat: alioquin cum eſſet perdiligens antiquæ hiſtoriæ collector, dicit quadringentis triginta duobus annis poſteriorem bello Iliaco: quod tempus dimenſum iuxta Eratoſthenis Chronographias, incidit in annum primum Olympiadis ſeptimæ. Eſſe autem incorruptas regulas quibus Eratoſthenes vſus eſt, & quomodo ad Græcanicam rationem dirigenda ſit Romana temporum ratio, alio tractatu declarauimus. nolui enim, ſicut Polybius Megalopolitanus fecit, hoc tantum dicere, quod circiter ſecundum annum ſeptimæ Olympiadis Romam conditam opiner; neque vni & ſoli Anchiſenſium tabulæ fidem ſine examine tribuere: ſed malui ſupputationes, quas ipſe in medium protuli, iudicio cuiuſuis lectoris relinquere. Et exacta quidē ratio illic indicata eſt: hic neceſſaria tantū dicentur, ea ſic habent: Gallorum expeditio qua Roma capta eſt, fuit (vt omnes fere auctores conſentiunt) Athenis ſummum magiſtratum gerente Pyrgione, circiter primum annum nonageſimæ octauæ Olympiadis. quod ſi retrorſum tempora ſupputes vſque ad Lucium Iunium Brutum, Lucium Tarquinium Collatinum, primos Romanorum poſt expulſum regium dominatum conſules, complectentur annos centum & viginti: ſicut apparet cum ex aliis multis, tum è Cēſoriis commentariis, quos à patribus filii per manus accipiunt, & ipſi poſteris pari cura tradunt, haud ſecus quam ſacra paterna *& gentilicia*. multi autem è cenſoriis familiis ſunt viri illuſtres à quibus aſſeruantur. in eis inuenio altero ante captā vrbem anno, cenſum populi Romani habitum; cui, quemadmodum & aliis, tempus adſcriptum eſt hoc: Lucio Valerio Potito, Tito Manlio Capitolino conſulibus, poſt expulſos reges anno centeſimo vndeuigeſimo ita vt Gallica irruptio, quam altero poſt cenſum anno factā inuenimus, facta ſit expletis iam centum viginti annis. iam ſi hoc temporis interuallum triginta Olympiadas facere compertum eſt, neceſſario ſequitur, primos conſules magiſtratum iniſſe archontis Athenarum Iſagoræ tempore, circa primum annum octauæ & ſexageſimæ Olympiadis. Conſtat autem inter exactos reges & LXXVI.
initum à Romulo primo vrbis rege imperium, annos

intercessisse ducentos quinquaginta quatuor: quod patet ex regum successionibus & annorum numero quo quisq; regnum tenuit. Nam Romulus vrbis conditor, septem supra triginta annis administrationi rerum præfuisse dicitur: post cuius obitum interregnum fuisse per annum integrum. deinde Numam Pompilium electum suffragiis populi, regnasse annis quadraginta & tribus. post hunc triginta duobus Tullum Hostilium. huius deinceps successorem Ancum Marcium vigintiquatuor: post quem, Lucium Tarquinium cognomento Priscum, triginta octo: deinde Seruium Tullium quadraginta quatuor, huic à se occiso successit Lucius Tarquinius, vir tyrannicus, & propter iuris contemptum cognominatus Superbus; regnauitq; ad annum vsque quintum supra vigesimum. Supputatis autem regum annis ducētis quadraginta quatuor, Olympiadibus vero sexaginta & vna, necesse est vt primus vrbis rex Romulus regnum auspicatus sit anno primo septimæ Olympiadis, Charope Athenis primum in decennali imperio annum agente. hoc enim annorum ratio postulat. quod autem tot annis regum quisq; regnauerit, in illo libro declaramus. Atque hæc sunt quæ partim ab aliis ante me tradita, partim mihi visa sunt de tēpore quo vrbs quæ nunc rerum potitur, condita est. Ceterum de conditoribus eius quinam fuerint, aut in qua fortuna coloniam deduxerint, & quicquid ad hanc historiam pertinet, dictum est quidem à multis, quibusdam etiam multum euariantibus: dicam tamen & ipse quæ mihi videntur vero proxima. ea sic habent.

Olymp. VII.

Vrbis conditores.

LXXVII. Amulius postquam depulso maiore fratre Numitore, vi occupauit Albanum imperium, præter alia multa superbe & iniuste facta, decreuit totam germani stirpem tollere, partim vindictæ metu, partim continuandi principatus cupidine. quod consilium cum diu multumque agitasset animo, primum filium eius Ægestum pubescentem tum maxime, cum obseruasset vbi venaretur, egressum venandi animo interemit, insidiatorum manu in obscurissimis latebris posita: & post perpetratum facinus subornauit rumores, necatum à latronibus adolescentulum. nec tamen conficta opinio tacitæ veritati præualuit; sed multi etiam cum periculo scelus id ausi sunt eloqui. At Numitor, quamuis rem sciret, ratio-

tioni tamen magis quam dolori ſeruiens, diſſimulabat, in tēpus minus periculoſum iram conſulto differens. Amulius autem credens occultum eſſe prius facinus addidit & alterum: filiam fratris Iliam; ſiue (vt alii malunt) Ream nomine, ſed cognomine Iliam, nuptiis iam maturam, Veſtæ ſacerdotem optauit; veritus ne cito virum nacta, vltorem ſuo generi pareret. has puellas ſacratas oportebat nō minus quinquennio puras à nuptiis manere, æternumq; ignē cuſtodire, & cetera cultus munia, quæ reipublicæ nomine à virginibus obiri leges poſtulabant, exſequi. Id honeſto prætextu fecit Amulius, quaſi cognatos honore ornaret, moremq; hunc nec ipſe introduxiſſet, nec vulgatū iam primo inter honoratas familias fratri per vim obtruſiſſet. nā honorificū apud Albanos habebatur, nobiliſſimam quamque Veſtæ miniſtram deſignari. Senſit Numitor haud optimo animo hæc à fratre fieri; indignationem tamen diſſimulans, ne populum offenderet, hanc quoque iniuriam celabat ſilentio. Quarto poſt anno Iliæ, ſacrorum cauſſa LXXVIII
puram aquam in Martis luco petenti, ſtuprum in fano neſcio quis intulit. quidam dicunt vnum è procis eius fuiſſe, amore captum virginis: alii vero ipſum Amulium, inſidiantem potius quam libidini ſeruientem, corpore armis ad ſummum terrorem ſepto, cunctiſq; faciei notis quantum fieri poterat obſcuratis. At plurimi fabulantur, numen ipſum cuius id fanum erat, ſe puellæ hac ſpecie obtuliſſe; quippe quod præter alia diuinitatis effecta, ſolem quoque obſcurarit, & tenebris cælum obduxerit. idem ſpectrum forma fuiſſe auguſtiore ac ſtatura grandiore, quam vt videri poſſet humani generis. quin & hoc ſe indicio prodidiſſe deum, quod puellam illato ſtupro mæſtam, ſit conſolatus, nec quidquam facto dolere iuſſerit, vt quæ diuinis dignata ſit complexibus, copula nuptiali coniuncta cum eius loci genio; è violento iſto concubitu paritura geminos virtute bellica longe præſtantiſſimos. his dictis nube obtectum fuiſſe, & ſublimem ablatum per aërem. De quibus quid opinandum ſit, vtrum cōtemnenda veluti humana facinora in Deos relata, quippe qui nulla miniſteria immortali & beata illa natura indigna ſuſtineant: an etiam tales admittendæ hiſtoriæ, quod permixta ſit vniuerſa mundi eſſentia, & media quædam inter Deos ac mortales

natura, quam dæmonum genus obtinet, nunc hominibus se, nunc Diis admiscens, vnde mixta origo heroici generis: non est præsentis temporis disputatio. & satis de hac re dissertum est à philosophis. Ceterum post illatam sibi vim puella infirmitatem prætexens matris monitu, quo & ipsa esset tutior, & nulla Deum sacris fieret iniuria, re diuina abstinuit, ceteris eius collegii virginibus vicem ipsius obeuntibus.

LXXIX. At Amulius, siue facti conscientia, siue suspicione verisimili motus, perscrutatus est caussam intermissi diutius officii: missisque in hoc medicorum fidissimis; cum mulieres secretum morbum virisque minime prodendum esse caussarentur, vxorem suam puellæ custodem apposuit. quæ postquam rem muliebribus coniecturis deprehensam ad maritum detulit, adhibitis armatis asseruari puellam iussit, ne clam eniteretur iam partui proxima: ipse aduocato in concilium fratre, stupri fecit indicium dissimulati hactenus, incusans eius parentes vt culpæ conscios, eosque iubens rem totam proferre in medium. ibi Numitor ait se præter omnem expectationem hæc audire, esseque ab hac culpa alienissimum: simulque temporis spatium postulat, quo possit de his certius inquirere. Quod vbi ægre impetrauit, cognitis ex vxore quæ puella à principio narrauerat, retulit, & vim à Deo puellæ factam, & quid ille de gemina prole prædixisset; postulauitque vt fides penes euentum esset, si forte partus responderet oraculo. iam enim parturitionem instare; nec diu se doli suspectum fore. quin & custodes filiæ fœminas offerebat ad quæstionem, nec vlla recusabat indicia. Hæc eius postulata probante concilio, solus Amulius nihil sani aiebat inesse fratris caussationibus, modis omnibus aggrediens virginem perdere. Interea superueniunt custodes puerperii, nuntiantes editos geminos infantes masculos. Tum vero Numitor vehementius asseuerare Deum eius facinoris auctorem esse, & abstinendam ab insonte puella omnem iniuriam. Amulium vero incessit suspicio, humana fraude non caruisse negotium, mulieribus paratum in hoc alterum infantem habentibus, & deceptis aut etiam corruptis custodibus: multaque in hanc sententiam verba protulit. Tum iudices postquam intellexerunt mentem regis implacabilem, eandem

dem & ipſi dixerunt ſententiam, vt iuxta legem mater ob
violatam pudicitiam virgis cæſa necaretur, proles vero
abiiceretur in fluuium. nunc autem viuæ defodi tales iu-
bentur ſacris legibus. Hactenus plerique ſcriptorum LXXX.
conſentiunt, aut non multum variant, alii ad fabulas, alii
ad veritatem accedentes propius: ſed in iis quæ ſubſecuta
ſunt, diſcrepant. Sunt enim qui confeſtim necatam puel-
lam tradunt: alii coniectam aiunt in occultum carcerem,
eumque perpetuum; vnde clam necatam eſſe, vulgo cre-
ditum. dediſſe autem hoc Amulium filiæ precibus, poſtu-
lantis vt ſibi patruelis donaretur. erant enim æquales, vna
fuerant educatæ, ſeque vt ſorores inuicem diligebant. ita-
que Amulium in eius gratiam, (quippe quam vnicam ha-
beret filiam) Iliam mortis periculo liberaſſe; ſic tamen,
vt clam teneretur in carcere; vnde poſt Amulii mortem
fuiſſe liberatam. Atque ita de Ilia veterum commenta-
rii variant; vtraque tamen opinione veriſimili. quapro-
pter vtriuſque meminiſſe libuit, quo liberum eſſet lectori
alterutram eligere. De natis autem ex Ilia pueris Quintus
Fabius Pictor, eumq; ſecuti Lucius Cincius, Porcius Ca-
to, & Calpurnius Piſo, aliique ſcriptores complures, ſic tra-
dunt: infantes Amulii iuſſu in alueo deportatos à mini-
ſtris quibuſdam, proiiciendos in fluuium diſtantem ab vr-
be ferme centum viginti ſtadiis. Eos cum acceſſiſſent, ani-
maduertiſſentq; exundantem in campos & reſtagnantem
præ continuis imbribus Tiberim, degreſſos à Palantii
vertice ad aquam proximam, quod non daretur vlterius
procedere: & qua collis radices attingebat vnda, in alluuie
reliquiſſe alueum. qui aliquantiſper fluitans, tandem pau-
latim ſe recipiente ab extremis vnda, impactus ſaxo & ſub-
uerſus, effudit pueros. hi dum vagientes volutantur in cœ-
no, lupa forte ſuperueniens diſtentis à recenti partu vberi-
bus, mammas eis præbuit, lingua ſimul ablambens lutum
quo ſe inquinauerant. Interea paſtoribus armenta paſtum LXXXI.
agentibus, (iam enim aquæ deceſſerant) quidam ex iis viſa
lupa infantulos complectente, aliquamdiu hæſit miracu-
lo, vix ſatis credens ſuis oculis: deinde cõuocatis quotquot
poterat è proximo ſociis, cum fidem verbis non impetra-
ret, adducit eos ad ſpectaculũ. qui & ipſi eo profecti, com-
periunt, illã, velut ex ſe natos complexam; hos, pendentes

velutà matre : moxque rati hæc non sine aliquo numine
fieri, confertim accedunt propius, feramque terrent cla-
moribus. at lupa incursu hominum perparum exasperata,
ceu mansueta, sensim abstitit,& ob insanos pastorum stre-
pitus abiit. Non longe inde aberat lucus opacus densita-
te arborum, & rupes caua manans fontibus. id nemus fe-
rebatur Pani sacrum cum ara inibi posita. huc se fera con-
didit. Et lucus quidem non amplius superest; sed antrum
ex quo aqua promanat, visitur Palatinis coniunctum ædi-
ficiis, secundum viam quæ in circum fert: & in propinquo
est area, casum hunc ære antiqui operis expressum seruās,
lupam videlicet duobus puerulis vbera submittentem.
consecratus autem dicitur is locus olim ab Arcadibus E-
uandri sociis, qui domicilia ibi statuerant. Post fere dis-
cessum pastores tollunt infantulos, dignos alimentis rati:
quippe qui seruati diuinitus fuissent. In his erat quidam re-
giorum subulcorum magister, vir probus, nomine Fau-
stulus; qui ob quoddam negotium in vrbe fuerat quo tem-
pore de Iliæ vitio partuque compertum est: & postea cum
infantes deportarentur ad fluuium, Deo sic volente, idem
cum ministris pueros ferentibus iter fecit in Palantium.
Hic, vt qui apud ceteros se quidquam hac de re scire dissi-
mularet, sibi concedi pueros cupit; communique socio-
rum consensu sibi traditos domum ad vxorem perfert:
quam cum offendisset mæstam ob infantem quem mor-
tuum ediderat, solatus mulierem, persuasit vt eos puellos
pro suo supponeret, denarratis prius eorum casibus. His
LXXXII. crescente ætate imposuit nomina; alteri Romulum, alte-
ri Remum. vbi vero ad viriles annos peruenerunt, non
illi subulcis bubulcisve similes erant, sed (vt par erat
formæ dignitate, & animi magnitudine, viros regum a
numinum satu editos referebant, quemadmodum etiam
nunc in patriis Romanorum carminibus celebratur. vi-
tam tamen degebant pastoriciam, victum sibi parantes
manibus, in montibus plerunq; è lignis & arundine com-
pingentes humiles absque vlla contignatione casulas: qua-
rum vna vsque ad nostram ætatem durauit, in sinu qui
Palatio deflectit ad circum, cognominata Romuli; quam
vt sacram seruant quibus id mandatum est, nihil eam
augustius exædificare satagentes. quodsi quid tem-
porum

porum aut tempestatum iniuria vitiatum fuerit, sarcitur quantum fieri potest ad formam pristinam. Annum porro ingressi octauum supra decimum, controuersiam habuerunt de pascuis cum Numitoris bubulcis, in Auētino è regione Palatini montis stabulantibus; vtrisque mutuum subinde conquerentibus aut alienam terram depasci, aut communem pro peculiari vsurpari, atque id genus alia. ab his pugnæ seminibus ad manus & ad arma demum ventũ est. Numitoris pars multis affecta vulneribus, desideratis etiam aliquot è suis, quum vi è pascuis expulsa esset, ad dolum vertitur. positis enim in obscuro barathro insidiis, ad præstitutum tempus magna manu in iuuenum stabula noctu irruunt. aberat tum Romulus, sacrorum caussa cum vicanorum præcipuis Cæninam profectus. Remus vero vt irruptionem sensit, correptis subito armis, paucisque vicanis qui mature confluxerant, assumptis, opem rebus ferre properat. Non sustinent impetum aduersarii, sed fuga se recipiunt ad eum locum è quo commode pedem referre & hostem aggredi poterant. at cum Remus ignarus doli, longe fugientes insequendo, vltra insessum locum euectus esset, confestim & manipulus ex insidiis exsurgit, & fugientes retro se conuertunt: à quibus ille circumclusus, multisque lapidibus contusus, tandem cum suis captus est: fuerat enim eis mandatum à dominis, vt iuuenes viuos in potestatem suam redigerent. atque hoc modo Remus abductus est. Ælius Tubero, vir grauis & scriptor diligens, LXXXIII
tradit Numitoris pastores insidiis elegisse tempus, quo iuuenes Pani Lupercalia, sacrum Arcadicum, ex Euandri instituto erant celebraturi; quando mos erat vt inter Palatini montis incolas iuuentus post cæsas hostias è Lupercali nuda circum vicum cursitaret, pudendis tantum recens mactatarum pecudum exuuiis succinctis. id erat lustrationis genus quoddam, vicanis receptum vsu patrio; quod nũc quoque solet fieri. Hac occasione positis in angusto calle insidiis ad intercipiendos sacra peragentes iuuenes, cum Remus illis cum primo agmine oblatus esset, Romulo & ceteris longe relictis, (tria enim per interualla currebant agmina) non exspectatis reliquis, cõfertim in primos magno clamore irruunt, & circumuentos saxis, iaculis, aliisque telis, vt quodque in manus venerat, petunt. illi necopi-

nato casu attoniti, & incerti quid facerent, inermes arm
tis expositi, facile in potestatem redacti sunt. Et Rem
quidem siue hoc modo, siue vt Fabius scribit, captus
hostibus, Albam vinctus perductus est. Romulus vero
fratris cognouit infortunium, cum selecta pastorum m
nu abeuntes insequi voluit, ratus se Remum ex itin
posse retrahere. sed ab hoc consilio vt insano, Faustuli a
ctoritate auocatus est. Hactenus enim existimatus pa
iuuenibus secretum nunquam prodiderat, ne forte adir
periculum, priusquam satis virium essent adepti. tunc v
necessitate compulsus, semotis arbitris Romulo rem
tam aperit. At iuuenem edoctum de omnibus iam in
principio ipsorum casibus, tum matris miseratio, t
Numitoris cura subiit: & post longam consultation
cum Faustulo habitam, à præsenti conatu destitit, mal
maiore apparatu totam domum vindicare ab iniuriis
mulii, & de maximis præmiis aleam iacere; nihil tam
moliri sine materni aui consilio.

LXXXIV. His ita decretis, vicanos primum omnes conuo
rogatque vt Albam properent; non tamen eadem po
nec confertim introgrediantur, nequa oppidanis ori
suspicio; ibique circa forum ad imperata facienda pr
sint. deinde ipse primus in vrbem proficiscitur. Porro
Remum adduxerant, ad tribunal regis eum sistunt, q
cientes iniurias acceptas à iuuenibus, ostentantesque
rum vulnera, & ni dedantur sibi ad supplicium, minitar
relicturos se pecuaria. Tum Amulius volens agresti
cateruæ, & Numitori, qui forte aderat, rem gratam fac
indigne ferens clientum iniuriam, pacemque per re
nem florere cupiens, cum etiam suspecta esset adolesc
tis peruicacia & sermo intrepidus, condemnauit ho
nem; pœnæ modum permittens fratris arbitrio, q
æquum videretur, penes eum esse ius supplicii, cui f
esset iniuria. Itaque reuinctis à tergo manibus Remus
cebatur à Numitoris pastoribus, illudentibus obite
conuitia iactantibus; prosequente interim auo & demi
te corporis decus plane regium, simulque generosum
constantem in rebus duris animum, præter commun
damnatorum morem nullis precibus sollicitantis spe
eorum misericordiam, sed cum modesto silentio perge

ad supplicium. Vt vero domum peruentum est, secedere iussis aliis, solum relictum interrogat, quisnam esset, & quibus parentibus ortus: neque enim sibi videri natum è vulgaribus. ad hæc cum ille hoc se tantum scire ex fide nutricii retulisset, infantem se recens natum, cum fratre eodem partu edito, in siluam expositum, sublatumque & educatum à pastoribus: tacitus aliquantisper Numitor, seu veri indicia secum animo reputans, siue secretum prodente aliquo numine, sic iuuenem alloquitur: Esse te in mea potestate Reme, meamque exspectare sententiam, & eos qui te ob acceptas iniurias adduxerunt, necem tuam omnibus modis expetere, cum ipse noris, non est quod te doceam. Quodsi te & capitis absoluero, & ab omni pœna reliqua immunem pronuntiauero, retuleris ne mihi gratiam, & operam nauaris in re vtrique nostrum commoda? Hic cum respondisset iuuenis quæ salutis arbitris, in re deplorata, quoties se noua spes obtulit, responderi & promitti solent, auus solutis prius vinculis & ablegatis qui aderant, suam ei fortunam denarrat: fraudatum se regno à fratre Amulio, orbatumque liberis, altero in venatu per insidias oppresso, altera in perpetuum carcerem conclusa; nec ceteris in rebus aliter se ab illo quam seruum à domino tractari.

Hæc effatus cum multis lacrymis, orabat vt vellet vlcisci domesticas iniurias. Illo vero lubenter annuente, & dudum nauare operam gestiente, Numitor collaudata promptitudine: Tempus, inquit, rei gerendæ ego dispensaturus sum: interim tu ad fratrem nuntium occultum mittito, saluum te esse, & iubere vt ipse quamprimum veniat. moxque repertus quidam ad hoc ministerium idoneus, aduentanti non procul vrbe occurrens Romulo mandata renuntiat. Is lætus ad Numitorem properat: & primo cum ipsum tum fratrem amanter complexus, narrat deinde quemadmodum expositi & nutriti fuerint, & cetera quæ nutricius ipsius ex satellite didicerat. Accipiebantur hæc libenter, nec multis ad fidem faciendam indigebant argumentis: adeo erant grata. Vt vero se inuicem agnouerunt, continuo cõsultarunt de modo & opportunitate aggrediendi negotii. Interea Faustulus ad Amulium adducitur. Veritus enim ne nõ inueniret fidem apud LXXXV.

Numitorem absque manifestis signis in rei tam magnæ indicio, quo certius agnosceretur, cùm alueo in quo infantes expositi fuerant, paulo post Romulum ad vrbem contendit. eum trepide portas transeuntem, & quod ferebat diligenter occultantem, vnus custodum cum animaduertisset, (erat enim belli suspicio, & portæ per fidissimos regi præsidiarios seruabantur) apprehendit, & quidnam occultaret cognoscere cupiens, amictum ei per vim detraxit: conspectoque alueo videns hæsitare hominem, percontabatur quid ita trepidaret, quoue consilio celaret vas quod liceret deferri propalam. Interea plures custodes confluebant; quorum vnus agnouit alueum, quippe qui ipse pueros in eo ad flumen deportauerat; & rem indicauit iis qui tum aderant. itaque comprehensus Faustulus ad regem adductus est. Amulius intentatis homini tormentorum minis ni vera sponte diceret, primum rogauit num viuerent pueri. quo comperto, amplius scitatus est quonam modo incolumes euasissent. Edoctusque omnia ita vt gesta erant: Age, inquit, quandoquidem hactenus vera fassus es, dic vbinam nunc inueniri possint. non enim æquum est eos inter pastores ingloriam vitam degere, cum sint mihi
LXXXVI cognati, & insuper Deorum prouidentia seruati. Ibi Faustulus suspectam habens nouam regis clementiam, ne forte verba à mente essent dissona, in hũc modum respondit: Iuuenes sunt in montibus, pascentes armenta; quod illis hactenus vitæ genus fuit: me vero miserunt ad matrem, renuntiatum quo in statu res eorum sint. quam cum apud te in custodia esse audissem, filiam tuam rogare institueram, vt me ad illam duceret. alueum vero propterea mecum tuli, vt euidens verbis addere indicium possem. nũc igitur quando tibi visum est iuuenes huc accersere, gaudeo. proinde mitte mecum quoscunque vis. ego iuuenes illis indicabo: ipsi vero mandata tua ad eos perferant. Hæc ille, volens differre necem iuuenum; simulque sperans se illos à quibus duceretur, facile in montibus effugere posse. Tum Amulius satellitum fidissimos mittit, cum mandatis occultis, vt à subulco indicatos cito ad se pertrahant. Quo facto mox decreuit accitum fratrem habere in libera custodia, donec arbitratu suo rem præsentem composuisset: confestimq; alio prætextu eum euocat. at nuntius, vt qui peri-

periclitanti bene vellet, ac miseraretur illius fortunam, ad Numitorem mentem Amulii detulit. qui indicato iuuenibus præsenti periculo, iussisque forti esse animo, correptis armis, cum clientum, amicorum, famulorumque fidissimorum manu non exigua, regiã petit. quin & illi qui ex agris in vrbem confluxerant, & sub veste gladios occultarant, relicto foro aduolant, cohors non inualida. itaque omnes vno impetu oppressis in aditu custodibus, qui pauci cum armis ibi stabant, Amulium nullo negotio iugulant, & arcem occupant. Sic narrat Fabius, & qui Fabii sequuntur auctoritatẽ. Alii semouentes fabulas vt indignas historia, negant sibi verisimile fieri à ministris infantes secus quam iussum sit expositos: & mitem lupam vbera præbentem pueris, cauillantur non multũ abesse à figmentis poëticis: mutataque in diuersum narratione, aiunt Numitorem, cum Iliam prægnantem deprehendisset, alios recens natos infantes in promptu habuisse, quos subiiceret in puerperio. hos puellos alienos à parturientis custodibus fuisse asportatos; siue illi fidem venalem habuerint, siue muliebri astu circumuenti sint: eosque ab Amulio qualicunque ratione fuisse necatos: natos vero ex Ilia, seruatos cura materni aui, commissos Faustulo. hunc genus duxisse ab Arcadibus Euandri comitibus; circa Palantium sedes habuisse, & res Amulii procurasse: gratificatumque esse Numitori in educandis pueris, suasu fratris sui Faustuli, qui Numitoris in Auentino gregibus præerat. ceterum nutricem puerorum quę mammas eis præbuit, non lupam fuisse aiunt, sed (vt verisimile est) mulierem, Faustuli coniugem, nomine Laurentiam; cui ob vulgatum quondam corpus, Palatini montis incolæ cognomen *lupæ* indiderint. ea Græcis prisca est appellatio venalem voluptatem venersam prostituentium; quas nunc speciosiore vocabulo ἑταίρας (*quasi amicas & sodales*) vocare solent. Id ignorantes nonnullos, finxisse de lupa fabulam; quoniam hæc fera Latina voce lupa dicitur. Amotos autem à nutricis vberibus pueros, Gabios aiunt (vrbem non longe à Palantio dissitam) à nutriciis deportatos, vt Græcis ibi disciplinis imbuerentur: ibique apud Faustuli hospites educatos, literis, musica, tractandisq; more Græco armis institutos, donec pubertatis annos attigissent. Post reditum autem ad

LXXXVII.

eos qui tum existimabantur parentes, exstitisse illis liter cum Numitoris pastoribus de communibus pascuis; co que crebris ictibus bubulcos cum armentis excedere co gisse. id factum fuisse de Numitoris ipsius sententia, vt e set criminandi initium, & pastoriciæ multitudini daret in vrbem veniendi occasio. quo facto Numitorem apu Amulium vociferatum, res suas per vim ac nefas ab illi pastoribus diripi: quodsi hæc citra ipsius culpam fieren pastorem vna cum filiis ad supplicium sibi dederet. Am lium vero, vt se à culpa alienum ostenderet, tum eos quip tebantur, tum alios qui eiusdem criminis affines eran iussisse ad dicendam caussam venire. Cumque præter re multi ad agendam caussam conuenissent, auum iuuenu denarratis cunctis eorum casibus, adhortatum vt vindic occasionem, qualis nulla ad eam diem obtigisset, arrip rent; moxque rem aggressum pastoriciæ multitudinis a xilio.

LXXXVIII. *Vrbis Romæ ædificatio.*

Hæc de ortu atque educatione conditorum vrb sunt prodita: superest vt dicamus quæ in ædificatione co tigerunt. Defuncto Amulio Numitor quam primum i staurauit imperium, vitiatamque diutina tyrannide for reipublicæ in pristinam integritatem restituit: mox co tauit de paranda iuuenibus propria dicione, nouaque v in hoc condenda: simulque vrbanam multitudinem veh menter auctam numero, minuendam censebat, femo potissimum aduersæ factionis hominibus, vt liber à susp cione degeret. itaque communicato cum iuuenibus co silio, postquam & ipsis idem placuit, dat eis agros vbi ed cati fuerant in pueritia. populi quoque suspectam parten nequando res nouas moliretur, & siquibus sponte migr re libebat, eis attribuit. in his erat magna plebis pars; fieri solet in migrationibus; non pauci etiam ex optima bus nobiles; Troiani quoque generis nobilissimi quiqu ex quibus aliquot gentes ad nostram ætatem superfu quinquaginta ferme familiæ. Acceperunt autem iuuen pecuniam, arma, frumentum, mancipia, iumenta depo tandis oneribus, & siquid aliud ad vrbis ædificationem rat accommodum. Educto ex Alba populo miscueru quotquot circa Palantium & Saturniam reliqui erant i digenæ, diuisa in duas partes omni multitudine. id visu est ad æmulationem conducere, vt certante inter se vtraq

par

parte, citius absoluerentur opera: sed res in maximum malum, seditionem, euasit. nam suum quæque pars ducem gloriose prædicabat, atque vt idoneum vniuersorum imperio extollebat: ipsi quoque non iam concordes neque fraterna mente præditi, sibi quisque principatum affectabant, & reiecta æqualitate tendebant ad præcellentiam. Ea principatus affectatio latens aliquamdiu, tandem hac erupit occasione. Locus condendæ vrbis non idem vtriq; placebat. Romulo visum est munire Palantium, præter alias caussas ob loci fortunam, cuius beneficio illic & seruati essent, & educati. Remus malebat eam quæ etiamnum eius seruat vocabulum, Remuriam condere. est autem [locus vrbi capiendæ opportunus, collis non procul] Tiberi, trigesimo ferme ab vrbe stadio. ex ea contentione satis apparebat principatus cupiditas, & mens à communi rerum administratione aliena. Vteruis enim tunc cessisset, eum in omnibus deinceps alteri cedere oportuisset. Elapso dein de aliquanto temporis spacio, manenteq; dissidio, conuênit inter eos vt rem totam auo committerent: amboque ea de caussa Albam profecti sunt. is monuit vt Deorum iudicio permitterent, vtrius colonia dicenda esset, & penes vtrum futurum esset imperium. Itaque præstituta die, iussit à matutino tempore seorsum quemque vbicunque libuisset cõsidere, peractisque legitimis sacris obseruare faustos alites; & vtri felicius contingeret auspicium, eum haberi auctorẽ coloniæ. Cõprobato consilio digressi iuuenes, ad statutam diem ex pacto affuerunt Romulus templum obseruandis alitibus optauit Palantium, vbi animus erat coloniam cõdere: Remus vero contiguum ei collem, Auentinum; aut vt aliis placet, Remuriam. adhibiti sunt vtrinque custodes, qui non sinerent aliud pronuntiari auspicium quam obseruatum apparuisset. Vt vero suã vterque sedem cepit, paulo post Romulus præ nimia festinatione & inuidia (fortasse Deus quoque hucillum impellebat) priusquam vllum vidisset signũ, nuntiat fratri vt celeriter veniat; nam se priorẽ vidisse faustos alites, dum nuntii, quos doli pudebat, nõ admodum properãt, interim Remo sex vultures à dextris volãtes oblati sunt, quibus cõspectis gauisus, breui post à fratris nuntiis abductus est Palantiũ. mox vbi fratrẽ conuenit, rogabat ecquas prior vidisset alites. quo hęrẽte, nec habẽte LXXXIX

quod responderet, interim ei duodecim vultures prospero volatu addixerunt. quibus visis confirmatus, ostendens Remo, Quid, inquit, quæris præterita? en ipse vides has alites. Ille indignabundus, queritur se a fratre distractum esse; seque coloniæ iure ipsi cessurum negat.

XC. Hinc dissidium priore maius exoritur, vtroque potiorem se esse clam cupiente; & quo minus cederet, propalam hoc iuris prætextu suam caussam defendente. prædixerat enim auus, eius fore coloniam, cui priori meliores oblatæ fuissent alites. Ceterum cum idem auium genus ambobus conspectum esset, alter eo quod prior, alter eo quod plures vidisset aues, se tuebatur. accendit eorum cõtentionem reliqua etiam multitudo, pugnam exorsa non exspectato ducum imperio. ita certatum est acriter, multis vtrinque cadentibus. In hoc prœlio quidam aiunt Faustulum nutritorem iuuenum, dum frustra conatur litem dirimere, inermem se coniecisse in medios, mortis desiderio; votique sui factum compotem. nec desunt qui lapideam leonis effigiem, quæ pro rostris in loco Romani fori præcipuo visitur, super Faustuli corpore positam esse dicant, inuento & sepulcro vbi occubuerat. Cæso autem in hac pugna Remo, Romulus victoriam miserabilem de fratre ac ciuium mutua cæde referens, defunctum in Remuria sepelit, vbi viuus vrbem condere voluerat: ipse vero præ mærore ac facti pœnitentia sese abiicit, & de inferendis sibi manibus consilium capit. sed Laurentiæ, quæ infantes sibi traditos educauerat, & haud secus ac mater amabat, precibus atque consolationibus rursum erigitur. collectis deinde Latinis qui pugnæ superfuerant, (erant ii tribus milibus paulo plures, cum pristinus eductorum colonorum numerus fuisset longe maximus) Palantio speciem vrbis addidit. Hæc mihi verisimillima de Remi morte videtur narratio; dicetur tamen etiam siquid diuersum super hac est proditum. Aiunt quidam eum cessisse de principatu Romulo: indignatum deinde quod dolo circumuentus esset, post mœnia condita, cum munitionis leuitatem arguere vellet, dixisse, At hos muros vestros non difficulter hostis aliquis superauerit, sicut nũc ego: statimque transilisse. Celerem autem quendam, qui fabricæ mu-

rorum

rorum præfectus, ſuper muris ſtabat, ſubieciſſe: Sed iſtum hoſtem non difficulter noſtrum aliquis propulſauerit: moxque inflicto in caput rutro exanimaſſe hominem. Hic fraterni diſſidii fuiſſe fertur exitus.

Ceterum cum nullum amplius ædificationi obſtaret XCI.
impedimentum, Romulus indicta die qua placatis diis opus auſpicaretur, præparatiſque omnibus ad ſacrificium & epulum neceſſariis, vbi ea dies illuxit, ipſe primum ſacris operatus, deinde ceteris idem pro virili facere iuſſis, aquilarum primum vſus eſt auſpicio: mox pyris ante tentoria incendi iuſſis, educit populum, & piaculi cauſſa per flammas ſalire iubet. Satis deinde placata ratus numina, conuocatis in deſtinatum locum omnibus, circumſcripſit collem figura quadrangula, iunctis ad aratrum bubus, mare ac fœmina, ductoque ſulco perpetuo, in quo fundanda erant mœnia: vnde Romanis hic mos circumarandi loca in condendis vrbibus durat. Hoc peracto, & bubus mactatis ambobus, multis etiam aliis victimis immolatis, operi populum adhibuit. quem diem, ſi vllum alium, Romana ciuitas noſtro quoque tempore ſingulis annis feſtum celebrat, vocatque Parilia; cum ineunte vere agricolæ paſtoreſque pro partu quadrupedum *Diis* acturi gratias, ſacra faciunt. Vtrum vero hunc diem iam ante proſperis ſucceſſibus feſtum, vrbi etiam condendæ auſpicatum duxerint, an vrbis initio conſecrauerint, Deoſque paſtorales in eo honorandos ſanxerint, affirmare certo non poſſum.

Hæc ſunt quæ, quantum potui, de Romanorum genere XCII.
ſumma cura perueſtigaui, euolutis Græcorum ſimul & Romanorum ſcriptis permultis. Quapropter valere iuſſis iis qui Romam barbarorum, fugitiuorum, & lare carentium refugium faciunt, confidenter iam aliquis pronuntiare poterit Græcam eſſe hanc vrbem, eamque omnium vrbium & communiſſimam & humaniſſimam: conſideret enim, Aboriginum nationem OEnotricam fuiſſe; hanc vero, Arcadicam: memoriaque repetat, Pelaſgos, qui relicta Theſſalia in Italiā venerunt, ſedeſque cum Aboriginibus coniunxerunt, Argis fuiſſe oriundos: Euandrum item cum *alia* manu Arcadum eo veniſſe, Palantiumque incoluiſſe, accepto ab Aboriginibus agro: alios rurſum è Peloponneſo veniſſe ductu Herculis, & habitaſſe in colle Sa-

turnio: postremo Troianos profugos commixtos prioribus eorum locorum incolis: quibus gentibus nulla inueniri potest antiquior aut magis Græcanica. Quod vero barbari admixti sunt, per quos vrbs multa instituta vetera dedidicit, id *multo* post accidit. in qua reputatione merito mirari possis, eam non esse omnino barbaram redditam post receptos Opicos, Marsos, Samnites, Etruscos, Bruttios, Vmbros, Ligures, & Hispanorũ Gallorumque multa milia: aliasque insuper gentes innumeras, vel ex Italia vel aliis ex locis aduenas, lingua & moribus dissonas: quos in tanta sermonis ac rituum diuersitate, plerosque vi contractos in vnum, par est multa de prisca illa & decora ciuitatis constitutione innouasse *in deterius*; siquidem alii non pauci fixis inter barbaros sedibus, breui omnem Græcitatem exuerunt, nec vocem nec instituta Græca retinentes, nec Deos colentes eosdem, nec iuris & legum seruantes æquitatem, (quo maxime Græcorum natura differt à barbaris) nec ceterorum commerciorum & rituum genus vllum. Id verum esse satis declarant Achæi Ponti accolæ, à gente cum primis Græca oriundi, nunc vero omnium barbarorum agrestissimi.
XCIII. Romani autem sermone nec prorsus barbaro nec absolute Græco vtuntur, sed ex vtroque mixto, accedente in plerisque ad proprietatem linguæ Æolicæ, hunc solum ex tot admixtionibus fructum percipientes, quod non in omnibus vocibus recte loquuntur. cetero, quæcunque sunt Græci generis indicia, magis quam vlli alii Græcorum coloni retinent, vt qui non nunc primum amicabilem & humanam viuendi rationem sequi cœperunt, ex quo eos prosperi successus, quibus affluunt, honestos mores docuerunt; nec postquam animum adiecerunt ad transmarinum imperium, deuictis Carthaginensibus & Macedonibus, sed ex quo primum in vnam ciuitatem contracti sunt, more Græco vixerunt, nihilo studiosiores virtutis nunc quam priscis temporibus. Id cum prolixa oratione ac multis argumentis probare possim, virorumque grauium testimoniis confirmare, differre malo in librum quem de ipsorum republica sum scripturus. nunc ad narrationis seriem reuertor, à summaria præsentis libri repetitione facturus sequentis initium.

DIO-

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATUM Romanarum Liber secundus.



RBS Roma sita est in occidentali tractu Italiæ ad flumen Tiberim, qui circa mediũ ferme litus habet ostium: abestque ab infero mari centum viginti stadiis. eam tenuerunt primi post hominũ memoriam barbari quidam indigenæ, Siculi dicti, qui etiam alia Italiæ loca permulta tenuere: quorum non pauca nec obscura monumenta vsque ad nostra tempora permanent, & in his loca quædam Sicula nominata, priscorum incolarum vestigium. His pulsis Aborigines eum locum occupauere, posteri OEnotrorum, qui oram maritimam à Tarento Pęstum vsque incoluerunt hi fuerunt quædam Diis sacrata iuuentus, patrio ritu à parentibus missa ad incolendas sedes quas fortuna datura esset. OEnotris porro fuit genus Arcadicum, ex ea quæ tunc Lycaonia, nunc Arcadia nominatur, sponte ad parandos meliores agros profectum, coloniæ duce filio Lycaonis OEnotro, à quo genti nomen inditum Post occupata hæc ab Aboriginibus loca, primi cum eis sedes coniunxerunt Pelasgi, gens vaga, ex ea quæ tunc Hæmonia, nunc Thessalia dicitur, in qua sedem aliquandiu habuerant. Post Pelasgos vero, Arcades, digressi ab oppido Palantio, Euandrum Mercurii & Themidis nymphæ filium, ducem

I. *Vrbis situs, habitatores prisci, conditor.*

coloniæ secuti: qui domicilium fixerunt ad vnum è septem collibus, in media ferme Roma situm; quem locum ab Arcadica patria denominarunt Palantium. Non multo deinde post, appulso in Italiam Hercule, quando exercitum ex Erythéa domum reducebat, relicta copiarum Græcarum pars quædam prope Palantium substitit, altero ex iis quos nunc vrbs complectitur, colle occupato; qui tunc Saturnius ab indigenis, nunc vero Capitolinus a Romanis dictus est. horum bona pars Epéi fuerunt, profecti ab Elide post deuastatam Herculis armis patriam.

II. Decimasexta vero post bellum Troianum ætate, Albani vtrunque locum mœnibus & fossa complexi, habitare cœperunt: vbi ad id temporis bubulcorum, opilionum, ceterorumque pastorum stabula fuerant, solo abunde suppeditante copiam tum hiberni tum æstiui pabuli, propter fluuios à quibus rigatur & refrigeratur. Porro Albanorum genus mixtum erat ex Arcadibus & Pelasgis, Epeisque Elidensibus, ac postremo Troianis cum Ænea Veneris & Anchisæ filio in Italiam post Ilii excidium profectis. Sed verisimile est barbarici etiam generis reliquias nonnullas è vicinis aut priscis incolis, cum Græcis se coniunxisse. Horum omnium commune nomen fuit Latini, deductum à Latino eius regionis principe, obliteratis singularum gentium priscis appellationibus. Ab his gentibus vrbs munita est post Ilium captum anno quadringentesimo trigesimo secundo, Olympiade septima. deductores coloniæ fuere gemini fratres regii generis, Romulus & Remus, materno genere Æneadæ ac Dardanidæ: paterna propago incerta est; Romanis Marte satos esse persuasum est. non tamen ambo permanserunt auctores coloniæ, exorta de principatu controuersia: sed exstincto in pugna altero superstes Romulus, fuit vrbis conditor, eique nomen a se imposuit. ceterum numerus colonorum missorum, magnus à principio, ad paruum redactus est, tria milia peditum, CCC. equites. Fossa igitur & mœnibus absolutis, perfectisque ad præsentem necessitatem ædibus, cum iam tempus moneret de futura reipublicæ forma dispicere, Romulus de materni aui sententia sic pro concione locutus est. Vrbem cum publicis tum priuatis ædificiis, vt recens conditam, satis ornatam esse; cogitandum tamen non

Vrbis conditæ annus I. Olymp. 7. anno post captum Ilium 432.

Romulus de instituenda rep. disserit.

III.

non in hoc sitam esse summam reipublicæ. in externis enim bellis amplæ profundæque fossæ munimentum, non satis certam incolumitatis & securitatis spem polliceri inclusis intus ciuibus: sed ad hoc tantum conducere, ne oppressis repentino incursu hostis cladem aliquam inferat: neque si intestinus tumultus inuadat rempublicam, priuatas ædes præbere tutum cuiquam refugium. hæc enim ad vitam quiete ac tranquille degendam ab hominibus inuenta esse subsidia, quæ nihil vetent quo minus vel vicinis insidiemur per iniuriam, vel ipsi expositi simus aliorum insidiis. nec vllam vnquam vrbem huiusmodi ornamentis quæsisse sibi diuturnam felicitatem & amplitudinem; aut contra sine priuatorum & publicorum ædificiorum magnificentia non potuisse amplam & fortunatam euadere. Aliud esse quod seruet ciuitates, & è paruis magnas faciat: nimirum in externis bellis armorum potentiam, quæ fortitudine paretur & assiduo studio: in ciuilibus vero tumultibus, concordiam ciuium. eam singulorum iustitia & temperantia foueri in republica. ceterum eos qui se in re militari exerceant, suisque cupiditatibus temperent, egregie ornare suas patrias, esseque ciuitati pro mœnibus inexpugnabilibus, vitæque suæ tutissima parare domicilia. bellicosos certe viros qui iustitiam & ceteras virtutes colant, prudentibus hominibus qui respublicas instituerunt, earum constituendarum formam præbuisse. contra, molles, auaros, fœdisque cupiditatibus addictos, malis quoque occupari studiis. Se quidem à senibus in historiarum cognitione multum versatis accepisse, multas colonias magnas & in fortunata loca delatas, vel statim seditionibus esse perditas, vel post non longam moram imperio vicinorum subditas; & pro meliore quem obtinuerant agro, conditionem accepisse deteriorem, seruas ex liberis redditas: rursum alias non magno numero nec in agros admodum bonos profectas, liberas primum, deinde aliarum etiam dominas permansisse. & neque paucis hisce felicitatis, neque multis illis infortunii caussam aliam fuisse, quam formam reipublicæ. Quod si vna quæpiam esset apud omnes homines vitæ ratio, quæ ciuitates felices faceret, eam facile ab ipsis eligi potuisse; nunc varias eius reperiri species tum apud Græcos tum apud barbaros: IV.

sed ab expertis laudari tres potissimum; nec harum tamen vllam ab omni parte sinceram, quod cuique aliquid insit mali, fato quodam agnatum. Cum itaque difficilis sit earum electio, iussit eos re per otium considerata dicere, num vni rectori, an paucis, parere malint. Equidem, inquit, quancunque reipublicæ formam institueritis, ad eam recipiendam paratus sum, nec principatu me indignum existimans, nec detrectans imperata facere. honorum, quibus me dignati estis, tributo primum coloniæ deducendę principatu, deinde vrbe à me denominata, satis habeo. hos enim nec externum bellum, nec intestina seditio: nec, quod omnia præclara offuscat, tempus; nec vllus casus infestus auferre mihi poterit; sed tum viuus tum defunctus in perpetuum his perfruar.

IV. Hæc tunc Romulus à materno auo, vt iam dixi, edoctus, memorauit apud populum. Illi communicato inter se consilio, responderunt in hunc modum: Nobis noua reipublicæ forma non est opus; nec à maioribus probatam & per manus traditam mutabimus; sed & priscorum consilium sequimur, quos non sine insigni prudentia illam reipublicæ formam instituisse credimus, & præsenti fortuna contenti sumus. cur enim illam incusemus, cum sub regibus contigerint nobis bona quæ apud homines habentur præcipua, libertas, & imperium in alios? hæc est nostra de republica sententia. Ceterum honorem eum non alii magis quam tibi conuenire persuasum nobis est, tum ob genus regium ac virtutem, tum vero maxime quod te huius coloniæ ducem habuimus, multamque in te gnauitatem atque sapientiam animaduertimus, non tam verbis quam factis edocti. His auditis Romulus, delectari se quidem ait isto hominum iudicio, quo dignus regno sit habitus, non tamen assumpturum eum honorem ante quam Deus auspicio certo comprobauerit. Quod cum & illis placuisset, præstituta die qua de regno alites consuleret, vbi ea illuxit, sub diuum è tentorio progressus est. ibi stans in loco puro, & rite mactatis victimis, vota fecit Ioui regi & ceteris Diis quos coloniæ duces fecerat, vt si ipsorum voluntate rex vrbis futurus esset, signum de cœlo felix ostenderent. Peractis precibus fulgur à sinistris ad dextra emicuit.

Romulus rex creatur.

V. Habent autem Romani talia pro faustis, siue ex discı-

disciplina Etrusca, siue ita edocti à maioribus: hac ratione, vt equidem arbitror, quod captandis auspiciis optima sedes ac statio sit quæ orientem spectat, vnde sol, luna, stellæque tam fixæ quam errantes surgunt, & vnde mundus (cuius conuersione cuncta quæ in eo sunt, modo super terram exsistunt, modo sub terram descendunt) facto motus initio, circularem cursum peragit. porro qui orientem spectant, septentriones à sinistris habent, à dextris meridiem. honoratius autem est prius quam posterius. sublimis enim ab aquilonari tractu polus attollitur, circa quem mundus voluitur; & è quinque spheræ circulis qui vocatur arcticus, hac parte semper est conspicuus: at ab australi tractu is qui vocatur antarcticus, semper in ea parte delitet. verisimile autem est inter signa quæ de cœlo eduntur, ea præcellere quæ se ex potissima eius parte ostendunt. & quoniam orientalia potiorem partem obtinent quam occidentalia, tum in his ipsis celsiora sunt australibus aquilonaria, ea merito habentur optima. Vt vero quidam tradunt, iam tum priscis temporibus, ante receptam Etruscam disciplinam, Romanorum maiores fulgura è sinistris emicantia iudicabant felicia. Fertur enim Ascanium Æneæ filium, quo tempore obsidione premebatur à Tuscorum rege Mezentio, iam desperatis rebus postremam eruptionem facturum, cum lamentis inuocasse Iouem Deosque ceteros, vt felix erumpendi signum darent cælitus; moxque sereno cœlo micuisse à sinistris fulgura. quod prœlium quoniam feliciter cessit, posthac id signum felix apud posteros habitum.

VI. *Romulus in regno confirmatur.*

At Romulus tunc acceptis à Deo certis signis, aduocata concione & indicatis auspiciis, rex omnium consensu declaratur, & morem instituit in posterum, nequis regnum assumeret magistratumve iniret, nisi & Deus idem probaret: estque hæc auspicii lex apud Romanos longo tempore obseruata, non solum sub regibus, verum etiam sublata monarchia, in consulum, imperatorum, ceterorumque magistratuum legitimorum comitiis. nostra vero tempestate imago tantum quædam huius iuris remanet religionis gratia. Candidati enim è tentoriis diluculo prodeuntes, preces quasdam sub diuo peragũt. ibi aliqui ex auguribus, qui ære publico ad huiusmodi negotia adhibẽtur,

fulguris ſignum a ſiniſtris datum pronuntiant, etiamſi nullum ſit datum. at illi vocis omine contenti, ad ſumendum magiſtratum abeunt; quidam, hoc ipſum rati ſufficere, quod nullo auſpicio aduerſo fuerint prohibiti; quidam etiam præter prohibentis Dei voluntatem: interdum non tam capiunt magiſtratus quam per vim rapiunt. quamobrem multi terreſtres Romanorum exercitus internecione deleti ſunt; multæ claſſes in mari vna cum ipſis militibus perierunt, aliæque clades ciuitati acciderunt grauiſſimæ, tum in externis bellis, tum in ciuilibus; ſed maxime inſignes noſtro tempore, quando Licinius Craſſus, vir ætate ſua nemini imperatorum ſecundus, expeditionem fecit contra Parthos aduerſis fatis, & contemptis quæcunque ipſum reuocabant ominibus innumeris. Verum de religionis neglectu qui noſtrum inuaſit ſeculum, longum eſſet dicere.

VII. Ceterum Romulus Diis hominibusque fauentibus rex declaratus, & bello dicitur fuiſſe magnus, periculorumque contemptor; & in republica optime inſtituenda prudentiſſimus. eius nunc domi ac militiæ geſta proſequar, quęcunque memoratu digniora ſunt. ac primum de concinna reipublicæ forma quam equidem omnibus ceteris rerumpublicarum conſtitutionibus præfero, vt paci æque ac bello idoneam. ea ſic ſe habuit. in tres partes diuiſa vniuerſa multitudine, ſingulis ſingulos præfecit duces præclariſſimos. deinde vnamquamque rurſum in decem partitus, totidem eis duces præpoſuit, ſingulis ſcilicet fortiſſimum quenque. harum partium maiores, tribus: minores, curias appellauit, ſicut & hodie vocantur. Græci curias, φράτρας ſiue λόχους: tribus, φυλὰς ſiue τριττῦς dicerēt ſicut tribuum præfectos, φυλάρχους & τριττυάρχους iidem nominarent, quos Romani tribunos: alteros, curiis præpoſitos, φρατριάρχους & λοχαγοὺς: quos Romani curiones appellant. curiæ rurſum in decurias ab eo diſtributæ ſunt, & ſuus cuique decuriæ præfuit rector, decurio vernacula lingua dictus. Ita digeſto per tribus atque curias populo, agro quoque in triginta ſortes æquales diuiſo, ſingulas curias ſingulos ſortiri agros iuſſit, exempto prius quantum fanis & templis ſufficeret, & quadam parte quæ eſſet iuris publici. atque hæc fuit vna diuiſio tam virorum quam agrorum: in qua

Rom. remp. inſtituit.

Tribus.
Curiæ.

in qua rex summam reipublicæ æqualitatem obseruasse visus est. Nunc alteram dicturus sum virorum duntaxat, quæ ad subditorum curam, honores, atque dignitates pertinet. Illustres genere, & virtute celebres, opibusque (vt tum ferebant tempora) abundantes, quibus essent liberi, secreuit ab obscuris, abiectis, & egenis. Inferioris fortunæ homines, Plebeios vocauit; qui Græcis essent δημοτικοί: potioris vero, Patres, siue quod ætate anteirent alios, siue quod haberent liberos, siue propter claritatem generis, siue propter hæc omnia; exemplo (vt videtur) ab Atheniensium republica sumpto, quæ illo tempore adhuc florebat. hi enim bifariam distributa multitudine, εὐπατρίδας (*id est patricios*) appellabant illustribus familiis ortos, opibusque præpollentes; penes quos fuit ciuitatis regimen; ceteros ciues, ἀγροίκους, (*id est rusticos*) quibus nullum erat in republica suffragium; licet tandem hi quoque ad magistratus gerendos admissi sint. Sane qui proxime veritatem de republica Romana scribunt, has caussas afferunt cur illi viri Patres nominati sint, & progenies eorum Patricii. Qui autem priuatæ hac in re indulgent inuidiæ, & vrbi generis obscuri calumniam impingunt, non ideo dictos Patricios aiunt, sed quod hi soli possent patres ostendere: quasi cetera turba fugitiuorum fuerit, nec valentium proferre patres ingenuos: & argumento vtuntur hoc, quod quoties patricii conuocarentur à regibus, præcones quenque suo ac paterno appellabant nomine: plebeios vero ministri quidam cornibus bubulis confertim buccinantes in concionem conciebant. sed neque per præcones euocatio, nobilitatis patriciorum argumentum est; neque buccinæ sonus, obscuritatis plebeiorum indicium: nam illa, honoris; hæc, celeritatis est. neque enim plebs intra breue tempus nominatim conuocari poterat.

VIII.

Plebeii.
Patricii.

Romulus porro postquam discreuit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit quid vtrisque faciendum esset: vt patricii sacra curarent, magistratus gererent, ius redderent, secum rempublicam administrarent, res vrbanas obirent: plebeii vero, ab his negotiis immunes, (quippe qui talium imperiti essent, nec vacare per inopiam eis possent) agros colerent, pecora alerent, exercerent quæstuosa opificia; ne seditiones orirentur, sicut in aliis

IX.

ciuitatibus, dum inferiores a potentioribus cubito protru-duntur, aut egeni ac viles eminentioribus inuident. Commendauit enim patriciis plebeios, optione cuique è vulgo data, vt quem vellet, patronum sibi legeret. mos sane Græcus & antiquus, quo diu Thessali vsi sunt, & Athenienses prisci; sed tum receptus in melius. illi enim, superbe vtebantur clientibus, opera eis iniungentes quæ non conueniunt liberis; & siquando iussa non fecissent, intentantes verbera; ad cetera quoq; abutētes tanquam empticiis. hos Athenienses θῆτας vocabant, ob ministeria; Thessali vero, πενέστας, ipso vocabulo fortunam eis exprobrantes. *nam πένεσθαι Græcis significat pauperem esse.* Romulus contra & appellatione decora hoc negotium cohonestauit, patronatum nominans tutelam pauperum & abiectorum; & commoda vtrisq; addidit officia, excogitata ciuili & perhumana copula.

Clientes: Patroni.

X. Ius illud patronatus a Romulo tunc præscriptum, diuque à Romanis obseruatum, huiusmodi constabat officiis. Patronos oportebat clientibus respondere de iure, cuius illi rudes essent; & absentium æque ac præsentium curam gerere, facientes quicquid pro filiis parentes solent facere, quod ad pecunias & pecuniarios contractus attinet; & lites pro clientibus suscipere, si eis contra ius in contractibus afferretur detrimentum: itidemque si in ius vocarentur, sustinere accusatoris impetum: & vt compendio dicam, quietem eis, qua maxime opus haberent, parare à priuatis publicisque negotiis. Vicissim clientum erat, patronos in elocandis filiabus iuuare, si eis parum esset pecuniæ; & si vel ipsi, vel eorum filii capti essent, pretium hosti dependere: priuatarum quoque litium perditarum æstimationes, & mulctas publicas pecuniarias, pro eis soluere, idque sumptu proprio, non fœnore, sed gratis: in magistratibus item, & muneribus gerendis, ceterisque publicis impendiis, sumptuum partem non minus quam genere propinquos sustinere. Commune autem vtrisque erat, ne fas aut ius esset alteris accusare alteros, aut aduersum dicere testimonium ferreve suffragium, aut cum inimicis examinari. quod si quis deprehensus esset aliquid horum facere, tenebatur lege de proditoribus, quam sanxit Romulus: conuictumque eius criminis cuiuis fas erat, vt Diti sacrum, interficere. mos enim erat Romanis quos vellent

impune

impune occidi, eorum corpora deuouere Deo cuipiam, præcipue Diis inferis: quod tunc quoque fecit Romulus. quapropter per multas ætates permansit mutua patronorum ac clientum copula, haud secus quam cognatæ necessitudines, posteris per manus tradita: & maxima laus erat nobilium, habere clientes quam plurimos, non hereditariis tantum clientelis conseruatis, verum etiam nouis propria virtute partis: ingensque certamen erat vtrisque ne vinceretur mutua gratia & beneuolentia, dum clientes patronis omnia pro virili obsequia præstare nitebantur, & vicissim patroni nullis corrumpi muneribus poterant vt clientes molestari sinerent. Tanta illis erat in omni vita continentia; & felicitatem virtute, non fortuna metiebantur.

XI. Nec tantum in ipsa vrbe plebs sub patriciorum erat patrocinio; sed & coloniarum, & sociarum atque amicarum ciuitatum, & bello subactarum, suos quæque habebat tutores ac patronos, quoscunque vellet è Romanis: & sæpenumero senatus controuersias ciuitatum ac gentium ad earum patronos remisit, eorumque iudicia rata habuit. adeoque ab his initiis ex auctoritate Romuli firma Romanis coaluit concordia, vt per septingentos viginti annos nunquam ventum sit ad sanguinem & cædem mutuam, multis licet ac magnis inter plebem & honoratos exortis controuersiis de republica, vt fieri solet in omnibus tam paruis quam magnis ciuitatibus: sed persuadentes atque edocentes mutuum, & partim concedentes, partim impetrantes à volentibus, ciuiliter componebant expostulationum negotia. ex quo autem Caius Graccus tribuniciam potestatem nactus, perturbauit ciuitatis concordiam, nondum desierunt se mutuum occidere, & ex vrbe in exsilium eiicere; nullum nefas non audentes ob victoriam. Verum de his alias fiet magis opportuna mentio.

XII. Ceterum Romulus postquam hæc in decentem ordinem redegit, confestim decreuit senatores creare, vt essent quibuscum administraret rempublicam; centumque viros ex ordine patricio, allegit, *hac ratione.* Ex omnibus vnum ipse declarauit præcipuum, cui rerum vrbanarum regimen committeret, quoties ipse foras duceret exercitum. præterea tribum vnamquamque iussit tres viros seligere, qui per ætatem maxime

saperent,& genere præcellerent. post hos nouem, mandauit rursum singulis curiis vt è patriciis ternos eligerent maxime idoneos: adiectisque ad illos nouem quos tribus legerant,his nonaginta qui curiarum suffragiis promoti erant, & his omnibus præfecto duce quem ipse secreuerat, centenarium expleuit senatorum numerum. Hoc consistorium,si Græce interpretari velis, significat γερουσίαν, *id est senatum*: atque ita vsque in præsens tempus à Romanis vocatur. vtrum autem propter ætatem, an propter virtutem huic consessui nomen sit inditum, non possum certo dicere: prisci certe viros ætate ac virtute præstantes, senum appellatione honorabant. qui vero censerentur in hoc concilio, Patres conscripti nominati sunt, & sic vocantur nunc quoque. quod & ipsum moris est Græcanici. reges certe qui hereditarium principatum sumerent, quosve populus sibiipse præficeret, consilium habebant ex optimatibus, vt Homerus & antiquissimi quique poetarum testantur: neque (vt fit nostro seculo) veteres illi reges ex sui tantum animi sententia potestatem exercebant.

XIII. Senatu deinde ex centum senioribus constituto, videns sibi & iuuenum aliqua manu opus futurum, cuius ministerio & ad corporis tutelam, & ad necessaria munia peragenda vteretur, trecentos viros robustissimos, ex nobilissimis familiis delectos, circa se habuit, commendatos curiarum suffragiis quemadmodum senatores antea, denos per singulas curias. His in vniuersum fuit nomen, sicut & nunc, Celeres: vt plerique tradunt, à celeritate ministerii; (promptos enim & citatos in exsequendis negotiis, celeres Romani vocant) vt vero Valerius Antias auctor est, à duce suo cui nomen id fuerit. insignem enim & ipsi habebant præfectum; cui tres centuriones suberant; & illis rursum alii, inferiores præfecturas obtinentes: qui per vrbem hastati ipsum assectabantur, & iussa exsequebantur ministeria: in militia vero antesignani erant & protectores; & egregia plerunque horum opera exsistebat in prœliis, quod & primi pugnam inirent, & postremi è pugna se reciperent: equites quidem, vbi campus esset ad equestre certamen accommodus; pedites vero, in solo aspero & equis inuio. Hunc morem mihi videtur accepisse à Lacedæmoniis, comperto quod apud illos quoque generosissimi quique

Celeres.

iuuenum

iuuenum erant in regia custodia, quibus in prælio reges vtebantur protectoribus, equestri atque pedestri pugnæ idoneis. His constitutis, honores & potestates in singulos ordines distribuit. Regi quidem eximia munia fuerunt hæc: primum, vt sacrificiorum & *reliquorum* sacrorum penes eum esset principatus, per eumque gereretur quicquid ad placandos Deos attinet. deinde, vt legum ac consuetudinum patriarum haberet custodiam: omnisque iuris, quod vel natura dictat, vel pacta *& tabulæ* sanciunt, curam ageret: vtque de grauissimis delictis ipse decerneret, leuiora permitteret senatoribus, prouidendo interim nequid in iudiciis peccaretur: vtque senatum cogeret, populum *in concionem* conuocaret; primus sententiam diceret; quod pluribus placuisset, ratum haberet. Hæc regi attribuit munia, & præterea summum in bello imperium. Senatui vero dignitatem ac potestatem hanc addidit, vt is, de quibus à rege ad ipsum referretur, de his decerneret, & ferret calculum, ita vt semper obtineret plurium sententia. id quoque à Laconica republica desumptum est. Lacedæmoniorum enim reges non erant sui arbitrii, vt quicquid vellent, facerent; sed penes senatum erat tota publicæ administrationis potestas. Plebi autem tria hæc commisit, magistratus creare, leges sancire; de bello, si rex permisisset, decernere. non tamen absolutam in his populo esse potestatem voluit, nisi & senatus in iisdem accessisset auctoritas. Ferebat autem suffragia non vniuersus populus, sed per curias; & quod pluribus curiis visum fuisset, id ad senatum referebatur: qui mos nostra ætate mutatus est. non enim senatus de plebis scitis decernit; sed de senatus consultis plebi permissum est suffragium. vtra vero consuetudo sit potior, aliis considerandum relinquimus. Distributis in hunc modum muniis, non solum ciuiles res prudenter ac decenter, verum etiam bellicæ celeriter & obsequenter administrabantur. Quoties enim ei visum fuisset expeditionem facere, neq; tribunos opus erat eligere per tribus, neq; centuriones per curias, neque magistros equitum, neque censum & delectum haberi, & in suum quenque ordinem redigi: sed rex tribunis mandata dabat, illi centurionibus, hi porro decurionibus, at hi singulis sibi subditis. ita ad vnum edictum vel vniuersus exercitus, vel pars eius aliqua,

XIV. *Regis munia.*

Senatus munia.

Plebis munia.

XV. *Rom. ciuitatem auget.* cum armis in præfinito loco præsto aderat. His institutis Romulus ciuitatem bello æque ac paci habilem reddidit: magnitudini vero eius ac frequentiæ hoc modo consuluit. Primum necessitatem colonis imposuit educãdi quicquid esset masculum, & è filiabus primogenitas; nullam autem prolem necari permisit minorem triennio; nisi siquid mutilum aut *alioqui* monstrosum in ipso partu esset editum. tales enim fœtus exponi à parentibus non vetuit, sed ostensos prius quinque viris è vicinia proximis, si illi quoque exponendos esse censuissent. siquis contra hanc legem committeret, præter alias mulctas, etiam dimidiam bonorum partem addixit ærario publico. Deinde cum intellexisset multas per Italiam vrbes inique vel tyrannide vel paucorum potentia premi, multosque ea de caussa solum vertere; hos, modo essent ingenui, nihil amplius in fortunas eorum inquirens, aut quo casu excidissent patria, instituit excipere & ad se traducere; atque hac ratione tum Romanæ vrbis vires augere, tum finitimorum oppidorum robur imminuere. id quo decentius fieret, religionem negotio prætexuit. Locum enim Capitolium inter & arcem situm, qui nunc Romana lingua Inter duos lucos dicitur & tunc ex re habebat vocabulum, (ab vtroque scilicet latere, quo *ambos* colles attingit, condensis opacus arboribus) fano in hoc (incertum cui Deo) exstructo, asylum esse voluit supplicibus, ac per speciem religionis impunitatem spopondit iis qui supplices eo confugissent; ac si manere secum vellent, donabat eos iure ciuitatis, parteque agri hostibus adempti. Tum vero vndique istuc confluebatur, domesticorum malorum tædio: nec libebat alio demigrare retinente quotidiana principis comitate ac gratia.

XVI. His accessit tertium institutum Romuli, quod maxime à Græci generis hominibus exerceri decuit, vt omnium longe præstantissimum, & (vt mea fert opinio) libertatis Romanæ fundamentum firmissimum, atque ad futurum imperium momentum non minimum, quo videlicet puberes in bello captis vrbibus necari vetuit, aut sub hasta venundari; sicut nec agros earum relinqui voluit compascuos; sed in partem agri sorte diuidẽdam colonos Romanos mitti atq; ita captas vrbes, ex hostib. colonias Romanorum fieri; nonnullas vero etiam in ius ciuitatis admit-

His ille atque huiusmodi aliis institutis vrbem ex parua magnam reddidit; id quod res ipsa indicat. Qui enim vna cum illo vrbem condere cœperunt, non plures erant ter mille pedites,& pauciores trecentis equites: quando autem ex mortalium numero sublatus est, peditum reliquit quadraginta sex milia, & mille ferme equites. Atque hæc ipsius instituta cum regni successores seruauerunt, tum post illos magistratus annui; nonnulla etiam addentes;ita vt Romanorum ciuitas nulli genti vel populosissimæ numero hominum cederet. Quibuscum si Græcorum consuetudines comparem, non possum laudare Lacedæmonios & Thebanos, Athenienses ve opinione sapientiæ celebres: qui ad retinendam generis nobilitatem, vel nullos vel raros in ius ciuitatis admittebant: vt interim taceam hospites à quibusdam pelli solitos. ex hac enim iactantia non modo nullos perceperunt fructus, sed etiam maxima inde senserunt detrimenta. Spartani certe post acceptam ad Leuctra cladem, amissosque mille septingentos viros, nunquam postea potuerunt ciuitatem in integrum restituere, sed turpiter cesserunt imperio. itidem Thebani atque Athenienses vnico prælio ad Chæroneam à Macedonibus victi, mulctati sunt & patria libertate & Græciæ principatu. At Romani Hispanicis atque Italicis bellis impliciti, & Siciliam cum Sardinia sub dicionem suam retrahentes, nec immunes interim à bellis Macedonum & Græcorum, Carthagine rursum affectante imperium, Italia pene tota non solum ad hostem deficiente, sed etiam bellum quod Annibalicum dictum est, accersente, vno eodemque tempore tot periculis expositi, adeo non succubuerunt aduersis in eo bellorum tumultu casibus, vt etiam viribus inde sint aucti, militum numero ad excipiendos omnium impetus sufficiente, non (vt quidam opinantur) fortuna indulgente. nam quod ad hanc quidem attinet, vel vna Cannensis clades ciuitatem mergere poterat, quando è sex equitum milibus tantum trecenti septuaginta superfuerunt reliqui; & ex octoginta peditum millibus, in publicam illam expeditionem conscriptis, paulo plures ter mille manserunt incolumes. Hæc sunt quæ in hoc viro suspicio, atque insuper quæ mox dicturus sum: quod cum

XVII. (margin, beside "Quibuscum")

XVIII. (margin, beside "incolumes. Hæc sunt")

animaduertisset felicitatis rerumpublicarum esse caussas, quas omnes quidem politici prædicant, at pauci sectantur; primum, fauorem numinum, quo aspirante, mortalibus omnia cedunt prospere: deinde, temperantiam & iustitiam, per quas fit vt minus se lædant mutuum, magis consentiant, felicitatemque non turpi voluptate sed honestate metiantur: postremo, fortitudinem militarem, cuius ope ceteræ quoque virtutes sua exserant commoda: non sponte obuenire horum bonorum quodque ratus est; sed intellexit rectis legibus honestorumque studiorum æmulatione, piam, temperantem, iustitiæ studiosam belloque fortem ciuitatem fieri. His itaq; rebus plurimum curæ impendit à Deorũ cultu exorsus proinde templa & areas sacras, arasq; ac signorum ædiculas, tum eorundem simulacrorum effigies & insignia, præterea vires & dona quibus de nostro genere bene sunt meriti; festa item quæ cuique Deorum dæmonumve celebrari conuenit, & sacrificia quibus apud homines coli expetunt: ad hæc rationes induciarum, celebritatum, vacationum à laboribus, ceteraque huiusmodi omnia, iuxta optimos quosque Græcorum ritus instituit. ceterum fabulas de ipsis à maioribus traditas, probra eorum continentes ac crimina, improbas censuit, inutilesque ac indecentes, & ne probis quidem viris dignas, nedum Diis superis: repudiatisque his omnibus, ad bene ac præclare de Diis sentiendum & loquendum ciues suos induxit, nihil eis affingi passus quod beatæ illi naturæ parum esset consentaneum.

R. deorum cultum instituit.

XIX. Neque enim Cælus à suis liberis exsectus apud Romanos traditur; neq; Saturnus proprios natos abolens, metuensque ne ipsorum appetatur insidiis; non Iupiter Saturnum patrem regno deiectum Tartareo includens carceri; nec item deorum bella, vulnera, vincula, seruitutesve apud homines. Nullum apud eos festum atratum aut lugubre agitur, in quo mulieres sublatos è medio Deos planctibus & lamentis prosequantur, qualia sacra Græci faciunt, raptam Proserpinam casusq; Bacchi referentia, & id genus alia. ac ne corruptis quidem his temporibus apud eos videas arreptos numine, aut furorem corybanticum, non agyrtarum circuitiones, non bacchationes & secretos mysteriorum ritus, non virorum cum fœminis in templis peruigilia, nõ alia his similia prodigia: sed omnia

omnia quæ ad Deos attinent, religiosius aguntur ac dicuntur, quam vel apud Græcos, vel apud barbaros. & quod omnium maxime miratus sum, quamuis innumeræ nationes in eam vrbem conuenerint, quibus necesse sit patrios Deos domestico ritu colere; nulla tamen peregrina sacra sunt recepta publice; quod multis iam vrbibus accidit: sed etiamsi aliqua oraculorum iussu aliunde introducta sint sacra, suo tamen ritu peraguntur à ciuibus, abdicatis omnibus fabularum portentis; sicut in matris Idææ sacris fit. huic enim imperatores quotannis Romano ritu victimas cædunt & ludos faciunt: sacerdotio vero eius funguntur Phrygii generis vir & mulier, eamque per vrbem circumferunt, circulatorio ritu stipem Matri colligentes, & pectora plangentes, prosequentibus eos cum Matroo carmine tibiis, & tympanorum pulsu: sed è Romanis indigenis nemo cum Matriacis vicatim stipem colligit, nec ad Phrygios tibiæ modos per vrbem incedit varia indutus stola; nec ex decreto senatus Phrygia Matris orgia celebrat. Tanta est religio erga ritus exteros, omnisque indecora vesania reformidatur. Nemo tamen suspicetur me ignorare, fabulas quasdam Græcas esse perutiles hominibus, quæ vel opera naturæ per allegoriam indicant, vel ad consolationem humanorum casuum excogitatæ sunt, vel perturbationes ac terrores insanasque opiniones ex animis eximunt, vel ad aliam quampiam vtilitatem sunt confictæ. XX. equidem ista noui æque ac quiuis alius; attamen illas religiosa cautione mitto, ac Romanam theologiam magis probo, reputans quod in Græcorum fabulis exigua insunt bona, nec multis prosunt nisi qui scopum earum accurato examine cognouerint: quæ quidem sapientia paucis contigit. ceterum vulgus & philosophiæ rudis turba tales de Diis sermones in deteriorem partem accipit, & è duobus alterum hinc capit incommodum. aut enim Deos contemnit tanquam multis inuolutos infortuniis; aut à nulla iniquitate turpitudineue abstinet, cum Deos quoque his obnoxios videat. Verum hæc speculatiuam duntaxat philosophiam sectantibus consideranda relinquimus: de XXI. cõstituta vero per Romulum republica etiam ista memoratu digna sunt: primum quod multos addixit diuino cultui. in nulla certe alia recens condita vrbe tot sacerdotes ac

Deorum ministros mox ab initio institutos aliquis indicauerit. nam præter gentilia sacerdotia, qui publice pro ciuitate sacra tributim & curiatim facerent, sexaginta illo regnante designati sunt, vt Terentius Varro in Antiquitatibus auctor est, vir ætate sua doctissimus. deinde, cum alii temere plerunque ac inconsiderate sacrorum antistites eligant, quidam licitatoribus hunc honorem proponentes, quidam sortibus committentes, ipse neque venalia esse voluit sacerdotia, neque sorte distribui: sed lege sanxit vt è singulis curiis legerētur bini annum egressi quinquagesimū, qui virtute ac genere præcellerent ceteros, opesque haberent sufficientes, & integro essent corpore his non ad certū tempus, sed in omnem vitam eum honorem concessit, immunibus propter ætatem à militia, & propter priuilegium
XXII. exēptis ab vrbanis molestiis. Quoniam autem quædam sacra per mulieres fieri oportebat, quędam etiam per pueros patrimos matrimosque, vt his quoque quantum posset consuleret, voluit sacerdotum vxores cum suis maritis fungi sacerdotio; & siqua orgia viros obire vetaret mos patrius, ea relinqui fœminis, in eiusque ministerii partem debitam venire illorum etiam liberos. quod siqui prole carerēt, eis licere optare ex aliis cuiusque tribus familiis puerum puellamque elegantissimos ; alterum, ministraturum sacris donec pubesceret; alteram, tantisper dum pura esset à nuptiis : hoc quoque, credo, mutuatus à Græcorum legibus. Nā quæcunq; in Græcanicis sacris munia exequūtur eæ quæ κανηφόροι ab ipsis nominantur, ea peragunt apud Romanos hæ appellatæ. idque faciunt ornatæ capita corollis, qualibus Ephesiæ Dianæ statuæ ornari solent apud Græcos. Quæ autem apud Etruscos, & superiori etiam tempore apud Pelasgos in Curetum & Magnorum Deorum mysteriis peragebant ii qui vocabantur Cadoli; ea ministeria eodem modo sacerdotibus præstant qui nunc à Romanis nominantur Camilli. Præterea vatem vnum ex quaque tribu sacris interesse statuit; quem nos ἱεροσκόπον, ipsi minimum quiddam ex appellatione prisca seruantes, nominant aruspicem. De sacerdotibus autem Deorumq; ministris legem tulit, designari eos à *suis* curiis; quam electionem ita demum ratam haberi, si cōprobata fuisset ab
XXIII. auguribus. His de Deorum cultoribus ita cōstitutis, rursum

ſum ſua cuique curiæ ſacra, vt iam dixi, partitus eſt, aſſignatis in ſingulas Diis & dæmonibus quos perpetuo colerent: ſumptus etiam in ſacra faciendos præſcripſit, quos illas è publico accipere iuſſit. curiæque ad attributa ſibi ſacrificia cum ſacerdotibus præſto aderant; & feſtis diebus vna ſumebant epulum in foco curiali. ſuum enim cuique curiæ exſtructum erat cœnaculum: & præterea dedicatus communis quidam omnibus curiis focus, ſicut in Græcorum Prytaneis. Hæc quoque cœnacula curiæ nominabantur, quod nomen etiam hodie retinent. Id inſtitutum mihi deſumpſiſſe videtur ex Lacedæmoniorum diſciplina apud quos itidem phiditia tunc temporis erant vſitata: quẽ morem Lycurgus à Cretenſibus mutuatus videtur, magno ſuæ ciuitatis commodo. nam hoc pacto ciues pacis tẽpore ad frugalem vitam & moderatum victum aſſuefecit: in militia vero pudorem eis & cautionem ingeſſit, ne quis manipularem ſuum deſereret, cum quo libaſſet, rem diuinam feciſſet, & communium ſacrorũ factus eſſet particeps. Nec in his ſolum rebus laudem meretur Romuli ſapientia, verumetiã quod frugalibus ſacrificiis Deos coli voluit, quorum pleraque ad noſtram ætatem permanent; tametſi nõ omnia priſcum ritum obtinent. ipſe certe ſpectaui in ſacris ædibus cœnas Diis appoſitas in menſis ligneis antiqui operis, offaſque polentarias in caniſtris & fictilibus quadrulis, liba item & far, fructuumque quorundam primitias, & alia huiuſmodi tenuia paratuque facilia, & omnis ineptiæ expertia; libationes etiam vidi non argenteis aureiſue infuſas vaſis, ſed capedinibus & guturniis teſtaceis; multum delectatus hominum in ritu patrio conſtantia, nihil ex antiquis ſacris in inſolentem luxum demutantium. Sunt præterea quæ Numa Pompilius Romuli ſucceſſor memoratu digna inſtituit, vir ſapiens, & rerum diuinarum interpres excellentiſſimus, de quibus dicetur poſtea; ſicut & Tullus Hoſtilius rex tertius, ac deinceps reliqui: ſed ſeminaria & initia, probatiſſimæque de cultu deorum leges, debentur Romulo. Quin & cetera præclara inſtituta, per quæ Romani felicitatem ſuam retinuerunt tot ſeculis, ad illum referenda videntur, vt auctorem legum honeſtarum & vtilium; quarum ſcriptæ quædam, pleræque ſcriptis mandatæ non ſunt. eas omnes percenſere

XXIV. *Rom. legib. mores temperat.*

non est opus: præcipuas tãtum & admiratione dignissimas, ex quibus aperte coniicere licet de eius viri inferendis legibus prudentia, quam seuerus fuerit, & infensus vitiis, heroicarumque virtutum æmulus, paucis indicabimus; illud præfati, omnes eos qui reipublicæ formas constituerunt vel Græcis vel barbaris, videri recte in genere animaduertisse, quamlibet ciuitatem quę constet ex multis domibus, tantisper frui tranquillitate, dum priuati homines viuendi rationem exactam tenent; ediuerso conflictari cum variis tempestatibus, si ciues singuli non bene se habeant. proinde oportere eum qui mente ad rempublicam administrandam idonea sit præditus, siue is legislator sit siue rex, leges ferre quæ iustas ac temperatas reddant ciuium vitas. quibus autem studiis & quibus legibus tales euadere possint, non æque omnes intellexisse videri; sed nonnullos multũ, immo intotum (vt breuiter dicam) aberrasse in his quæ in primis & proprie ad legislatoris curam pertinent. mox enim de nuptiis agentes & conuictu cum fœminis, vnde legislatori sumendum est initium, quemadmodum & natura

XXV. vitas nostras à coniunctione sexuum auspicata est. Alii sumpto à bestiis exemplo, vagos & promiscuos permiserũt concubitus; quasi hoc pacto vita liberari posset à furoribus amatoriis, à zelotypia in mutuas erumpente cædes, aliisque malis plurimis, quæ vel priuatas familias vel ciuitates totas propter mulieres solent inuadere: alii hanc insolentem & belluinam venerem profligantes è ciuitate, viros copulauerunt vnicæ mulieri: at de conseruando coniugio, & de vxorum modestia, neque magnum quid neque parcum prę scripserunt legibus, libenter abstinentes à negotio difficillimo. alii neque sine sponsione venereos admisere coitus, vt quidam barbari; neque vxores incustoditas reliquerunt, vt Lacedæmonii: sed multas eis ad modestiam facientes leges imposuerunt: nec defuerunt qui magistratus constituerent, penes quos esset cura honestatis mulierum. non tamen per eos satis prospectum est huic negotio, sed remissius quam vt ingenium intemperãs, ipsorum legibus

XXVI. ad vitæ modestiam possit adigi. At Romulus neq; marito contra vxorem stupratam aut temere domo profugã actione concessa; neque nuptæ contra virum malæ tractationis, aut destitutionis iniustæ; neque de reddenda recipiendaue

endaue dote vllis latis legibus, nec alia quapiam huius generis regula præscripta, vnica tantũ efficaci ad hæc omnia, vt res ipsa ostendit, constitutione redegit vxores ad decentem modestiam. ea fuit talis: mulierem nuptam, quæ iuxta sacras leges in manum viri conuenisset, participem esse omnium bonorum & sacrorum. nominabant autem prisci Romani sacras nuptias vocabulo suo confarreationem; à communione farris, quod nos Græci zeam dicimus. & quemadmodum nostri homines antiquissimam hordeaceam frugem rati, hordeo victimas initiant, οὐλὰς illud (*id est molam salsam*) nominantes; ita Romani quamuis hostiam igne adolendam respergunt farre; quippe qui hoc frugum genus antiquissimum existimant & honoratissimum. manet enim is mos hodieque; nec quicquam est additum ad priscam frugalitatem. Quoniam igitur vxores in sacratissimi & primi cibi communionem, multasque fortunas, ad maritos veniebant, coniunctio ista nomen à farris communione accepit; adeoque necessario indissolubilis familiaritatis nexu eos copulauit, vt connubium nulla res dissolueret. Ita lex hæc mulieres nuptas, quippe quæ non haberent aliud quo se conuerterent refugium, cogebat solius mariti se attemperare moribus: viros item sic habere vxorem, vt rem necessariam, nulloque diuellendam modo. Vxor enim pudica & marito in omnibus obsequens, æque ac ille domus erat domina; & in eius defuncti bona succedebat heres, sicut filia in parentis: ex asse quidem, si is sine liberis ac intestatus decederet: quod si prolem haberet, ex æquo cum liberis. Si autem aliquid peccasset, pœnam luebat ex mariti læsi arbitrio. de huiusmodi criminibus cõgnati cum ipso cognoscebant; in quibus erat violata pudicitia, & (quod apud Græcos videretur leuissimum) si deprehensa esset vinum bibisse mulier. nam vtrunque damnauit Romulus, vt delictorum muliebrium maxima; ratus stuprum desperatæ audaciæ principium esse; temulentiam vero, stupri: longoque tempore crimẽ vtrunque apud Romanos iram merebatur implacabilem; comprobantibus legis æquitatẽ tot seculis. Constat enim per DXX. annos Romę nullum accidisse diuortium. Septima demum supra centesimam & trigesimam Olympiade, Marco Pomponio, Caio Papyrio cõsulibus, primus dicitur vxorem dimisisse Spurius Caruilius, vir nõ obscurus, coactus à cen-

soribus iurare, liberorum caussa se coniugem non retinere: erat enim sterilis: qui ob hoc factum, quamuis necessitate compulsus, in perpetuum exosus fuit populo.
XXVII. Atque hæ sunt leges in quibus ferendis Romulus honestatis mulierum rationem habuit. quæ autem ad verecundiam & æquitatem liberorum attinent, vt parentes colant, & quæcunque illi iusserint, peragant, plus habent grauitatis, & nostrorum hominum leges longe superant. Nam qui formas viuendi Græcis condiderunt ciuitatibus, *certum quoddam* tempus admodum breue præscripserunt quo liberi patribus essent subditi; quidam vsque ad annum pubertatis tertium; quidam, tantisper dum cœlibes manerent; nonnulli, donec publice inter viros ascripti essent; quemadmodum è Solonis, Pittaci, Charondæque legibus acceperant, quorum magna celebratur sapientia: pœnas etiam in contumaces filios statuerunt non graues, permittentes patribus eos domo pellere, atque exheredare; præterea nihil: quæ non sufficiunt ad compescendam iuuentutis væsaniam moresque peruicaces: neque contemptores honestatis leui brachio possunt ad modestiã redigi. quapropter apud Græcos sæpe indecora multa in parentes committunt liberi. Romanorum autem legislator omnem (vt *breuiter* dicam) potestatem patri dedit in filium, idque toto vitæ tempore, siue in carcerem eum detrudere, siue flagris cædere, siue vinctum ablegare ad rustica opera, siue necare libeat; etiamsi filius tractet rempublicam, etiamsi magistratus gesserit maximos, etiamsi studii erga rempublicam laudem sit promeritus. iuxta hanc certe legem illustres viri pro rostris fauente plebe concionantes in senatus inuidiam, fruentesque aura populari, detracti è suggesto, abducti sunt à patribus, pœnas daturi ex ipsorum sentẽtia: quos dum per forum ducerentur, nemo adstantium eripere poterat, non consul, non tribunus, non ipsa turba cui tum adulabantur, licet omnem potestatem sua minorem existimans. taceo nunc quot viri fortes necati sint à patribus nimio virtutis ardore prouecti ad patrandum generosum aliquod facinus præter ipsorum mandatum; sicut de Manlio Torquato aliisque multis traditur, de quibus suo dicemus tempore.
XXVIII. Nec contentus hanc potestatem parentibus dedisse legislator Romanus, permisit etiam vendere filium

filium;nil deterritus crudelitatis specie, quod res grauior videri posset quam pro affectu domestico. quodque maxime aliquis miretur in dissoluta Græcorum disciplina educatus,quasi durum & tyrannicum, hoc quoque patri cõcessit, licere illi terna filii venditione pecuniam quærere; maiorem largitus potestatem patri in filium, quam hero in mancipium. seruus enim semel venditus,deinde libertatem adeptus, in posterum sui iuris est. filius vero à patre venditus,si liber fieret, rursum sub patris potestatem redigebatur. iterum quoque venundatus & liberatus, seruus vt ante patris erat. post tertiam demum venditionem eximebatur è patris potestate. Hanc legem primi illi reges obseruabant, incertum scriptamne an sine scripto proditam; habentes pro omnium optima. post sublatam vero monarchiam, cum primum visum est Romanis patrias consuetudines legesque omnes vna cum ascititiis in foro proponere vniuersis ciuibus, ne ius publicum mutaretur cum potestate magistratuum, decemuiri qui à populo acceperant potestatem colligendarum legum & conscribendarum,hanc quoque retulerunt inter ceteras: exstatque in duodecim tabularum (vt vocant) quarta, quas tunc in foro posuere. quod autem non decemuiri,trecentesimo post anno scribendis legibus creati, primi hanc legem in rempublicam Romanam introduxerint, sed iam dudum receptam non ausi sint tollere, cum ex aliis multis colligimus, tum præcipue e legibus Numæ Pompilii successoris Romuli, vbi sic scriptum habetur: Si pater filio concesserit vxorem ducere,quacum sacra & bona iuxta leges communicet, patri posthac nullum ius esto vendendi filium. quod ille non scripsisset, nisi ante ius fuisset patri vendendi filios. Sed de his satis multa. nunc libet cetera etiam instituta summatim percurrere, quibus plebeiorum vitam excoluit.

Considerans enim ciuiles cœtus ad vitæ temperantiam, & maiorem æquitatis quam lucri habendam rationem perdurandumque in laboribus, & virtutem rebus omnibus præferendam, non tam facile verborum doctrina duci, (quod plerique sint minus tractabiles) quam operum ad virtutes conferentium assuetudine; sciens etiam,eos qui necessitate magis quam voluntate ad il- XXIX.

la *studia* accedunt, si nihil sit quod prohibeat, relabi ad ingenium: propterea, sellularias quidem ac sordidas & turpiũ cupiditatum incitatrices artes, vt corporibus atque animis tractantium noxias & pestiferas, seruis & exteris exercendas tradidit: longoque tempore pudori fuerunt Romanis opera talia; ita vt nemo ex indigenis animum ad eas applicaret. duo tantum ingenuis reliquit studia, rei militaris, ac rusticæ; quippe qui videret hæc vitę genera ventri & illicitæ veneri minus obnoxia, lucraque sectari non ex mutuis iniuriis, sed ex hostium manubiis. ratus autem vtrunque absque altero imperfectum esse ac querulum, non aliis terras colendas attribuit, aliis diripiendas abigendasque res hostium, vt mos fuit apud Lacedæmonios: sed iisdem tam bellica quam rustica iniunxit munia: in pace omnes assuefaciens vt ruri manentes incumberent operi; nisi siquando mercatu opus esset: tunc enim in vrbem iri posse ac emi *necessaria*, nona quaque die nondinis assignata: tempore autem belli, militare illos docens, & certatim laboribus æque ac lucris instare: victoribus enim æqualiter diuidebat agrum ademptum hostibus, pariterque mancipia & pecunias, quo libentius expeditiones susciperent.

XXX. De iniuriis autem quibus inter se alii alios afficerent, sine dilatione cito decernebat, partim per se ipse, partim per alios: pœnasque infligebat pro criminum modo. cumque homines timore maxime à maleficiis deterreri posse cerneret, multa in eum vsum parauit, tribunal ad ius dicendum in loco fori conspicuo, satellitii trecentorum militum terribilem faciem, virgas ac secures prælatas à duodecim lictoribus, qui flagra meritos cædebant in foro, grauiumque criminum damnatos capite plectebant in conspectu omnium. Hæc fuit ratio institutæ à Romulo reipublicæ: ex qua de reliquis coniecturam licet sumere.

XXXI. *Romulus bello quæ gesserit.* Res porro ab eodem in bellis oppidatim gestæ, hæ ferme traduntur à scriptoribus memoratu dignæ. cum multæ, magnæque ac belliciosæ gentes Romanis essent finitimæ, amica nulla; volens eas conciliare sibi per connubia, qui mos contrahendæ amicitiæ antiquis habebatur firmissimus; cogitansque ciuitates istas haudquaquam sponte cum ipsis coituras, quippe qui nuper admodum vrbem condidissent, & nec opibus valerent,

in rebus gestis clari essent; cessuras tamen, si necessitate, non contumelia sibi vim factam intelligerent: ex consensu Numitoris aui sui cepit consilium, rapto frequente virginum numero connubium quærere. Quæ sententia postquam placuit, primum *Conso* Deo arcanorum consiliorum præsidi vouit, si conatus succederet, annuum festum ac sacrificium: deinde re cum senatu communicata, illis quoque comprobantibus indixit celebritatem festumque Neptuno diem, dimissis in finitimas vrbes qui inuitarent ad conuentum & certamina. certamina enim fore cum virorum tum equorum varia. Facto deinde ad eam celebritatem confluxu plurimorum hospitum cum vxoribus & liberis, peractisque Neptuno sacris & certaminibus, extrema ludorum die cum iam soluenda esset celebritas, mandat iuuenibus, dato signo rapiant virgines quæ spectatum venerant, quam cuique fors obtulerit; seruentque illam noctem castas, postridie vero ad se adducant. tum iuuenes cateruatim diuisi, vbi quod conuenerat signum, elatum viderunt, ad rapiendas virgines se conuertunt, magno tumultu ac vociferatione hospitum, maius aliquod malum suspicantium. Sequenti vero luce adductarum virginum animos mæstitia deiectos Romulus consolatus est; rapinam eam non ad contumeliam spectare sed ad coniugium dictitans, docensque morem hunc Græcorum esse antiquissimum, & qui maximum decus afferat expetitis ad nuptias mulieribus. proinde darent animos maritis, quibus fors dedisset corpora. Post hæc comperto puellarum sexcentarum octuagintatrium numero, delegit totidem viros cælibes; quibus eas in matrimonium dedit ritu cuiusque patrio, ignis & aquæ communionem inter coniuges pactus; qui mos durat vsque ad nostra tempora. Hæc facta quidam scribunt anno regnantis Romuli primo; at Cnæus Gellius anno quarto: quod est verisimilius. Nouæ enim coloniæ ducem, nondum constituta republica, tantum facinus esse aggressum, non videtur rationi consentaneum. Raptus quoque caussam alii mulierum inopiam fuisse tradunt. sunt qui belli occasionem sic quæsitam existiment. qui autem maxime probabilia scribunt, ad quorum ipse accedo sententiam, aiunt hac necessitudine captatam amicitiam finitimarum vrbium. Ceterum festum quod tunc

Raptus virginum.

XXXII.

consecrauit Romulus, etiam nostra ætate Romani agitant nomine Consualium; in quo ara subterranea, sita prope circum maximum, refossa circumquaque terra, sacrificiis & missis in ignem libaminibus honoratur, equorumque & iunctorum & iniugum committuntur certamina. Deus autem in cuius honorem ista fiunt, Consus à Romanis vocatur; quem quidam nostra lingua interpretantur Ποσειδῶνα σεισίχθονα; (*id est Neptunum terra quassatorem*) ideoque aram ei dicatam subterraneam, quod hic Deus terram teneat. Ego vero & alium *super hac re* sermonem audire memini; festum quidem & ludos equestres Neptuno fieri: aram vero subterraneam postea positam genio cuidam, cuius nomen proferri nefas sit, occultorum consiliorum duci & custodi. Neptuno enim occultam aram nusquam terrarum sacratam esse, nec apud Græcos nec apud Barbaros. quæ autem sint veriora, non est facile pronuntiare.

XXXIII. Vt vero de raptu ac nuptiis virginum fama per finitimas vrbes diuulgata est, aliæ succensuerunt facto; aliæ, reputantes quo animo, & in quem finem factum esset, moderatius tulerunt. res tandem erupit in bellum multiplex, prægrauante Sabino inter alia: quorum omnium felix fuit exitus. sicut ei iam ante vaticinia prædixerant, laboris quidem ac periculorum fore plurimum, sed lætos exitus. Primi autem bellum ei intulerunt Cænina, Antemna, & Crustumerium, prætexentes vltionem raptarum virginum, sed re vera moleste ferentes conditam breuique tempore multum auctam rempublicam Romanam; nec conniuendum ratæ dum accolarum omnium malo vires colligeret. itaque conuenerunt harum legationes ad Sabinos, postulantes illorum ductu & auspiciis bellum geri, eo quod viribus & opibus præpollerent, imperiumque in vicinos sibi arrogarent, nec minores quam ceteri accepissent iniurias. nam raptarum virginum maior pars erant Sabinæ.

XXXIV. Sed quum nihil proficerent, obsistentibus legatis Romuli, & gentis fauorem verbis factisque ambientibus, Sabinisque belli consilia continue procrastinantibus, pertæsi morarum decreuerunt suis opibus bellum cum Romanis gerere; satis sibi virium esse ratæ, in vnum collatis trium ciuitatum copiis, ad vnam non magnam vrbem expugnandam

gnandam. Sed quo minus in vna omnes castra coierint, vt decreuerant, Cæninensium fecit festinatio, qui auctores inferendi belli erant præcipui. his eruptione facta Romanum agrum populantibus occurrens cum exercitu Romulus, ex improuiso hostem aggreditur imparatum, & vallo vix dum permunito vi potitur: refugientiumque tergo hærens, priusquam oppidani cladem suorum cognoscerent, nactus incustodita mœnia portasque patentes, vrbem primo capit impetu: regem ipsum cum valido iuuenum globo occurrentem, in prœlio manu sua conficit ac spoliat.

XXXV. Cænina hoc modo capta, armis ademptis, imperatisque obsidibus, in Antemnates mouit. Sed & horum copias in abigendis prædis adhuc dispersas, nec opinantes adortus, sicut priores fudit fugauitque; & eodem modo vsus victoria, domum reduxit exercitum, spolia hostibus in prœlio detracta præferens, votiuasque manubiarum primitias, multasque Diis destinatas victimas. ipse pompam extremus claudebat, indutus purpura, & coronatus laurea, atque vt regiam maiestatem tueretur, quadrigis inuectus. reliquæ peditum equitumque copiæ quæ illum assectabantur, pro suo quæque gradu exornatæ, hymnis canebant Deos patrios, & ducem prædicabant incondito carmine, effusa obuiam ciuitate gratulabunda cum vxoribus & liberis vtroque viæ latere, summaque comitate excipiente victorem exercitum vt vero in vrbem ventum est, præsto erant crateræ vino plenæ, & mensæ variis instructæ cibis ante illustrium virorum ædes propositæ ad fruendum quibuslibet. atque hæc fuit victorialis cum tropæis & victimis pompa, quam Romani triumphum nominant, à Romulo tunc primum instituta: nostra vero tempestate magno luxu agitur, & fastu quodam tragico, non tam ad virtutis opinionem quam ad diuitiarum ostentationem, repudiata omni frugalitate pristina.

Triumphus de Caninatibus & Antemnatibus.

XXXVI. Traducta pompa & re diuina perfecta, Romulus in Capitolino vertice Ioui Feretrio templum designauit non magnum: (adhuc enim superest vetus eius vestigium vix quindecim pedum longitudine) quo inferret *opima* de Cæninensium rege spolia, quem sua manu peremerat. Feretrium autem Iouem, cui arma dicauit Romulus, siue quis τροπαιοῦχον aut σκυλοφόρον (vt quibusdam placet)

vocauerit; siue (quod vniuersam rerum naturam ac motum circumquaque complexus, supra cuncta emineat) ὑπερφερέτην, nequaquam à vero aberrauerit. Post redditas diis votiuas victimas *spoliorumque* ac *prædæ* primitias, rex ante omnia retulit ad senatum de captis vrbibus quid statuendum censerent; ipseque sententiam primus quæ sibi optima videbatur protulit: & cum ii qui aderant probarent principis consilium, vt tutum simul & magnificum, ac reipublicæ multis modis vtile, non in præsens modo, sed in posterum quoque, perpetuam sibi *prudentiæ* laudem pepe-
XXXVII. rit. Nam contractis in vnum quotquot Antemnatum & Cæninensium generis cum ceteris raptæ fuerant, vt vidit prouolutas *sibi ad genua*, lamentantes deflentesque fortunam patriæ, desinere ac silere iussas sic affatus est: Quamuis patres vestri & fratres, totæque ciuitates, extrema mereantur omnia, vt qui amicitiam nostram aspernati, bellum maluerunt, nec honestum nec necessarium; nos tamen multa mouent ad consulendum de illis moderatius; respectus indignationis Deorum, quibus inuisa est omnis superbia; & metus hominum inuidiæ; & quod misericordiam credamus non parum conferre communibus *hominum* malis; quippe qui & ipsi aliorum ope quandoque indiguerimus: vobis quoque, de quibus hactenus nulla maritorum querela exstitit, hunc honorem habendum cẽsemus & gratiam. Itaque hoc delictum eos impune ferre sinimus; non libertate, non agris aliisue bonis vestros ciues mulctamus: qui volent illic manere, his permittimus: qui malent huc transferre penates, tuto id poterunt; pollicemurque fore vt optionis eos nunquam pœniteat. Ne autem posthac in idē relabantur peccatum, amicitiamque nostram vlla de caussa deserant, remedium erit opinor efficacissimum, idemq; ad gloriam & securitatem vtrisque vtilissimum, si fecerimus eas Romanas colonias, & eo colonos hinc miserimus, quãtum sat erit. Ite igitur bono animo, & maritos iam duplici honore ac caritate complectimini, per quos & parentibus vestris & fratribus, & patriis libertas manet atque incolumitas. His auditis lætæ mulieres, manãtibus præ gaudio lacrymis è foro abeunt. Romulus vtroque trecentos misit colonos; quibus vrbes illæ tertiam agri sui partem sorte diuidundam tribuerunt: rursum Cæninenses atque Ante-

Antemnates, quotquot voluerunt, ad habitandum Romam vna cum familiis transtulit, nec agris mulctatos nec pecuniis: eosque mox in tribus & curias adscripsit, non pauciores tribus milibus: ita vt tum primum peditum Romanorum censerentur in vniuersum sex millia. Erant Cænina & Antemna vrbes à Græcis oriundæ, non ignobiles. eas enim Siculis ademptas tenebant Aborigines, OEnotrorum pars, profectorum ex Arcadia, vt ante dictum est. post hoc autem bellum coloniæ Romæ factæ sunt.

His confectis rex contra Crustuminos, melius instructos quam priores, educit exercitum. eos & acie & murali pugna victos, quamuis repugnassent fortiter, nihilo tractauit durius: sed hanc quoque vrbem, sicut priores, Romanorum fecit coloniam. erat Crustumium ab Albanis multis seculis ante quam Roma conditum. Volitante per vrbes fama de bellica Romuli fortitudine, ac erga victos clementia, & multi viri fortes cum valida domesticorum manu ad eum commigrarunt; (à quorum vno, Cælio nomine, qui ex Etruria cum copiis venerat, vnus è *septem* collibus, vbi consedit, Cælius hodieque dicitur) & ciuitates integræ cõmittebant se eius fidei, exemplo à Medullinis orto; Romaque colonos assumebant. Hos successus ægre ferebant Sabini, reiicientes culpam alius in alium, quod imperii Romani non obstitissent principiis, iamque cum egregiis viribus aucto habituri essent negotium. quapropter visum est priorem incogitantiam validi exercitus missione corrigere: moxque indicto Cures (id gentis caput erat) concilio, communi suffragio bellum decernunt, ductu & auspiciis Titi Tatii Curium regis. atque ita soluto conuentu suam quisque domum reuersi, oppidatim bellum parabant, vere nouo magnis copiis Romam petituri. XXXIIX. *Crustumiũ captum.* *Sabinum bellum 1.*

Interea Romulus contra hostem bellicosum quam diligentissime se præmuniens, Palatinos muros, vt ciuium tutelæ prospiceret, altioribus propugnaculis erigebat: Auentinum quoque ac Capitolinum (vt nunc vocant) colles fossa & vallo firmo complexus, nocturnum pastoribus & agricolis receptaculum, vtrique idoneum imponebat præsidium; similiter & alia loca, si qua securitatem polliceri viderentur, fossis, vallis, & præsidiis muniebat. auxilium etiam validum adduxit è Solonio Etrusca vrbe Lucumo, vir XXXIX.

ſtrenuus & bello clarus, nuper receptus in amicitiam: & ab Albanis aui iuſſu venerunt multi tam milites quam operarii machinarumque bellicarum opifices. nec deerat frumenti, armorum, & aliarum eodem conducentium rerum copia. Ita paratis ad certamen vtriſque, primo vere Sabinis, priuſquam exercitum educerent, placuit legatos ad hoſtem ante omnia mittere, qui raptas fœminas repeterent, pœnaſque raptus exigerent; vt æquum poſtulantes, & repulſam paſſi, viderentur neceſſarium bellum ſuſcipere: caduceatoreſque in hoc miſſi ſunt. Romulus contra cenſebat mulieres, quandoquidem & ipſæ non inuitæ cum viris degerent, maritis relinquendas. quod ſi aliud quidpiam peterent, acciperent tanquam ab amicis, nec bello ſe laceſſerent.

XL. Hoſtes vero his conditionibus contemptis eduxerunt copias, vigintiquinque milia peditum, equites pene mille. Romanis non multo minor fuit exercitus, viginti milia peditum, octingenti equites: caſtraque duobus locis ante vrbem munierant; altera, in Eſquilino colle, in quibus erat ipſe Romulus; altera, in Quirinali, nondum id nomen ſortito; quibus præerat Etruſcus Lucumo. At Sabinorum rex Tatius, poſtquam cognouit apparatus hoſtium, nocte excitas copias ſine damno agreſtium per regionem duxit: & ante ſolis ortum medio inter Quirinalem & Capitolium campo caſtra poſuit: cumque videret omnia firmis hoſtium præſidiis teneri, ſibi vero nullum tutum locum reliquum, hærebat inops conſilii, ratus fore vt fruſtra tempus ibi tereret. ſed animi perplexo fortuna inopinata viam expediit, munitione optima in eius poteſtatem tradita hunc in modum. Obeuntes pedem Capitolii Sabinos, ſpeculabundos ſiqua is collis furto aut vi occupari poſſet, è ſublimi contemplabatur virgo quædam, viri nobilis præſidio præfecti filia, Tarpeia nomine. hanc, vt Fabius & Cincius produnt, cupido ſubiit anulorum & armillarum quas illi geſtabant in ſiniſtris brachiis: gaudebant enim tunc Sabini non minus quam Etruſci, molli victu ac cultu, & ornamentis aureis: vel, vt Lucius Piſo vir cenſorius ſcribit, volebat præclaro facinore nudatos ſcutis hoſtes ciuibus ſuis obiicere. Vtrius autem verior ſit opinio, ex procedente narratione licebit coniecturam ſumere. Ergo ancilla per occultum poſt

posticulum emissa, petit à rege Sabinorum vt sine arbitris in colloquium suum veniat, auditurus de seriis negotiis & necessariis. cumque Tatius spe proditionis arripuisset oblatam occasionem, & in condictum locum venisset, virgo quam potuit *latentissime* progressa, ait patrem suum noctu ex arce negotii cuiusdam caussa profectum, portarum claues sibi asseruandas reliquisse: paratamque se munimentum noctu venientibus tradere, mercede proditionis accepta quod cuncti Sabini gestarent sinistris brachiis. quod vbi probatum est Tatio, pactorum fide cum sacramento data vicissim & accepta, locoque Sabinis munitissimo præfinito, & nocturna veniendi hora, qua putabat remissiores fieri excubias, clam in arcem reuertitur.

Hactenus inter omnes scriptores Romanos conuenit; in sequentibus discrepant. Piso censorius, cuius supra memini, nuntium narrat à Tarpeia noctu ex arce missum, Romulo indicaturum quid puella cum Sabinis pacta esset, & quod à deceptis conditionum ambiguo, petitura esset arma quibus se protegerent. proinde mitteret noctu in arcem manum aliam, hostes exarmatos cum suo duce oppressuram facile. eum nuntium transfugisse ad regem Sabinorum, & detulisse Tarpeiæ consilia. Fabius autem & Cincius nihil tale, sed aiunt seruasse puellam quod de proditione pacta erat. Rursum quæ sequuntur, vno consensu traduntur ab auctoribus. aiunt enim aduentiente rege Sabinorum cum exercitus robore, condictam portulam hostibus à Tarpeia iuxta promissum apertam esse, simulque ab ea loci custodes excitos, vt quantocius se per alteram portam hostibus ignotam proriperent, quasi arx à Sabinis iam esset occupata. quibus dilapsis, Sabinos per apertam portam ingressos arcem desertam occupasse: ac mox Tarpeiam, vt quæ fidem pacti pro parte sua præstitisset, mercedem sacramento debitam postulasse. Hic rursum Piso quidem ait, quum Sabini parati essent, aureas *armillas*, quas in sinistris habebant brachiis, puellæ tradere, Tarpeiam non ornamenta sed scuta ab eis postulasse. Tatio vero simul doli caussa indignationem, simul non violandæ religionis cogitationem obortam. itaque visum ei, tradenda quidem arma puellæ, vt postulauerat; sed ita ne acceptis vti posset: ac mox totis viribus

XLI (margin, beside "Hactenus inter omnes")

XLII. (margin, beside "Hic rursum Piso")

ſcutum in virginem conieciſſe, ceteroſque idem facere iuſſiſſe. ita impetitam vndique Tarpeiam, vi & multitudine inflictorum ſibi ſcutorum obrutam & peremptam eſſe. Fabius autem violati pacti dolum ad Sabinos retulit. pro auro enim, quod Tarpeiæ debebant ex pacto, indignatos mercedis magnitudinem, ſcuta in eam conieciſſe; quaſi hæc ſe daturos iurauiſſent. Sed quod necem eius ſecutum eſt, Piſonis ſententiam efficit veriorem. nam & ſepulcri honore dignata eſt vbi cecidit, in colle vrbis ſacratiſſimo; & quotannis ei Romani reddunt inferias, vt Piſo in literas retulit: quorum neutrum conſecuturam fuiſſe credimus vel à proditis vel ab interfectoribus, ſi occubuiſſet patriæ proditrix: imo ſiquæ ſuperfuiſſent oſſium eius reliquiæ, refoſſæ tandem ac diſiectæ fuiſſent, vt hoc exemplum alios à tali facinore deterreret in poſterũ. Sed de his quiſq; vt volet iu-

XLIII. dicet. Ceterũ Tatius & Sabini arce munitiſſima hoſticique inſtrumenti bona parte ſine labore potiti, iam in tuto bellum trahebant. cum itaque exiguo interuallo dirempta eſſent caſtra, per occaſionem alteri alterorum vires crebris velitationibus experiebantur: ſed hæ neutri parti nec victoriam, nec cladem inſignem afferebant: bis deinde in acie totis viribus pugnatum eſt, & magna vtrinque ſtrages edita. tandem enim pertæſis morarum vtriſque placuit iuſto prælio de rerum ſumma decernere: progreſſique in mediam caſtrorum planitiem præſtantiſſimi duces & exercitatiſſimi milites, memorabilia edebant facinora, alternis facientes & excipientes impetum, iteratis ſubinde æquo marte vicibus. interim qui è munitionibus ancipitis certaminis & nunc huc nunc illuc inclinantis victoriæ ſpectatores erant, rem fortiter gerentibus ſuis inhortatione ac læto pæane multum accendebant animos: feſſos vero & cedentes, eiulatu ac precibus reuocantes in prœlium, non ſinebant virtutem prorſus abiicere: atque ita vtrique ſupra vires durabant in periculis. tandem exacto die per dubiam pugnam, ſuperuenientibuſque tenebris, vtrique in ſua ſe caſtra non inuiti receperunt.

XLIV. Inſequentibus poſtea diebus ſepultis cadaueribus, refectis ſauciis & ſuppletis integrorum copiis, quoniam libuit denuo pugnam committere, eodem quo ante loco congreſſi, vſque ad noctem pugnauerunt, Romanis in vtroque

que cornu *egregie* vincentibus. præerat autem dextro ipse Romulus, sinistro Etruscus Lucumo. mediam Sabinorum aciem vnus sustentabat Metius Curtius, qui solus in caussa fuit ne prorsus vincerentur Sabini, cedentesque suos in hostem victorem denuo conuertit, vir robustus manuque promptus, & ob periculorum pauorumque contemptum laudatissimus. hic mediam aciem curare iussus, reiecit sibi oppositos. cumque vellet etiam cornua Sabinorum laborantia iam locoque pulsa restituere in integrum, cohortatus suos instabat hosti fugienti, disiectumque vsque ad portas fugabat: ita vt Romulum semiperfectam victoriam relinquere cogeret, & contra victricem hostium partem auerteret. quare Sabinorum pars quæ laborabat, restituta est in integrum, Romulo scilicet cum suis abeunte; & in Curtianos auersus totus *Romanorum* impetus. eum excipientes Sabini, acriter restiterunt aliquamdiu: dein ex aduerso confluentibus impares, sensim pedem referebant in castra, extremum agmen tutante Metio, ne fuga ordines confunderet. is enim resistebat inuehenti se Romulo; vnde inter ipsos duces egregium certamen commissum est. sed cum iam exsanguis iaculisque confixus Curtius paulatim retrocederet, excipit eum à tergo profunda palus; quam nec circuire facile poterat, circumfusis vndequaque hostibus; nec facile item transire, quod & circũquaque cœnosis lacunis esset cincta, & in medio profundis aquis stagnaret. attamen vbi ad eam accessit propius, eo se cum armis coniecit. Ibi Romulus, cum per cœnum & aquas hostem longe persequi non posset, eumque mox in palude periturum existimaret, in ceteros Sabinos vertit impetum. ille vero ægre tandem è palude cum armis eluctatus est, & intra vallum reductus. locus is iam terra congesta repletus est; adhuc tamen ex illo casu vocatur Lacus Curtius, Romani fori meditullium fere occupans. Romulus verò ceteros Capitolium vsque persequens, & XLV. sperans se iam posse arcem capere, tum aliis vulneribus multis debilitatus, tum saxo è superiore loco in caput grauiter ictus, semimortuus à suis qui aderant relatus est intra mœnia. ibi Romani duce non amplius comparente territi, in dextro cornu terga vertunt: sinistrum, cui præerat Lucumo, aliquamdiu restitit, animum addente duce, qui

bellicis artibus clarissimus, permulta in hoc bello insignia ediderat facinora, donec & ipse à Sabinis circumuentus, ac per latus traiectus, cecidit. Ibi & hoc cornu inclinare cœpit, & vniuersum agmen in fugam se vertit, Sabinis fidenti animo vsq; ad mœnia persequentibus. Sed iam portis proximos repressit erumpēs iuuenum globus, quos rex ad mœnium custodiam reliquerat. cumque Romulus, qui se iam recollegerat ex vulnere, ad opem suis ferendam celeritate quanta poterat maxima ex vrbe aduolaret, confestim mutata est fortuna partium. qui enim modo fugiebant, vt ducem suum ex insperato viderunt, receptis è recenti metu animis, ordinibusq; instauratis, sine mora manus cum instantibus conseruerunt: & qui fugientes intra mœnia compellebant, nec vllum obstare machinamentum putabant quo minus vrbe vi potirentur, ad tam repentinam & inopinatam mutationem ipsi de sua salute circumspicere cœperunt. erat autem eis procliuis in castra receptus, è superiore loco per viam cauam refugientibus; multique in ea fuga desiderati sunt. Hunc habuit ille dies euentum dubii certaminis; quod post inopinatos partium

XLVI. casus, vergente demum sole diremptum est. Sequentibus vero diebus Sabini consultabant, vtrum vastato quantum possent hostili agro, reducendæ essent domum copiæ; an accito recenti exercitu, perseuerādum in bello, donec præclarum ei finem imponerent. Durum enim videbatur vel cum infecti negotii probro abire; vel manere non succedentibus vt sperauerant rebus. Congressum vero & colloquium cum hoste, (qui solus restare videbatur honestus belli deponendi modus) non sibi magis quam Romanis existimabant conuenire. Romani quoque non minus, immo magis etiam quam Sabini, consiliorum erant inopes, incerti quid facerent. nam neque reddere mulieres placebat, neque retinere: quod alterum, secum trahere videretur confessam victoriæ amissionem, & necessitatem quaslibet alias ex hostis arbitrio conditiones admittendi; alterum, eos multas miserias inspectare cogeret, agrorum vastationem & iuuentutis fortissimæ quotidianos interitus. Quodsi *priores* de contrahenda cum hoste amicitia mentionem facerent, nihil æquum à Sabinis sperabant, ea maxime de caussa, quod animi peruicaces, cum sentiunt ad-
uersa-

uersarios ad se demulcendos verti, non se moderatiores, sed longe duriores præbent. Inter has cogitationes partium, dum neutris vel pugnæ initium vel pacis mentionē facere audentibus, tempus teritur, Romanorum vxores Sabini generis, propter quas bellum exortū fuerat, cœtu facto, absque viris arbitris inter se collocutæ, decreuerunt vtrosq; ad colloquiū & conciliationem inuitare. quæ huius illis cōsilii auctor fuerat, Hersilia nomine, erat non obscuro inter Sabinos loco nata fœmina. hanc quidā aiunt iam nuptam, inter ceteras puellas raptā pro virgine: grauiores auctores tradunt eam sua sponte in vrbe mansisse cum filia rapta, vt quam haberet vnicam. Quod consilium postquam vniuersarum communi sententia comprobatū est, adeunt senatum; & accepta dicendi copia, prolixa oratione cum patribus conscriptis agunt, vt sibi bona ipsorum venia cognatos suos adire liceat; affirmantes se certam spem cōcepisse conciliandæ inter duas gentes amicitiæ. His auditis in concilio rex & ceteri vehementer gauisi sunt, censentes solum hunc superesse perplexis rebus exitum: factumq; est senatusconsultum, vt quotquot Sabinæ haberent prolem, his, domi apud maritos relictis pueris liceret legationem ad suos populares suscipere. quod si quæ matres essent plurium, hæ partem eorum quantā luberet secum ducerent, & operam darent vt ambo populi coirent in amicitiam. Post hæc exeunt lugubri habitu, quædam etiam ducentes secum infantulos. Vt vero in castra Sabinorū ventum est, cum lamentis accidentes omnibus ad genua, magnam miserationem mouerunt inspectantibus, ita vt nemo sibi à lacrymis temperare posset. mox cum in conciliū admissas rex aduentus caussam dicere iussisset, auctor huius consilii legationisq; princeps Hersilia longa & ad mouendos affectus composita deprecatione rogauit, vt vxoribus pro maritis intercedentibus, pacem largirentur, quandoquidem propter ipsas susceptum esset bellum. quibus vero æquis cōditionibus res componi queant, duces ex vtriusq; reipublicæ commodo, si coeant, collatis sententiis decisuros. Oratione finita vniuersæ cum pueris ad regis genua prociderunt, nec surrexerunt donec à circumstantibus erigerentur, æqua omnia (quantum in se esset) pollicentibus. ac mox cum iussissent eas secedere, consultatione in-

ter se habita, decreuerunt pacificationem admittere. interpositisque primum induciis, deinde congressis inter se regibus, fœdus ictum est, & iureiurando firmatur, his cōditionibus: Vt Romæ pari potestate parique honore regnarent Romulus ac Tatius: vt vrbs deductum à conditore seruaret vocabulum; vt ciues singuli quidem, Romani, sicut ante, appellarentur; vniuersi autem, à Tatii patria, communi appellationis complexu denominarentur Quirites: vt Sabinis ius ciuitatis Romanæ daretur, quicunque id cuperent; vtque hi cum suis sacris reciperentur in tribus & curias. His iureiurando sancitis, arisque in id ipsum erectis circa mediam viam sacram, permixti se inuicem consalutauerunt. Digressis deinde cum suis copiis ducibus ceteris, Tatius rex cum tribus illustrissimis viris Romæ *habitaturus* substitit. hi quos acceperunt honores, posteris suis fruendos reliquerunt; Volesus Valerius, Tallus cognomine Tyrannus, & Metius Curtius qui paludem armatus tranauerat; cum quibus alii cognati & clientes manserunt non pauciores indigenis.

Fœdus inter Romanos & Sabinos.

XLIX. Iamque ordinatis rebus visum est regibus, quando turbæ multitudine magnopere creuisset ciuitas, duplicare patriciorum numerum, æquali numero è nouis incolis ad priores familias illustres adlecto, quos patricios vocarunt. *atque ita* ex his centum viros curiarum suffragiis electos ad veterem senatorum numerum adscripserunt: id quod vno consensu omnes pene Romanæ historiæ conditores produnt; pauci tantum de numero ascriptorum senatorum variant, non centum, sed quinquaginta in senatum fuisse cooptatos. De honoribus item, quos mulieribus reges tribuerunt ob nauatam in eis reconciliandis operam, non inter omnes Romanos scriptores conuenit. Sunt enim qui scribant eas & aliis donis multis magnisq; remuneratas à regibus, & triginta quas diximus curias, illarum accepisse nomina, quod totidem in legatione fuissent. Sed Terentius Varro hac parte dissentit à reliquis, asserens iam ante nomina curiis à Romulo fuisse imposita, cum primum distribueret multitudinem; partim à ducibus, partim à *veteribus* patriis desumpta: nec in legationem profectas triginta; sed demptis tribus, triginta supra quingentas: nec putat verisimile, reges hunc honorem tantæ mulierum cateruæ ad-

emptum,

emptum, paucis duntaxat voluisse conferre. Verum hæc nec silentio præterire, nec iusto prolixius memorare libuit. De Curibus autem, ex qua vrbe Tatius cum suis venerat, quando huc nos deduxit narrationis series, quinam fuerint, & vnde sint orti, sic accepimus. In Reatino agro, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quædam indigena primario genere nata, Enyalii templum ad choros celebrandos intrarat. hunc Sabini, eosque secuti Romani, Quirinum nominant; nondum satis certi Marsne is sit, an alius quispiam cui similes Marti honores deferantur. nam quidam vni Deo, bellicorum certaminum præsidi, nomen vtrunque tributum aiunt; alii duo numina bellica his appellationibus significata censent. In huius Dei area saltans puella, repente diuino furore correpta, chorum deseruit, & in Dei sacrarium se cursu proripuit. deinde à loci genio compressa, vt vulgo visum est, filium edidit nomine Modium, Fabidium cognomine. is virilem ætatem ingressus, & forma supra hominem fuit, & in re militari lõge clarissimus euasit. cumque captus esset condendæ vrbis cupidine, magna è finitimis agris manu collecta, intra perbreue tempus Cures condidit, imposito vrbi nomine (vt quidam putant) à genio cuius dicebatur filius: aut ab hasta, vt malunt alii. *Cures* enim Sabini hastas nominant. Ita Terentius Varro scriptum reliquit. Zenodotus Trœzenius, qui Vmbricæ gentis historiam conscripsit, narrat indigenas primum in Reatino habitasse; & inde Pelasgorum armis expulsos venisse in terram quam nunc habitãt: mutatoque cum sedibus nomine Sabinos pro Vmbris appellatos. at Porcius Cato nomen Sabinis impositum ait a Sabo Sanci filio: Sancum vero istum fuisse regionis genium, & à nonnullis Dium Fidium (*Græce* Δία πίστιον) appellari. Eorum primam sedem fuisse vicum quendam Testrinam nomine, non procul Amiterna situm; vnde expeditione facta Sabinos Reatinum agrum inuasisse, tunc habitatum Aboriginibus; vrbemque ipsorum nobilissimam Cutilias armis occupasse: missisque è Reatino agro coloniis, inter alia oppida multa, sed immunita, etiam Cures condidisse. regionem autem illos occupasse ab Adriatico mari distantem stadiis circiter 280. à Tyrrheno autem 200. & 40: in longitudinem patere paulo minus

Marginalia: L. *Cures.* — LI. — *Sabini.*

mille stadiis. Quin & alia in Sabinorum historiis domesticis exstat narratio, Laconicam eo venisse coloniam, quo tempore Lycurgus tutor sui nepotis Eunomi, Spartanis leges condidit: quarum seueritatem pertæsos quosdam, secessione à ceteris facta, vrbem prorsus deseruisse. deinde enauigato longo maris tractu, qualiscũq; terræ desiderio, votum Diis fecisse, quocunque terrarum primum appellerent, id *posthac* fore sibi domicilium. cumque delati essent ad Pometinos Italiæ campos, agrum quo primum appulerant, vocasse Feroniam, memores quòd eos huc illuc per mare ferri contigerat: templum quoque construxisse diuæ Feroniæ, cui vota fecerant; quam nunc vna litera mutata Faroniam nominant. horum quosdam ex eo loco profectos, sedes cum Sabinis coniunxisse: ideoque multa apud eos esse instituta Laconica, præcipue quantum ad belli studia, frugalitatem, vitæque omnibus in rebus duritiem attinet. Hæc de Sabinorum origine satis.

LII. *Romulus & Tatius vna imperant.*

Ceterum Romulus atque Tatius cum suis & vrbem confestim auxerunt, additis aliis duobus collibus, Quirinali Cælioque: & diuisis habitationibus, seorsum vterque degebat in locis sibi propriis: Romulus tenebat Palatium, eique contiguum montem Cælium; Tatius vero Capitolium, quod primum occupauerat; & Quirinalem collem. Iidem planiciem Capitolio subiectam, excisa silua, & stagno, in quod propter loci cauitatem multæ è *vicinis* montibus aquæ confluebant, terra congesta repleto, in eius quod nunc est fori vsum verterunt. ibi cogebantur cœtus, & negotia in Vulcani æde tractabantur, quæ paulum supra forum eminet. Exstructis quoque templis aras consecrauerunt Diis quibus in pugna vouerant; Romulus, Ioui Statori apud portam Mugoniam, quæ in Palatium è via sacra ducit; quod Deus exauditis ipsius precibus, exercitũ fugientem stare fecisset, & vti viribus: Tatius vero, Soli & Lunæ, Saturno & Rheæ; præterea Vestæ & Vulcano, Dianæ & Quirino, aliisq; Diis quos nominare Græcis nõ est facile. in omnibus etiam curiis mensas Iunoni Quiritiæ posuit; quæ ibi sitæ sunt nostro quoq; tempore. Sic vna per quinquennium sine vllis discordiis regnauerunt; in quod spatium incidit expeditio quam communibus auspiciis aduersus Camerinos susceperunt. Camerini enim, quum

quum emissa latronum manu multis malis regionem affecissent, aliquoties à Romanis in ius vocati, venire detrectarant. Quare illos Romani congredi secum ausos, acie primum fuderunt; deinde vi expugnatis mœnibus, victos armis priuarunt, & agri parte tertia mulctarunt. quem cũ illi iterum infestarent, Romani eos die tertia educto exercitu fuderunt, eorumq; bona cuncta inter suos ciues diuiserunt: ipsos, quotquot vellent, Romæ habitare permiserunt. erant autem ferme quatuor milia: quos in curias distribuerunt, & vrbem eorum fecerunt Romanam Coloniam. Cameriam istam Albani, multo ante quam Romã, condiderant: temporibus autem priscis Aboriginum fuit domicilium cum primis nobile. *Cameria colonia Rom. facta.* Sexto demum anno ad solum Romulum vrbis principatus rediit, Tatio per insidias exstincto, quas illi Lauiniatum optimates facta conspiratione tali de caussa struxerunt. LIII. *Tatii interitus.* Tatii amicorum quidam cum manu latronum excursione in agrum Lauiniensem facta, res eorum depopulati, pecorum quoq; greges abegerant: & propugnatum egressos partim occiderant, partim sauciauerant. cumq; ii ad quos hæc iniuria pertinebat, missis in hoc legatis iure res suas repeterent, Romulus censuit illis iniuriæ auctores dedendos ad supplicium. Tatius vero amicos tutans, indignum aiebat ab inimicis ad pœnam duci aliquos, idq; ciues ab exteris; ac iubebat vt illi qui de iniuria sibi facta quererentur, Romam ad ius experiendum venirent. sic legati re infecta indignabundi abierunt. eos Sabinorũ quidã iratis animis subsecuti, *repertos* in via vbi à nocte oppressi tentoria fixerant, dormiẽtes adoriuntur; direptisq; illorum sarcinis, iugulant quotquot in cubilibus deprehendũt: ceteri qui mature insidias senserũt, & elabi potuerunt, in vrbem refugiũt. Post hæc frequẽtes legationes tam è Lauinio quam ex aliis vrbibus accusabãt violatores iuris *gentium*, bellum denuntiantes si abiret impune tantum facinus. Tum Romulus eam legatorum iniuriam grauem (vt erat) & celeriter expiandam esse ratus, vt proculcata lege sanctissima; cum videret rem non esse curæ Tatio, nihil cunctatus sceleri obnoxios corripuit, vinctosq; legatis abducendos tradidit. LIII. Tatium vero simul ira, quasi hac deditione à regni socio læsus esset; simul abducendorum miseratio subiit, quod etiam cognatorum

cius vnus obnoxius esset isti piaculo: moxque milite stipatus, *sontes* abducentibus eripuit. Non multo post, cum Romulo (vt ferunt nonnulli) profectus Lauinium sacrorum caussa, quæ reges oportebat diis patriis pro salute vrbis facere, coortis in eum cæsorum legatorum amicis ac cognatis, ante aram cultrorum & veruum ictibus confectus est: vel si Licinio credimus, neque cum Romulo, neq; sacrorum caussa, sed solus eo profectus, quum Iæsis persuadere conaretur vt iras sontibus remitterent, indignante primum populo quod noxii non fuissent sibi ex Romuli ac senatus sententia dediti; deinde interfectorum propinquis magno numero in eum irruentibus, non amplius valens vindices manus effugere, lapidibus est obrutus. Hunc Tatius vitæ finem habuit, postquam triennale cum Romulo bellum, & quinquennale cum eodem gessit imperium. Sepultus est Romæ honorato funere, ac quotannis manibus eius publicæ instaurantur inferiæ. Romulus

LIV. autem denuo solus principatum adeptus, primo vt se sceleris in legatos commissi purum ostenderet, igni & aqua interdixit facinoris auctoribus, qui simulatque interierat Tatius, confestim omnes ex vrbe profugerant: deinde Lauinienses coniuratos, quos ob Tatii necem dediderat ciuitas, in iudicium pertractos absoluit, quod viderentur factum id iure tueri, vim esse pro vi redditam. His peractis exercitum contra Fidenas duxit, vrbem quadraginta stadiis à Roma dissitam, magnam tunc & populosam. Cum enim Romam fame laborantem commeatus à Crustuminis missus deueheretur nauigiis fluuialibus, Fidenates in nauigia cateruatim irruerant, commeatum diripuerant, & siqui obstitissent, eos occiderant; resque repetentibus, iure contempto, negauerant. quibus iniuriis commotus Romulus in agrum eorum cum valido irrupit exercitu; ingentique præda potitus, parabat suos domum reducere: sed cum Fidenates in eum prorumperent, manus cum eis conseruit: commissoque acri prælio, multis vtrinque desideratis, victi Fidenates in fugam se vertere. rex fugientium tergo hærens, velut vno agmine penetrauit intra mœnia. Captam primo impetu vrbem, supplicio de paucis sumpto, impositoque 300. virorum præsidio, parte agri mulctauit: quo suis *militibus* diuiso, hanc quo-

qu

que Romanorum fecit coloniam. eam Albani olim condiderant, eodem quo Nomentum & Crustumium tempore, tribus fratribus colonias deducentibus; quorum natu maximus Fidenarum fuit conditor. Post hæc Camerinos bello repetiit, qui colonos Romanos secum habitantes per insidias oppresserant, cum Roma pestilenti morbo laboraret. freti enim difficili Romanorum tempore, & putantes ista lue funditus eorum genus interiturum, colonos alios occiderant, alios eiecerant ex oppido. Id scelus vlturus Romulus, vrbe denuo potitus, auctores defectionis affecit supplicio, vrbem militi diripiendam dedit: ademptaque incolis agri parte dimidia, præter eam quam iam ante colonis dederat, præsidium sat validum imposuit, ne quas amplius turbas mouerent oppidani: atque ita reduxit copias. De hoc hoste secundum triumphum egit, & ex manubiis Vulcano dedicauit quadrigas æreas; ad quas etiam effigiem suam apposuit, cum Græco rerum à se gestarum elogio. Tertium bellum gessit cum Veiis Etruscorum vrbe tunc temporis potentissima, distante centesimo circiter stadio. est autem Athenis non minor, fundata in excelso & vndique prærupto scopulo. Belli prætextus Veientibus fuit clades Fidenatium: missisque legatis postulabant vt Romani præsidium inde abducerent, & agrum quem Fidenatibus ademptum occupassent, restituerent veteribus dominis. quo non impetrato, validum educunt exercitum, & castra prope Fidenas edito loco muniunt. non latuit tamē eorum expeditio Romulum; sed assumpta copiarum parte fortissima, Fidenis hostem exspectabat: paratoque vtrinque ad certamen milite, in æquum locum signa contulerunt: cum diu acri animorum contentione pugnatum esset, nox incertos victoriæ diremit. Ac tunc quidem sic pugnatum est. non multo post Romani prœlium instaurant; in quo sollertia ducis adiuti, superiores facti sunt; qui equites & pedites recens ab vrbe submissos, in propinquo hostium castris monte, noctu in insidiis collocauerat. nam hi cum aliquamdiu spectassent æquatam in planicie pugnam, mox vt signum quod conuenerat acceperunt à Romulo; cum magno clamore decurrentes inuaserunt terga Veientium, & integri iam fessos in fugam facile verterunt. pauci

Fidenæ captæ & Rom. col. facta. LV.

De Camerinis triumph.

LVI.

tamen eorum ceciderunt in prœlio: maior pars, qui se in Tiberim fluuium Fidenas præLabentem præcipitauerant, frustrata spe natatus, necati sunt: quippe qui labore pugnæ delassati, armis insuper impedirentur & vulneribus, quidam etiam imperiti nandi, quum animis metu perturbatis, non satis caute prospicerent, à vorticibus absorpti sunt. Quodsi mature post tentatam belli fortunam Veientes resipuissent, & in posterum quieuissent, nequaquam sibi maiorem cladem accersiuissent. nunc sperantes se renouato certamine acceptam ignominiam abolituros, & si maiore apparatu hostem inuaderent, facile superaturos, denuo numerosum in Romanos educunt exercitum, cuius pars ex ipsorum ciuibus erat conscripta, pars è sociis gentibus ad eos confluxerat: rursumque apud Fidenas acri prœlio victi, multos amiserunt in acie; plures viui deuenerunt in potestatem hostium. castra etiam capta sunt plena pecuniis armisque & mancipiis: naues quoque fluuiales cum commeatu interceptæ, quibus captiuorum turba secundo flumine Romam deuecta est.

De Veientibus triumph. Hic tertius à Romulo triumphus actus est, longe quam priores magnificentior. Non multo post legatis Veientium veniam & pacem petentibus has pacis leges Romulus præscripsit mulctæ nomine: vt agrum Tiberi contiguum, qui vocantur Septem pagi, Romanis traderent, vtque salinis abstinerent quæ sunt ad fluminis ostia: & ad tollendam renouandi belli suspicionem, quinquaginta obsides adducerent. quas cum illi æquo animo accepissent, fœdus cum eis in centum annos pepegit, conditionesque in columnas incidit. captiuos qui reuerti ad suos vellent, dimisit absque pretio: malentes in vrbe manere, quæ maior pars fuit, iure ciuitatis donatos distribuit per curias, assignato eis agro sorte diuidendo cis Tiberim.

LVII. Hæc Romulo regnante bella gesta sunt memorabilia: quod autem nullam amplius propinquarum gentium subegerit, in caussa fuisse videtur præmaturus eius obitus, qui in ipso bellicæ gloriæ vigore sublatus est. *Romuli obitus.* De eo multa et varia prodita sunt scriptoribus. Qui fabulosius res eius narrant, aiunt in castris apud milites concionantem, serenitate in atram caliginem repente mutata, nimboque vehemente cum fragore cælitus effuso, euanuisse ex illorum oculis

oculis: creduntq; à patre suo Marte abreptum esse. alii, quibus libentius crediderim, dicunt à suis ciuibus interfectũ. cuius facinoris caussam afferunt, quod præter consuetum inconsulto à ciuitate dimisisset acceptos à Veientibus obsides; quodque non amplius pari comitate dignaretur veteres ciues & adscripticios; sed illos maiore haberet in pretio, posteriores vero despiceret. *inuisa erat* & crudelitas eius in delinquentium suppliciis. Romanorum enim quosdam latrocinii conuictos à finitimis, nec obscuros viros nec paucos, sua vnius sententia damnatos iussit de pendula rupe dari præcipites. sed maxime *offendebat* quod videretur esse factus arrogantior ac durior, imperiumque non amplius regio sed tyrannico more gerere. His ergo de caussis aiunt patricios conspirasse in eius perniciem. necatum autem in curia: & ne cadauer compareret, frustatim corpus discerptum à senatoribus, elatumque sub togis, & clam terra obrutum. Alii cum concionem haberet, exstinctum dicunt à nouis ciuibus: ausos autem illos eam cædem oborta subita illa caligine, quum turba diffugiente, à satellitio quoque destitutus esset: ideoque diem huius casus hodieque à verso in fugam populo, *poplifugii* nomen retinere. Videntur porro ea quæ in ortu atque interitu huius viri diuinitus acciderunt, non paruam illis præbere occasionem qui Deos è mortalibus faciunt, illustriumque virorum animas in cælum euehunt. nam & cum matri eius inferretur vis, siue ab homine siue à Deo, solem defecisse totum, terrisque interdiu tenebras nocturnis similes incubuisse dicunt; idemque etiam necis ipsius tempore accidisse. Hunc igitur vitæ finem sortitus esse dicitur Romæ conditor & rex primus Romulus, nulla ex se relicta prole, post exactum regni annum trigesimum septimum, ætatis vero quintum supra quinquagesimum. admodum enim iuuenis ad principatum euectus est, natus annos octodecim, vt consentiunt qui res eius prodiderunt memoriæ. Sequenti anno nullus Romæ designatus est rex, ad nouum interregum magistratum delata administratione reipublicæ, hunc in modum. Ducenti patres conscripti, ex quibus senatum rege Romulo constitutum diximus, distributi in decurias, sortes inter se iaciebant, decemque viris quos sors contigisset pri- LVIII. *Interregnũ.*

mos, committebant vrbis imperium. hi non simul, sed vnus post alium quinis diebus fasces habebant ceteraque insignia regia; ita vt primus secundo, secundus tertio, & hic reliquis deinceps vsque ad vltimum traderet imperium. cumque primis decem regibus præscriptus quinquaginta dierum terminus exisset, alii decem accipiebant imperium, & ab his rursum alii. Visum est deinde populo abrogare decemuirale imperium, offenso crebris mutationibus potestatum, quod & dispar ingenium, nec voluntas esset eadem in omnibus. Tum patres aduocata concione iusserunt tribus & curias de ordinanda republica dispicere, siue regibus siue magistratibus annuis mallent eius curam credere. Non tamen plebs optionem sibi vindicauit, sed reiecit eam in senatum, libenter amplexura vtracunque probaretur illius præiudicio. Patres vno omnes consensu regem petierunt; sed de futuro rege dissensio incidit, ex vtra legendus esset classe, aliis vnum aliquem è vetere patrum numero regnare debere censentibus, aliis regnum deferendum potius ad quempiam ex

LIX. recens adscriptis, quos nouicios appellabant. Tandem post longam contentionem partium, conuentum est vtrinque in has conditiones, vt vel veteres senatores regem designarent, modo non è suo corpore, sed alium quem putarent maxime idoneum; vel nouicii idem facerent. acceperunt electionem veteres; & habita inter se longa deliberatione, decreuerunt in hanc sententiam: quandoquidem ipsi iuxta conditiones excluderentur regno, non esse id committendum vlli ex insidiatoribus; sed quærendum externum aliquem neutri factioni obnoxium, quo maxime modo tolleretur omnis materia seditionis *è comitiis regiis*. Id consilium vbi placuit, elegerunt è Sabina gente, Pomponis Pompilii, viri illustris, filium, Numam nomine; (quod vocabulum secunda syllaba producta, graui accentu proferendum est) prudentissimos ætatis annos ingressum, (non multum enim aberat ab anno quadragesimo) & formæ dignitate plane regia præditum: cuius tum sapientiæ fama erat inclyta non solum apud Cures, verum etiam apud gentes finitimas. In hunc vbi consenserunt, concione aduocata prodiit is qui tunc temporis erat interrex, & dixit decreuisse patres regi vt ante commit-

Numa Pompilius Rom. Rex II.

commutere rempublicam; & se quia penes se fuerit de futuro rege iudicium, regem eligere Numam Pompilium: moxque legatos è patriciorum ordine misit, qui hominem ad regnum ineundum adducerent, anno tertio sextædecimæ Olympiadis, qua stadium vicit Pythagoras Lacedæmonius. Hactenus nihil possum contradicere his quæ de hoc viro produnt historici: sed in iis quæ subiungunt, ambiguus hæreo, nam multi scribunt eum fuisse Pythagoræ discipulum; & quo tempore ad regnum Romanum vocatus est, apud Crotonem egisse ac philosophiæ operam dedisse: id quod ratio temporum non patitur: quando non paucis annis, sed totis quatuor ætatibus Pythagoras fuit Numa posterior, sicut è communibus historiarum monumentis comperimus. nam hic, circa medium sextædecimæ Olympiadis, Romæ regnum iniit: Pythagoras vero, post quinquagesimam demum Olympiadem docuit in Italia. Quin & validius argumentum habeo, tempora non congruere cum iis quæ de isto viro narrantur historiis: quia nondum erat Crotoniatarum vrbs quando Numa Romam ad regnum accitus est. integro enim quadriennio post assumptum à Numa principatum, Myscelus eam condidit, decimo septimo Olympiadis anno tertio. Vnde satis apparet, eum nec potuisse assectari philosophantem Pythagoram, qui quatuor post ætatibus exactis floruit; neque Crotone degere cum ad regnum vocaretur, quæ tunc nondum erat condita. Sed si licet meam opinionem proferre, videntur mihi qui hæc scripserunt, occasionem sumpsisse duabus ex rebus confessis, Pythagoræ commoratione in terra Italia, & sapientia Numæ vno omnium ore celebrata: atque ita hæc contexuisse, & Numam fecisse Pythagoræ discipulum, non exquirentes vt ego nunc, an eodem vterque vixerint tempore. nisi forte quis antiquiorem hoc Samio statuat alium Pythagoram doctorem sapientiæ, cum quo Numa sit conuersatus: quod nescio quomodo demonstrari possit, cum in nulla (quod equidem sciam) vel Romana vel Græca reperiatur historia memorabili. Sed de his hactenus. Ceterum Numa legatis ad regnum se vocantibus non statim obsecutus, imperium diu recusauit: tandem fratribus & ipso etiam patre deprecantibus

Olymp. XVI. LX.

LXI.

ne tantum honorem vltro oblatum reiiceret, assensus est regnum deferentibus. quo Romam renuntiato, mirum in ciuitate excitatum est hominis nondum visi desiderium, omnibus certo argumento sapientiam eius colligentibus, quando regnum, quod ceteri summe honorant, & in summo felicitatis gradu ponunt, solus vt rem vilem, & aspernandam contempserit. quapropter ei venienti itum est obuiam, deductusque est in vrbem cum crebris gratulantium salutationibus, & ceteris honoribus. Indictis deinde comitiis, tribuum per singulas curias suffragiis rex declaratus, patrum etiam calculo confirmatus, cum ad extremum augures quoque fausta sibi diuinitus oblata esse signa affirmarent, assumpsit imperium. Hunc virum negant Romani vllam expeditionem fecisse, sed pietati ac iustitiæ vacantem, in pace totum imperii tempus transegisse, ac ciuitatem optimis institutis ornasse. Multa etiam ac mira de illo prædicant, ad Deûm monita referentes eius sapientiam. fabulantur enim identidem ad eum ventitasse Egeriam nympham, eumque regiam prudentiam docuisse: alii non nympham, sed vnam Musarum idque manifestum omnibus esse factum. cum enim primi homines parum creduli, pro figmentis haberent quæ diuino numine dicebantur, aiunt eum, vt luculento indicio incredulis illis ostenderet se familiariter cum Dea versari, Deæ ipsius monitu multos viros bonos domum suam, in qua degebat, vocasse; ostensaque vili supellectili atque apparatu qui non caperet frequens conuiuium, tum dimissos inuitasse ad cœnam sub vesperam. quibus ad condictam horam reuersis monstrasse stragula pretiosa, mensasque refertas multis egregiis poculis: ac mox discumbere iussis epulum præbuisse instructum omnigenis ferculis, qualia ne longo quidem tempore aliquis tunc adornare facile potuisset. Romanos vero attonitos tam vario spectaculo, constanter posthac opinatos Deam quampiam cum illo familiariter degere. At qui fabulis locum
LXII. non relinquunt in historia, Numam hæc de Egeria dicunt finxisse, vt hac religione deuincti, leges ab ipso velut ex auctoritate Deorum latas, libentius admitterent: idque exemplo Græcorum factum, Minois Cretensis, & Lycurgi Lacedæmonii, sapientissimorum hominum. Mi-
no-

nos enim se cum Ioue colloqui dictitabat, ascensoq; identidem monte Dictæo, in quo Iouem recens natum, à Curetibus educatum insulani fabulantur, sacrum *Ioui* antrum ingressus, leges ibi condebat, atque inde prolatas se à Ioue accepisse prædicabat. Lycurgus vero Delphos profectus, ex Apollinis præscripto se leges tulisse simulabat. Verum ista fabulosa, maxime quæ ad Deos referuntur, quoniam longam & accuratam orationem desiderant, nũc missa faciam, dicturus potius quanta bona Romanos ex huius regis principatu percepisse in ipsorum monumentis reperio, si prius præmonuero quam perturbatus fuerit reipublicæ status antequam ille ad imperium accederet. Post Romuli obitum cum per integrum annum penes senatum esset potestas publica, ipsi inter se patres dissidere cœperunt ac de prærogatiuis & æqualitate contendere: dum Albani generis patres, ex iis qui cum Romulo coloniam deduxerant electi, tam in sententiis dicendis, quam in capiendis honoribus prærogatiuam sibi vsurpãt, & obsequium à nouiciis postulant; nihil concedentibus iis qui posterius in patrum ordinem è nouis colonis adscripti erant, & par honorum ac ceterorum commodorum ius sibi vindicantibus, præcipue vero Sabinis, qui ex fœdere inter Romulum & Tatium inito, ciuitatem sibi ex æquo cum antiquis vrbis habitatoribus communicatam esse dictitabant. Senatu dissidente clientes quoque in duas partes diuisi, vtrique cum sua se factione coniunxerunt. adhæc non parua plebis pars nuper in ciuitatem recepta, quia nondum Romulo in bellis operam nauarat, ideo neglecta neque agros habebat, neque vlla commoda. hæc egena & sine lare oberrans, necessitate magis quam voluntate potentioribus infensa erat, & ad res nouandas procliuior. His procellis iactatam rempublicam Numa excipiens, primum egenam illam turbam refouit, agrorũ quos Romulus ex hostico quæsierat, parte in eos diuisa, parte etiam de publico agro eis tributa. deinde patricium ordinem pacauit, dum *prioribus* nihil ademit eorũ quæ à condita vrbe fuerant adepti, & *nouellis* colonis alios honores attribuit. Instaurata omnium ordinum concordia, vt de communi cõsilio prouideretur reipublicæ, & Quirinalẽ collẽ complexus ampliatis mœnibus, tum demũ aliis

LXIII. (in margin beside "Post Romuli obitum")

Numa rẽp. ordinat. (in margin beside "His procellis")

LXIV. (in margin beside "Instaurata")

institutis animum adiecit, duarum rerum in primis habita ratione, quas existimaret magnopere pertinere ad felicitatem & incrementum ciuitatis. Pietatem ante omnia docuit homines, qui Dii mortalibus omnium bonorum auctores sint & conseruatores: deinde iustitiam, per quam concessis diuinitus commodis belle frui liceat. Quorum vtrunque quibus legibus ac institutis fundauerit & auxerit, prolixum opinor esset scribere, & parum necessarium, præsertim in Græca historia: attingam tamen præcipua quædam capita, vnde satis apparebit illius viri propositum; & à diuini cultus forma faciam initium. Ergo quicquid legum & consuetudinum à Romulo traditum accepit, immotum reliquit, velut optime ab auctore constitutum. quodsi quid animaduertit ab illo prætermissum, id *de suo* addidit, multas areas iis assignans Diis quibus nulli dum honores tributi essent, multa etiam templa & aras erigens, attributo suo cuique numini festo, & institutis qui sacra curarent sacerdotibus, latisque legibus permultis de castimonia, de ceremoniis, lustrationibus, ceteroque cultu & honore Deorum; adeo vt hac parte longe à tergo relinqueret quamuis ciuitatem, siue Græcam, siue barbaram, quantumuis pietatis nomine celebrem. Ipsum quoque Romulum, vt qui mortali homine factus esset augustior, templo & alternis annis sacrificio sub Quirini cognomento coli voluit. nam cum adhuc non satis constaret, à diisne raptus esset, an interceptus insidiis hominum, prodiit in forum Iulius quidam, oriundus ab Ascanio, agriculturæ studiosus, vitæque inculpatæ, & in quem nulla corruptelæ suspicio caderet: is dixit, se, cum rure domum rediret, Romulum cum armis suis ex vrbe abeuntem vidisse: cumque propius accessisset, hæc ex ipso audisse: Nuntia meo nomine Romanis, Iuli, in Deorum cœtum me duci à meo genio, qui mihi nascenti contigit. iam enim mortale æuum expleui, ac sum Quirinus. Porro Numa omnia quæ ad religiones ac ceremonias pertinent, octo libris iuxta totidem sacrorum classes complexus est. Primam sacrorum munerum institutionem tradidit triginta curionibus; quos publica pro suis curialibus sacra facere, supra dixi. Secundam, iis quos nos Græci στεφανηφόρους, Romani Flamines vocant, sic dictos à gestatione

cultum deorum exauget.

LXV.

Curiones.

Flamines.

tione pileorũ & coronamentorum, quę etiamnum gestant, flamina nominantes. Tertiam, tribunis celerum, quos dixi & pedestres & equestres militare, regisque corpus stipare. nam & hi solennia quædam peragebant sacra. Quartam, iis qui signa diuinitus edita interpretantur, & enarrãt quarum *ea* rerum sint *indicia*, publice ac priuatim: qui ab vna suæ artis specie, *auium scilicet* spectatione, Romanis dicuntur Augures; nostris hominibus essent οἰωνοπόλοι: omnium diuinationis generum peritissimi, siue quid è cœlestibus & aëreis signis coniiciẽdum sit, siue è terrestribus. Quintam, virginibus sacrum ignem custodientibus, quas illi à Dea cui ministrant, Vestales nominant. huic enim Numa primus apud Romanos templum statuit, & virgines sacrorum ministras assignauit. de quibus vt pauca & maxime necessaria dicamus, præsens argumentum postulat. digna enim disquisitione res est: ideoque & Romanæ historiæ scriptores non pauci eam sibi hoc loco ventilandam censuerunt. cuius rationes qui non satis accurate perpenderunt, temerius de ea conscripserunt. Quidam enim Romulum istius templi conditorem existimant, absurdum rati si vir rerum diuinarum peritus, in vrbis ædificatione non ante omnia publicum vrbis focum sacrasset, præsertim educatus Albæ, vbi vetus Vestæ sacrarium erat, & mater ipsius Vestæ sacerdos fuerat. cumque duo sint sacrorum genera, publica & gentilitia, necesse aiunt vtroque nomine illa non neglecta esse Romulo. nihil enim publico foco magis esse necessarium. nec vlla ei sacra per successionem generis fuisse magis familiaria; quippe qui oriundus esset à maioribus per quos Vestæ sacra transportata fuerant ab Ilio, atq; etiam natus ex huius Diuæ sacrifica. Sed videntur qui propter istas caussas hoc templum malunt Romuli esse quam Numæ ædificium, recte quidem sentire quod ad rem publicam attinet, oportuisse scilicet in vrbis ædificatione primum Vestæ ædem statui, præsertim à viro rerum diuinarũ non imperito. ceterum quod priuatim tum ad huius tẽpli ædificationem spectat, tum ad sacratas Deæ virgines, videntur mihi plane ignorasse. Neque enim locum in quo sacer ignis asseruatur, Romulus huic Deæ dicauit. cuius rei certissimum est argumentum, quod locus iste situs est extra quadratam Romam quam ille muniit: publici autem

Tribuni celerum.

Augures.

Vestales virgines.

LXVII

foci ædem ſolent omnes in potiſſima vrbis parte ſtatuere, nemo extra mœnia. neque virgines Deæ ſacerdotes inſtituit, memor (vt mihi quidem videtur) materni dedecoris, quæ in illius Deæ miniſterio virginitatem amiſerat: nec, ſi quam Deæ ſacrificam pudorem violaſſe deprehendiſſet, iuxta patrias leges eam punire potuiſſet, ob domeſtici probri recordationem. quapropter nullum fecit publicum Veſtæ templum, nec virgines ei ſacerdotes inſtituit: ſed per ſingulas curias focum dicauit vbi curiales rem diuinā facerent: eiſque ſacris præfecit curiones, iuxta morem qui adhuc ſeruatur in antiquiſſimis Græcorum vrbibus. in his enim prytanea quæ vocantur, ſacrata ſunt, & ad ſummum magiſtratum cura eorum pertinet.

LXVII. At Numa regno potitus, relictis ſuo loco focis curiatim poſitis, vnum inſuper omnibus communem ſtatuit medio inter Capitolium & Palatium ſpatio, cum iam hi colles vno murorum ambitu eſſent concluſi, & medio inter vtrunque loco ſitum eſſet forum templi ſedes; cuius cuſtodiam patrio Latinis more aſſignauit virginibus. Quin etiam dubitatur quid ſit quod intra ſacram ædem ſeruatur, & quare commiſſum ſit curæ virginum. Quidam negant quicquam ibi aſſeruari niſi ignem illum omnibus conſpicuum: virginibus autem potius quam viris propterea videri creditum, quod vt virgo incorrupta, ita ignis incontaminatus ſit: atque ita caſtiſſimo numini gratam eſſe rem apud mortales itidem puriſſimam. Ceterum ignem dicatum eſſe Veſtæ, quod cum Dea hæc ſit tellus, mediumque mundi locum obtineat, ſublime micantes ignes ipſa ex ſe accendit. Alii tradunt præter ignem arcana quædam ſacra in Deæ fano eſſe depoſita, quorum notitia ſit penes *ſolos* Pontifices & virgines; ac pro argumento non leui afferunt, quod in ædis incendio contigit quando primum Romani cum Pœnis ob Siciliam bellare cœperunt. in illo enim incendio virginibus metu diffugientibus, pontificum vnus Lucius Cæcilius Metellus vir conſularis, is qui deuictis in Sicilia Carthaginenſibus in celebri illo triumpho centum triginta octo elephantos traduxerat, poſthabito publicæ vtilitati priuato periculo irrupit in ardens penetrale, ſacraque à virginibus deſerta flammis eripuit: quamobrem maximos à ciuitate hono-

res

res eſt promeritus, ſicut ex elogio patet, quod aſcriptum eſt eius ſtatuæ in Capitolio. Huic rei confeſſæ annectunt coniecturas proprias. quidam dicunt hic ſeruari partem ſacrorum Samothraciæ, quæ Dardanus quondam ex ea inſula in vrbem à ſe conditam deportauerit; Æneaſque Troia profugus inter alia ſecum in Italiam attulerit; alii eſſe *verum illud &* cœlo delapſum Palladium, quod *diligenter* apud Ilienſes ſeruatum Æneas, vt *talium rerum* peritus, ſecum aſportarit; nam alterum ad eius ſimilitudinem formatum, Achiuos furto ſuſtuliſſe: qua de re crebra mentio reperitur apud poetas æque ac hiſtoricos. Ego ſane cuſtodiri à virginibus non ſolum ignem, ſed & ſacra quædam vulgo incognita, è multis colligo. quæ vero iſta ſint, nec mihi, nec alii religioſo Deorum obſeruatori, curioſius ſcrutari fas cenſeo.

LXVIII. Virgines autem quæ Deæ ſacris operabantur, quatuor erant ab initio; & ius eas optandi penes reges eſſe Numa voluit: poſtea tamen propter ſacrificiorum multitudinem ad ſenarium numerum auctæ, in eo hodieque permanent, degentes in Deæ fano, à cuius aditu nemo arcetur interdiu; ſed pernoctare intus fas eſt nulli maſculo. Has neceſſe eſt per triginta annos manere puras à nuptiis, Deamque ſacrificiis & ceteris ex lege ceremoniis colere. ac primo quidem decennio rationem ſacrorum eas oportebat diſcere, ſequenti exercere, poſtremo docere alias. poſt exactum vero annum trigeſimum, nihil vetabat eas ſi quæ vellent, poſitis coronamentis & reliquis inſigniis ſacerdotii, nubere: feceruntq; id paucæ aliquot, ſed parum læto vitæ exitu: vnde reliquæ capto ex illarum infortuniis omine, vſq; ad vitæ finem virginitatem in Deæ contubernio ſeruant: ac tum demum in defunctæ locum alia ſublegebatur à Pontificibus. Honores autem eis exhibentur à ciuitate multi & eximii; propter quos nec liberorum nec nuptiarum tanguntur deſiderio. pœnæ quoque delinquentibus graues ſunt propoſitæ; in quas inquirere atque animaduertere pontifices lex iubet, virgis cædentes deprehenſas in leuiori crimine, ſtupratas vero miſerabili longeque fœdiſſimo tradentes ſupplicio. viuæ enim funebri pompa efferuntur, amicis ac cognatis cum lacrymis lecticam proſequentibus: delatæque ad Collinam portam in-

tra muros in subterranea cella cũ sepulcralibus ornamentis inhumantur, nec monumento dignatæ, nec parentatione, aliisue solennibus defunctorum honoribus. admissum autem circa sacra piaculum tum aliis prodigiis deprehenditur, tum maxime si ignis exstinguatur; quod formidolosissimum Romanis habetur, vt perniciem ciuitati minitās, quacunque tandem caussa acciderit : & post multam procurationem alius ignis in templum deducitur, sicut suo loco dicetur aptius.

LXIX. Illud cum primis est memorabile, quomodo Dea periclitantibus falso crimine virginibus opem attulerit. quod etsi videtur incredibile, creditum tamen est à Romanis, & prolixe multorum scriptis celebratum. certe qui se tollenti Deos philosophiæ dediderunt, (si tamen ea philosophia dicenda est) irridentes quicquid de præsentia Deorum vel Græci narrant vel barbari, has quoque historias naso suspendent vt commenta arrogantium hominum; non putantes Deorum vlli curæ esse res vllius hominis at qui Deos non liberant respectu hominum, sed existimant tam malis infensos esse quam bonis propitios, cum multas perlustrarint historias, non grauabuntur credere hoc quoque numen suis affuisse. Ergo cum olim defecisset ignis negligentius asseruante Æmilia, quæ alteri virginibus nouiciis & adhuc rudimenta cultus discentibus eam curam commiserat, ferunt totam ciuitatem admodum turbatam, inquisitionemque habitam à Pontificibus num forte parum caste sacrum focum sacerdos tractauisset. Tum vero Æmiliam, insontem quidem, sed in tali casu inopem consilii, sacerdotibus ceterisque virginibus inspectantibus, ad aram manus tendentem dixisse: Vesta Romanæ vrbis custos, si tua sacra sancte ac rite per triginta ferme annos obii, puro animo & casto corpore, ades mihi *nunc* & per opem, neue despicias tuam sacerdotem miserrimo perituram exitio. si quod nefas admisi, meo supplicio tollatur ciuitatis piaculum. His dictis aulsam carbasinæ stolæ quam erat induta laciniam iniecisse aræ: post eas preces è frigido cinere ac ne scintillam quidem retinente, multam per carbasum emicuisse flammam, ita vt nec procuratione vlla nec instaurato igne ciuitati opus fuerit.

LXX. Sed mirabilius etiam est quod dicam & similius fabulæ. aiunt vnam sacrarum virginum, nomine Tuciam, iniuste à

ſte à quodam accuſatam; non quod ignem extingui ſiuiſſet, ſed quod aliis probabilibus indiciis in ſuſpicionem veniſſet, teſtimoniis etiam licet falſis eodem accedentibus. itaque iuſſam pro ſe dicere, promiſiſſe re, non verbis, diluturam ſe eam calumniam: ſimulque inuocata Dea vt ſibi viæ dux eſſe dignaretur, petiiſſe Tiberim pontificum permiſſu & proſequente vniuerſo populo. cumque ad flumen acceſſiſſet, contra vulgatum illud adagium auſam haurire aquam cribro vacuo, eamque vſque in forum perlatam ad pontificum pedes effudiſſe. addunt accuſatorem eius poſtea multum diuque perquiſitum, nec viuum vſquam comparuiſſe nec mortuum. Hęc de auxilio Deę pauca è multis dixiſſe ſufficiet.

Ceterum ſexta pars legum ad religiones pertinentium, attributa erat iis quos Romani vocant Salios. hos ipſe Numa è patriciis delegit, iuuenes decore conſpicuos, duodecim numero: qui ſacra in Palatio celebrant, Palatinorum cognomine. nam Agonales ſiue (vt quidam appellare malunt) Collini Salii, habent in Collino tumulo ſacratium, poſt Numam inſtituti à rege Hoſtilio, ſicut bello Sabino vouerat. hi ſalii omnes choreis & hymnis armatos Deos venerantur. Feſtum autem eorum incidit in Panathenæa noſtra menſemque Martium, agiturque publice ad dies aliquot; quibus per vrbem choreas ducunt vſque in forum & Capitolium, aliaque loca multa tam priuata quam publica, æreis balteis ſuper verſicolores tunicas cincti, togiſque purpura prætextis & fibula adſtrictis induti, quas vocant trabeas: quæ veſtis apud Romanos honoratioribus eſt propria. geſtant etiam capitibus quos vocant apices, faſtigiatos in coni formam pileos: Græci appellant κυρβασίας. accincti autem gladio ſinguli, dextra tenent lanceam aut virgam, aut tale quid aliud: ſiniſtra vero peltam Thraciam. ea ſcuto virgato, anguſtiores habenti laterum cauitates, ſimilis eſt: qualia dicuntur eſſe apud Græcos geſtamina eorum qui Curetum ſacra peragunt. Et quantum ego intelligo, Salii ſi Græco interpretari nomine velis, ſunt Κούρητες; quos noſtra gens ab ætate nominat, voce ἀπὸ τῶν κούρων (*id est à iuuenibus*) deflexa; Romani vero Salios appellant à tenore motus. nam quod nos ἐξάλλεσθαι & πηδᾶν, illi Salire dicunt. eandemque ob cauſſam ceteros etiam

LXXI. *Salii.*

ὀρχηστὰς, quippe qui & ipsi crebro saltatu choreas agitant, Salitores vocant, nomine à Saliis deducto. quam recte vero eis hanc appellationem tributam opiner, quilibet ex iis quæ agunt, coniicere potest. ad tibiam enim rhythmico motu in armis sese motant, nunc simul, nunc per vices, patrios quosdam hymnos inter saltandum canentes. Saltationem autem armatam quæ in clypeis crebros gladiolis ciet strepitus, siquid ex antiquis scriptoribus sumendum est coniecturæ, primi Curetes instituerunt; de quibus vulgatior est fabula quam vt hic repetenda sit.

LXXII. Inter has peltas quas & ipsi salii gestant, & ministri ipsorum cōtis suspensas ferunt, cum sint valde multæ, vnam dicunt delapsam cælitus. eam repertam esse in Numæ regia, illatam eo à nemine: ac ne visam quidem ad id temporis talem formam in Italia: è quibus duobus coniecisse Romanos, hoc ancile diuinitus ad se missum esse. quod quum Numa vellet per vrbem festis diebus circumferri à præstantissimis iuuenibus, & annuis honorari sacrificiis, veritum insidias inimicorum & furta, ferunt fabricasse multi illi similia, vsum opera & industria Mamurii cuiusdam, vt indiscreta humani operis similitudo, insidiatoribus omnem internoscendi diuinitus missi ancilis facilitatem adimeret. Est autem vernacula Romanis & valde honorata saltatio Curetica, vt licet intelligere cum ex aliis rebus multis, tum maxime è circensibus atque theatralibus pompis ac spectaculis. in his enim omnibus pubescentes pueri decori induti tuniculis, cum galeis, ensibus, & parmis incedunt ordine: suntque hi pompæ ductores, & ex ludicro à Lydis (vt videtur) inuento, Ludiones à Romanis appellantur; referentes mea sententia quandam saliorum imaginem. nam Curetas non æquè imitantur vt salii, nec cantu nec saltatu & oportebat eos esse ingenuos atque indigenas, patrimosque ac matrimos; cum illi qualiscunque fortunæ essent. de quibus quid opus est plura scribere?

LXXIII. *Fetiales.* Septima sacrarum legum pars dicata erat collegio fetialium; quos Græci εἰρηνοδίκας dicerent. hi sunt selecti è præstantissimis familiis viri, funguntur que per omnem vitam eo sacerdotio, primo Numa huius sacri magistratus auctore. Vtrum autem ab Æquiculis exemplum mutuatus sit vt quidam existimant; an ab Ardeatibus, vt scribit Gellius nihil

nihil compertum habeo. hoc tantum possum affirmare, ante Numam regem fetialium collegium Romæ non fuisse. Id ille instituit cum Fidenates agrum Romanum excursionibus & latrociniis infestare ausos bello aggredi pararet, ni sine bello rem secum mallent componere; quod tandem eis facere necesse fuit. Sed quoniam Græci carēt magistratu fetialium, exponendum mihi arbitror quot & quantarum rerum penes eum magistratum potestas fuerit; vt quibus hactenus ignota fuit Romanorum pietas, mirari desinant semper eis felices contigisse bellorum exitus. omnia enim illa religiosissime ac iustissimis de caussis auspicati esse comperientur, ideoque Deos in periculis habuisse maxime propitios. Longum autem esset recensere omnia fetialium officia, quæ permulta sunt: sed in summa sunt hæc: cauere ne Romani vlli fœderatæ ciuitati iniustum bellum inferant. Quodsi qua prior contra fœderis conditiones aliquid commiserit, legatos agere, & verbis primo ius suum repetere. quodsi dedignetur facere postulata, tum vero bellum ratum habere. Itidem si qui à Romanis illatam sibi contra fœdus querantur iniuriam, caussam eorum cognoscere; & si iure queri comperiantur, sontes comprehensos læsis dedere. iudicare item de legatorum iniuriis; & dare operam vt religiose seruentur conditiones fœderum: pacem etiam conficere, aut, si iuxta sacras leges non esse facta videatur, irritam reddere. præterea si quid imperatores contra iurisiurandi & fœderum leges patrauerint, cognoscere atque expiare, sicut dicemus quoties incidet occasio.

Ceterum quæ in caduceatoriis denuntiationibus peragant, cum à ciuitate quæ iniuriam intulisse visa est, pœnas exigunt, (nam hæc quoque cognitu sunt dignissima, quippe in quibus ius & fas maxima cura quæritur) hæc accepi. vnus fetialium, electus à collegio, veste ac gestaminibus sacris exornatus, vt præ ceteris sit insignis, versus infestam ciuitatem profectus, cum primum fines eorum attigit, Iouem ceterosq; Deos inuocans, protestatur venire se vt Romanæ ciuitati ius suū repetat. deinde iuratus ire se ad iniustam ciuitatem, & siquid mentiatur, grauissimas & sibi & ciuitati diras imprecatus, intra fines ingreditur; & quem primū obuium nactus fuerit, eum testatur, siue is vrbanus LXXIV.

sit siue rusticus; & repetitis eisdem exsecrationibus, ad vrbem pergit. quam priusquam ingrediatur, vel portæ custodem, vel primum quemque in porta obuium, similiter testatus, in forum procedit: ibique stans magistratibus aduentus sui caussam indicat, iuramento & exsecrationibus vsquequaque interpositis. tum si auctores iniuriæ damnatos deditósque acceperit, abducens eos, amicus ipse ab amicis discedit. Quodsi tempus ad deliberandum petunt, decem concessis diebus reuertitur, & vsque ad *tertiam* petitionem exspectat. elapsis autem triginta diebus si non impetret ius suum, obtestatus superos atque inferos discedit; hoc tantum profatus, populum Romanum super ea re per otium deliberaturum. deinde assumptis ceteris fetialibus ad senatum refert, omnia se rite ex sacrarum legũ præscripto executum; &, si velint bellum decernere, licere id illis per Deos. Alioqui siquid horum omissum esset, neque senatui fas erat bellum decernere, neque populo. Hæc sunt quæ produntur de fetialibus.

LXXV. Vltima in sacris ordinibus à Numa institutis classis est maximi apud Romanos sacerdotii, & cuius potestas est amplissima. hi ab vno suorum operum, reficiente scilicet ponte sublicio, ipsorum lingua vocantur Pontifices, summa auctoritate præditi. nam omnes lites sacras iudicant inter priuatos pariter & magistratus, ac sacrorum ministros: leges etiam ferunt de sacris quæ nondum scriptis mandata nec vsu recepta sunt, si digna videantur quæ legibus & consuetudinibus sanciantur: in omnes item magistratus quibus sacrificia & Deorum cultus est commissus, & in omnes sacerdotes, inquirunt: ministros quoque sacrorum in officio continent, nequid contra sacras leges delinquant: rudi etiam vulgo Deorum ac geniorum cultum præmonstrant & interpretantur. quodsi quem animaduertant præscripta sua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. ipsi à iudiciis & mulcta sunt immunes, nec tenentur vel senatui vel populo rationem reddere. id genus sacerdotes siue ἱεροδιδασκάλους aliquis appellare voluerit, siue ἱερονόμους, siue ἱεροφύλακας, siue (vt nos censemus) ἱεροφάντας, (*id est sacrorum doctores, administratores, custodes, interpretes*) à vero non aberrauerit. Quorum si quis è vita excesserit, in defuncti locum alius solet subrogari, non

Pontifices.

ri, non populi suffragiis; sed qui collegio maxime videtur idoneus, ex omni ciuium numero eligitur: qui tum demum sacerdotium adit, si collegii iudicium felici augurio comprobetur. Quas igitur de rebus diuinis leges instituit Numa distinctas iuxta sacrorum classes, hæ sunt præcipuæ & luculentissimæ, ne alia minutiora commemorem; quibus omnibus ciues ad pietatem proniores sunt redditi. LXXVI.

Quæ vero ad frugalitatem ac temperantiam faciunt, iustitiæque studium sine qua non est stabilis concordia ciuium, multa sane & egregia, partim comprehendit scriptis legibus, partim in mores vertit longo vsu & assuetudine. de quibus omnibus quia prolixum esset dicere, duo tantum præcipua commemorasse sat erit; ex quibus facilis coniectura sit de ceteris. Vt enim contenti propriis aliena non concupiscerent, cauit lege de terminandis prædiis. cum enim vnumquemque iussisset suas possessiones circumscribere, ac in finibus statuere lapides, lapides istos Ioui Terminali sacros esse voluit: iussitque vt illis omnes quotannis stato die solenni cœtu eo in loco rem diuinam facerent, sacrato cum primis nobili festo in honorem Deorum qui terminis tutelares præsident. Id Romani vocant Terminalia, sicut limites ipsos appellant terminos, vna nostræ linguæ litera mutata. nos enim τέρμονας dicimus. quos siquis transferre ausus fuisset aut tollere, lege lata caput eius qui tale quid patrasset, Deo *terminali* deuouit, interfectori ipsius, tanquam sacrilegi, impunitate promissa & puritate à scelere. Nec de priuatorum tantum possessionibus hoc ius sanxit, verumetiam de publicis, & ipsas certis complexus finibus, vt Romanum agrum à vicinarum vrbium agris terminales Dii discernerent, & publicum à priuato. quem morem vsque ad hæc tempora obseruant Romani, temporis illius monumentum, & ipsius religionis ergo. nam Deos putant terminos, eisque sacra faciunt; non animal vllum mactantes, quod nefas sit cruentari hos lapides; sed liba cerealia frugumque offerentes primitias. Debuerant autem etiam rem ipsam obseruare ob quam termini Dii habiti ac nominati sunt; & contenti propriis possessionibus, alienas nec vi nec dolo appetere. nunc non vt satius est, & à maioribus traditum, sua disterminant ab alienis, sed possessionum eis limes est

Termini.

non lex, verum sua cuique cupiditas: res haud pulchra. Verum hæc aliis consideranda relinquimus. certe Numa his legibus ad frugalitatem ac temperantiam ciuitatem instituit.

LXXVII. Ceterum vt ciues ad iustitiam in contractibus obseruandam adduceret, excogitauit quiddam non animaduersum antea quoquam eorum qui celebres constituere respublicas. videns enim contractus palam & coram testibus factos manere inuiolatos consciorum verecundia, ratoque in his admitti iniuriam; qui vero sine testibus fierent quorum longe maior est numerus, eos constare sola fide contrahentium; quo magis eam commendaret omnium studiis, diuinos illi honores deferendos censuit. Iustitiam enim, & Themin, & Nemesin, quæque à Græcis Erinnyes appellantur, satis cultus & venerationis apud maiores consecutas putauit: fidem autem, qua nullus apud mortales maior aut sanctior est affectus, nondum dignam venerationem adeptam esse vel in publicis ciuitatum rebus, vel in priuatis. hæc cogitans, primus omnium hominum Fidei publicæ templum sacrauit, assignatis ex ærario sacrificiis quemadmodum Diis ceteris. publicus enim ciuitatis mos in fide hominibus constanter seruanda, priuatorum etiam hominũ mores ad idem studium progressu temporis erat conformaturus. adeo certe venerabilis & inuiolabilis ea res est habita, vt sua cuique fides pro sanctissimo iureiurando & longe firmissimo testimonio fuerit. & quoties alter cum altero contractũ fecisset sine testibus, siqua exorta esset controuersia, eam alterius litigantiũ fides dirimebat, nec contentionis studium longius progredi sinebat. quin & magistratus & iudices in dubiis caussis plerunque ex *alterutrius partis* fide ac sacramento faciebant arbitrium.

Fides publica.

His temperantiæ incitamentis & iustitiæ velut tormentis excogitatis Numa pulchriorem in republica instituit ordinem, quam in priuata domo posset aliquis optimus pater familias.

LXXVIII. Quod autem nunc dicturus sum, curam ciuitatis in rebus necessariis acuit, & ad bona labore quærenda excitauit. cum enim consideraret ciuitati quæ in iustitiæ ac temperantiæ studio perseueratura sit, necessaria rerum copia opus esse, vniuersam regionem diuisit in eos qui pagi nominantur, & suum cuique pago magistrum, qui eum obiret atque inspectaret, præposuit. hi crebro perlustrantes omni

Pagi, & Pagorum magistri.

omnia, tam bene quam male cultos agros *in tabulis* descriptos ad regem deferebant. ille industrios agricolas laudibus & summa comitate excitabat: contra, segnes obiurgatione atque etiam mulcta castigatos ad rura gnauius colenda instigabat. quo factum est vt vacantes ab vrbanis simul & militaribus negotiis, & ignauiæ atque inertiæ probrosam mulctam timentes, suis manibus operarentur, & opes quas tellus præbet, vt omnium iustissimas, præferrent incertis ac periculosis militiæ commodis. atque hoc pacto consecutus est vt & subditi eum amarent, & finitimi æmularentur, & posteri honorifica memoria celebrarent: quippe qui prospexerit ne vel intestina seditio ciuium concordiam dirimeret, vel externum bellum ab optimis & præclarissimis studiis ciuitatem dimoueret. tantum enim aberat vt finitimi Romanos in hac quiete suspectos haberet, suique inuadendi occasionem quæri metuerent, vt etiam, siquod inter ipsos exsisteret bellum, non alium quam Numam & Romanos dirimendis inimicitiis suis arbitrum quærendum existimarent. quem equidem inter celeberrimos felicitatis opinione viros cum primis numerare non dubitauerim. nam & regio genere natus erat, & regia forma preditus, disciplinisque se dederat non inutilium literarum, sed quibus in pietatis & ceterarum virtutum studio erudiretur. ad hæc regnum Romanorum iuuenis adeptus est, ab ipsis ob celebre virtutis nomen accersitus; habuitq; subditos toto vitæ suæ tempore obsequentissimos: integris sensibus longissimum traduxit æuum, nullo conflictatus infortunio, facillima morte absumptus, *nimirum* confectus senio; & genio quem initio sortitus fuerat, eodem vsquequaque vsus est, donec rebus humanis est exemptus. Excessit annum vitæ octogesimum, regnauit quadraginta tres. liberos reliquit, vt plerique sunt auctores, mares quatuor, & vnam fœminam; quorum etiamnum superstes est posteritas: vt vero Cnæus Gellius narrat, solam filiam; ex qua natus est Ancus Marcius, qui tertio post illum loco Romæ regnum tenuit. defunctum luctu publico & insigni monumento honorauit ciuitas, quod situm est trans Tiberim in Ianiculo. Atque hæc sunt quæ de Numa Pompilio accepimus.

Numa laus.

Obitus.

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATUM Romanarum Liber tertius.

I. EFVNCTO Numa Pompilio, reuersaque ad patres administratione rei publicæ, senatus, approbante populo, eandem reipublicæ formam continuandam esse iudicauit, certumque interregum numerum è senioribus legit: à quibus vniuersæ ciuitatis consensu rex designatus est Tullus Hostilius, his ortus natalibus. E Medullia, oppido ab Albanis olim condito, quod Romulus deditione acceptum, fecerat Romanorum coloniam, vir genere nobilis, & opibus pollens, nomine Hostilius, in vrbem migrauerat; vbi Sabini generis vxorem duxit Hersilii filiam, quæ popularibus suis fœminis auctor fuit vt in bello Sabino legatione ad patres suos pro maritis fungerentur, eoque facto præcipuam conciliatæ inter partes amicitiæ laudem tulit. Is vir multis sub Romulo factis stipendiis, editisque egregiis facinoribus, in Sabino bello interiit, relicto vnico filiolo superstite: sepeliturque à regibus in præcipuo fori loco, addita columna cum inscriptione quæ ipsius virtutem *apud posteros* testaretur. ex hoc vnico filio iam adulto, & nobili matrona, prognatus est Tullus Hostilius, vir industrius, qui tum rex legitimo ciuitatis suffragio declaratus est, Diis etiam approbantibus per secunda auspicia. Annus quo regnum iniit, fuit

TVLLVS HOSTILIVS, III. Rom. rex.

fuit alter septimæ supra vigesimam Olympiadis, qua stadium vicit Eurybates Atheniensis, principatum tenente Leostrato. Hic rex a facto longe magnificentissimo imperium auspicatus, deuinxit sibi vniuersam operariam & egenam plebeculam. Superiores reges agrum habuerant magnum & vberem, ex cuius reditibus & sacra Diis faciebant, & domi victitabant splendide, primum Romulus, qui eum iure belli parauerat, deinde Numa Pompilius, qui, cum sine liberis decessisset Romulus, per successionem fruendum acceperat: habebaturque non publicus, sed propria regum sors & possessio. Eam Tullus permisit diuidi viritim inter Romanos inopes, professus patrimonium sibi sufficere in sacrificia sumptusque domesticos. Qua humanitate refoti egeni ciues in posterum non opus habuerunt aliis locare operam. Necui autem deesset domicilium, promotis mœnibus Cælium collem vrbi adiunxit: vbi quotquot Romanorum lare caruerant, adepti quantum sufficeret spatii, ædificabant, rege quoque eodem in loco habitante. Hæc sunt quæ de viro illo in reipublicæ administratione traduntur memorabilia. II.

Tullus regium agrum pauperibus donat.

Cælium mõtem vrbi addit.

In militia vero plurima gessisse proditur, quæ nunc percensebo, à bello Albano exorsus. eius autem inter cognatas ciuitates dissidii caussa fuit Cluilius Albanorum dictator: qui ægre ferens Romanorum successus, & impotens inuidiæ, arroganti & petulanti præditus ingenio, decreuit bellum excitare inter ambos populos. cumque nullam rationem videret qua suis persuaderet vt sibi copias contra Romanos educere permitterent, quippe qui nullam caussam haberet vel iustam vel necessariam, tale quiddam comminiscitur Albanorum egentissimis & audacissimis quibusque permisit è Romano agro prædas agere; impunitatemque pollicitus, effecit vt permulti tutos sectarentur quæstus; nulloque ab inceptis metu deterrente, finitimam regionem latrociniis replerent. nec fefellit eum opinio, vt res ipsa docuit. Sciebat enim Romanos impatientes armis repulsuros raptorum iniuriam, sibique occasionem fore criminandi eos apud populum quasi bellum priores inferrent, & cum plerique suorum colonorum felicitati inuiderent, libenter admissuros calumniam, bellumque decreturos: id quod contigit. Nam III.

Bellum Albanum.

cum alteri alterorum bona maleficis excursionibus agerēt ac ferrent, & tandem Romanus exercitus Albanum agrum ingressus multos latronum partim occidisset, partim captiuos abduxisset, aduocata in concionem plebe Cluilius acriter verbis in Romanos inuectus, multis ostentatis sauciis, productisque captiuorum & cæsorum propinquis, plura etiam quam acciderant de suo admentitus, effecit vt legatio decerneretur, quæ iniuriæ pœnas deposceret: quod si æquitatem Romani spernerent, bellum eis inferretur.

IV. Vt vero legati in vrbem peruenerunt, suspicatus Tullus eos *res raptas* pœnasq; *raptorum* repetitum venisse, maluit eos in hoc præuenire, in ipsosque retorquere caussam belli & violati quod cum colonis suis habebant fœderis. eius leges præscriptæ fuerant regnante Romulo, & inter cetera hæc, neutri populo fas esse bellum inferre alteri. quod si alteruter crimen aliquod actionemve haberet, læsos debere in ea ciuitate ius petere à qua profecta esset iniuria. id si non impetrarent, tum vero bellum inferri posse vt necessarium soluto iam fœdere. quapropter veritus ne Romani prius repetentibus res Albanis negarent, seque ita obnoxios facerent, mandauit spectatissimis amicis suis, vt legatos benigniter in hospitium receptos apud se blandis conuiuiis detinerent: ipse occupatum se arduis quibusdam negotiis simulans, admittere illos distulit. insequenti nocte viros Romanis claros, eductos quid facto sit opus, Albam cum fetialibus mittit ad repetendas ab Albanis illatæ Romanis iniuriæ pœnas. qui peracto ante solis ortum itinere mane Cluilium in frequenti iam foro inueniunt: & questi de illatis populo Romano per Albanos iniuriis, conditionibus fœderis stari postulant. ille, quod priores Albani Romam legationem ad res repetendas misissent, & ne responso quidem digni essent habiti, abire iubet Romanos vt violatores fœderis, simulque bellum indicit. Tum legationis princeps discessurus hoc vnum ex eo rogauit, fateturne eos violare fœdus, qui primi legatis res repetentibus nihil æquum piumve concessissent. Quod cum fassus esset Cluilius, Ergo, inquit, testor illos ipsos Deos quibus testibus olim inter nos fœdus ictum est, Romanis, qui priores in repetendo iure passi sunt repulsam, fœderis transgressores bello adoriri fas esse. Vos autem violati hu-
iu

iuris esse reos, res ipsa indicat. priores enim res negastis repetentibus, & priores nobis bellum indixistis. quare intra breue tempus exspectate qui armis iniuriam vindicent. His ex legatorum relatione cognitis, Tullus tum demum Albanorum legatos accitos iubet caussam aduentus exponere. Quibus Cluilii mandata renuntiantibus, bellumque minantibus si non possent ius suum consequi: Equidem prior, inquit, feci quod vos nunc facitis: & quoniam nihil eorum quæ fœderis conditiones postulant obtinui, liquet à vobis prius id violatum ac contemptui habitum. quamobrem iustum & necessarium Albanis bellum denuntio, non solum domesticis copiis id gesturus, verum etiam accersitis subditorum auxiliis.

His de caussis post factos vtrinque apparatus maximos, & coactas tam domesticas quam sociales copias, castra collata sunt quadragesimo ferme ab vrbe stadio. ea metati sunt Albani ad fossam Cluiliam: quæ nunc quoque nomen auctoris retinet: Romani paulo citerius, opportuniore castris loco delecto. Vt vero mutua consideratione satis apparuit neutram partem vel numero vel armis vel apparatu cetero alteri cedere, primus ille impetus aliquantum refrixit, quo vtrique ad certamen ferebantur quasi prima impressione hostem profligaturi; magisque de præcauenda quam de inferenda vi solliciti, altius educebant vallum. iamque prudentiores, quibus optima in mentem veniebant consilia, duces incusabant. Cum itaque frustra tempus tereretur, nihilque memoratu dignum gereretur, (nam velitum duntaxat aut equitum excursionibus alteri alteros adoriebantur) incentor belli Cluilius ægre ferens ignauam desidiam, cogitabat producto in aciem exercitu hostem ad pugnam prouocare: quam si detrectaret, in munitiones impetum conuertere. Præparatis igitur omnibus necessariis vel ad decernendum acie, vel, si opus esset, ad oppugnandos muros, cum noctu in prætorio cubasset consueto stipatus satellitio, mane repertus est mortuus, nullis in corpore exstantibus cædis strangulationisve aut veneni, aut cuiuscunque tandem violentæ necis vestigiis. Qui casus cum omnibus admirandus, vt erat, videretur; & caussa

V.

VI.

quæreretur, (nam ne morbum quidem antegressum caussari quisquam poterat) quidam, ad diuinam prouidentiam referre soliti cunctas fortunas hominum, superum indignatione exstinctum iactabant: vt qui metropolim contra suam coloniam incitasset ad bellum iniustum ac minime necessarium. alii, qui quæstus gratia geri bella iudicabant, seque magnis priuari commodis existimabant, humanis dolis & inuidiæ imputabant totum negotium, caussantes aliquem ex ipsius æmulis comparasse occultum & deprehensu difficile venenum, eoque vsum in hominis perniciem. alii rursum aiebant eum præ mærore & inopia consilii sibi necem consciuisse, quando omnes conatus difficiles videret ac irritos, nihilque succedere ex sententia, contra quam belli principio sperauerat. qui vero ab odio æque ac gratia ducis liberi, in optimam partem hunc casum interpretabantur, his nec Deorum ira, nec æmulorum inuidia, nec ipsius desperatio videbatur exstinxisse hominem, sed fatum & naturæ necessitas, velut expleta portione debita, quam cuique nascenti sua sors destinat. Ita Cluilius priusquam aliquid strenue gessisset, tali fine absumptus est. In eius locum imperator ab exercitu creatus est Metius Fufetius, vir nec bello administrando idoneus, nec in pace colenda constans. Is, si quis Albanorum alius, turbandæ duarum ciuitatum quietis iamdudum fuerat cupidus, eaque præcipue de caussa Cluilio successor datus: at potitus imperio, perspecta præsentis negotii difficultate ac perplexitate, mutabat consilium, bellumque cunctando trahebat, quod videret in plerisque Albanis belli ardorem refrixisse, extaque de pugnæ exitu consulta nihil fausti portendere. tandem visum est misso caduceatore hostem ad fœdus faciendum prouocare; præsertim cum cognouisset, vtrisque aliunde imminere periculum, & vtrasque copias, nisi incautum hoc bellum componerent, derepente ab aliis oppressum iri. id periculum erat huiusmodi.

VII. Veientes & Fidenates, cum magnas haberent ciuitates, temporibus Romuli cum Romanis de principatu & potestate bello contenderant, victique multis suorũ desideratis, & parte agri mulctati, coacti fuerant se victori submittere, vt supra exposui accuratius. Deinde sub Numa Pompilio

stabilem

ſtabilem pacem nacti, viris pariter ac fortunis, ceteraque felicitate multum erant aucti: iiſque bonis elati, ad libertatem & altiora celſis animis aſpirabant, Romanumque iugum excutere parabant. Sed eius defectionis propoſitum hactenus diſſimulatum, Albano demum bello ſe prodidit. vt enim cognouerunt Romanos totis copiis profectos ad certamen cum Albanis ineundum, rati ſe nactos egregiam rei gerendę occaſionem, clandeſtina per potentiſſimos facta cõiuratione iuſſerunt, vt quotquot arma ferre poſſent, occultis itineribus Fidenas conuenirent; ita tamen ne plures ſimul intrarent, quo magis laterent inſidiæ: ibi obſeruarent tẽpus dum Romanorum ſimul & Albanorum exercitus relictis caſtris prodirent in aciem: quod cogniturĩ erant è ſpeculatorib. per mõtes diſpoſitis. ab his ſigno dato vt vniuerſi armati propere cõtenderent ad caſtra, nõ lõge, ſed duarum aut ad ſummum triũ horarum itinere Fidenis diſſita. tum vero ſuperuenientes prœlio iã peracto, vt credĩ par erat, omnes haberent pro hoſtibus; & victores ſiue hos ſiue illos ferro aggreſſi conficerent. Hoc facinus illi ciuitatum principes animo deſignarant. Si ergo Albani ſpretis Romanis audacius in pugnam ruiſſent, ac de ſumma rerum vno prœlio decernere ſtatuiſſent, nihil obſtitiſſet quo minus & inſidiarum dolus latuiſſet, & vterque exercitus deletus fuiſſet. nunc vero inſperata belli mora, & tempus apparatus longius, diſſipauit illorum conſilium. quidam enim è coniuratis, ſiue propriis proſpicientes commodis, ſiue proceribus ſuis & facinoris auctoribus inuidentes, ſeu veriti ne index alius exſiſteret, vt fit in multorum capitũ & longioris temporis coniurationibus; ſeu animi dictatis inſtincti, vt qui nefarium facinus proſperis ſucceſſibus indignũ iudicaret, dolũ prodiderũt hoſtibus. Quo cognito Fufetius maiore ſtudio adnixus eſt negotiũ inter partes cõponere, quando neutris integrum eſſet aliter facere. Ro- VIII. manus etiã rex de cõiuratione ab amicis Fidenatib. factus certior, nec ipſe hortanti ad pacẽ Fufetio ſe difficilẽ prębuit. Itaq; congreſſi ad colloquiũ medio inter caſtra cãpo vterque cum ſuis conſiliariis viris prudentibus, primum ſe cõſalutauerunt vt ante conſueuerant; deinde cum alteri alteros, vt amici & cognati, comiter excepiſſent, de pace facienda loqui cœperunt: Albanuſque prior in hanc ſententiam

verba fecit: Necessarium mihi videtur ante omnia caussas proferre, cur à me belli componendi factum sit initium; quum nec armis à vobis superatus sim, nec exclusus commeatibus: ne forte putetis me propriis diffisum viribus, vestraque potentia velut inexpugnabili præsidio territum, honestum belli finem quærere. nam si tale quidpiã de nobis persuasum haberetis, grauiores essetis aduersarii, nec vllæ nobis conditiones æquæ ac tolerabiles à vobis sperandæ essent, vt victoria iam potitis. ne igitur de instituto meo, quo bellum componere studeo, falsas aliquas animis concipiatis suspiciones, veras accipite caussas.
IX. Ego cum primum dictator à meis ciuibus creatus, eum magistratum inii, cogitare cœpi quidnam concordiam nostrorum populorum conturbasset, cumque animaduertissem leues quosdam & friuolos prætextus, nec ad dirimendam arctissimam cognatorum amicitiam satis idoneos; non probabatur mihi nec Albanorum nec vestrum consilium. postquam vero ad res accessi, & singulorum animos experiri cœpi, adeo in hac sententia confirmatus sum, vt etiam maximæ insaniæ vtrique mihi accusandi esse videamur. vidi enim nec in priuatis nec in publicis cœtibus omnes Albanos vno consensu bellum expetere. Cumque exta super pugna consulerem, & diuina signa longe difficiliora esse quam quæ humanis cogitationibus præcipiuntur difficultates, admodum mæstus hærebam & animi dubius. Quapropter his cogitationibus inhibita pugnandi libidine procrastinando bellum duxi, existimans vos priores resarciendæ amicitiæ mentionem facturos. quod vtique vos Tulle priores decebat facere, vt colonos nostros; nec expectare donec inciperet vrbs matrix. quem enim honorem parentibus liberi, eundem & coloni debent suis conditoribus. Sed interim dum vtrique cunctamur & obseruamus vtri priores ad æquas rationes sint descensuri, externa nobis necessitas, omni humano consilio validior, conciliat. quam quia nondum fortasse nostis, ego quid reconciliationis decorum postularet, non amplius respiciendum censui. Graues enim contra nos, Tulle, machinationes struuntur; dolus in vtrosq; texitur ineuitabilis, sine labore ac (vt aiunt) sine puluere nos cum omnibus nostris oppressurus & profundaturus, haud aliter quam incendium aut diluuium. eius

im-

impii consilii fabricatores sunt potentiores Veientium & Fidenatium coniurati. rationem autē insidiarum, & vnde ad me arcanorum consiliorū peruenerit notitia, iam audietis. His dictis, vni ex iis qui aderāt, legendas dedit literas Fidenis ab hospitibus ad se missas; simulq; hominem qui eas attulerat, exhibuit. Cum lectæ essent literæ, & tabellarius exposuisset quæ ex ore illorum qui literas scripserant referenda acceperat, attonitis tanto tamq; inopinato periculo omnibus, Fufetius inhibita paulisper oratione; rursum pergit dicere: Audistis Quirites cur hactenus cūctatus sim vobiscum manus conserere; nunc & de firmanda amicitia prior verba facere volui. vestrum ergo est dispicere, vtrum putetis satius, ob raptas buculas & ouiculas irreconciliabile bellum aduersus conditores & patres vestros persequi, in quo vobis siue victis siue victoribus sit pereundum; an posita cum cognatis hominibus simultate, nobiscum cōtra cōmunes inimicos arma sumere: qui non solum à vobis deficere, verum etiam in perniciē vestram insurgere decreuerunt, quum nec affecti sint vlla iniuria, nec iniuriæ metu adacti: idq; non aperte, sicut publicū belli ius postulat, sed clam, ne præuideri & præcaueri possent insidiæ. Sed ꝙ positis inimicitiis in impios ac nefarios homines summa virium contentione properandū sit, quum nemo nisi insanus negauerit, non puto prolixiore apud vos oratione vel exhortatione indigere, qui ipsi hoc & nouistis, & vltro facturi estis. Quo autem pacto ex vtriusque ciuitatis commodo finiri bellum possit, quia id fortasse iamdudum cognoscere auetis, nunc conabor ostendere. Ego censeo optimā & honestissimam inter cognatos & amicos fieri reconciliationē, cum deposita ira, obliuioni sedolo traduntur vniuersæ tā illatæ vtrinq; q̄ acceptę iniuriæ: aliquanto aūt minus decētem, quando liberatis à culpa populis, hi soli qui se mutuis affecerūt iniuriis, ius experiri coguntur, & exspectare quod ratio ac lex dictauerit. Harum reconciliationū ea mihi videtur eligenda nobis esse quę decentior est & magnanimis viris dignior; communiq; decreto abolenda omnis præteritorū malorū memoria. Quod si tibi Tulle non placet, sed mauis vtrinq; accipi & dedi reos iniuriæ, parati sunt Albani hoc quoq; facere, si publicæ prius simultates sint dirēptæ. Quodsi quē aliū præter hos honestiorē iustiorēue recōciliationis modū habes, quanto ocius eum protuleris, tanto X

maior tibi habebitur gratia. Post hunc dicendi vices Ro-
XI. manus excipiens ait: Nos quoque Fufeti magnam immi-
nere nobis calamitatem iudicamus, si cæde ac sanguine cũ
cognatis decernere cogeremur: & quoties bellica peregi-
mus sacrificia, exta nos pugnam auspicari vetuerunt. Nec
nos latet occulta Veientium ac Fidenatium in vtrosque
nostrum coniuratio, nuper admodum hospitum quos illic
habemus indicio prodita: ac proinde tum nobis cauemus
nequid ab illis detrimenti accipiamus, tum illorum insidi-
as pro merito vlcisci parati sumus: nec minus quam tu bel-
lum hoc sine pugna finire cupimus. Priores autem de re-
dintegranda pace legatos mittere noluimus, quandoquidẽ
bellum non priores intulimus, sed illatum propulsare in-
stituimus. quod si arma deposueritis, libenter inuitationem
vestram admittemus: nec pacis conditiones exactè rima-
bimur; sed optimas quasque ac magnanimis viris dignissi-
mas acceptabimus; omnemque Albanis publicam iniu-
riã condonabimus; si publica dicenda est cuius auctor fuit
imperator vester Cluilius, qui iam pro vtrisque nostrum
meritas Diis pœnas dedit. Missę igitur fiant omnes crimi-
nationes tam priuatæ quam publicæ, nec vlla superiorum
malorum supersit memoria, quando tibi quoque Fufeti sic
visum est. Sed nõ tam cogitandum est de sarcienda in præ-
sens amicitia, quam opera danda ne relinquatur in posterũ
vlla renouandi belli materia. non enim ad differendum,
XII. sed ad profligandum hoc malum conuenimus. Quæ sit
igitur firma redintegrandæ pacis ratio, & quid vtrisque fa-
ciendum vt ea perpetuo fruamur, quoniam à te Fufeti
prætermissum est, ipse conabor apponere: nimirum si Al-
bani desinant Romanorum inuidere fortunis, quas non si-
ne magnis laboribus ac periculis amplificarunt: siquidem
ne minimo quidem à nobis affecti incommodo, ideo solũ
exosos nos habetis quia prosperiore quam vos fortuna vti
videmur: Item si Romani desinant Albanos tanquam in-
sidiatores habere suspectos, & ab illis sibi tanquam ab ho-
stibus cauere. nemo enim cum eo cui se exosum esse sentit,
firmam amicitiam colere potest. Quomodo igitur vtrun-
que poterit fieri? non si ea fœderis tabulis inscribamus, ac
per sacra vtrique iuremus: (nam exiguæ ac infirmæ sunt
hæ cautelæ) sed si alteri alterorum fortunas habeamus pro
com-

communibus. vnicum enim est Fufeti humani doloris ex alienis commodis remedium, si non amplius aliena bona putent quibus inuident. Quod vt fiat, auctor sum Romanis vt Albanos omnium bonorum quæ nunc habent ac deinceps habituri sunt, participes faciant: Albani vero grato animo quæ dantur accipiant, & aut vniuersi commigrent in nostram vrbem, aut saltem maior pars ac potior. neque enim decet Sabinos quidē Etruscosq; propriis sedibus relictis ad nos transisse; vos vero genere coniunctissimos idem facere aspernari. quod si eandem nobiscum vrbem incolere, magnam licet maioremque deinceps futuram, grauamini, tenente vos amore laris patrii, saltem illud facite: vnum designate senaculum, in quo de vtriusque reipublicæ commodis agitentur consilia; & principatum vni date, quæ scilicet potentior est, & plura in inferiorem conferre beneficia potest. Hæc est mea sententia: quam si sequamur, existimo firmam inter nos fore amicitiam. alioquin si duas vrbes æquali eminentes fastigio incolamus, vt nunc, nulla speranda est concordia. His auditis Fufetius tempus ad deliberandum postulauit: & cum paulisper cum suis è concilio secessisset, consultauit an esset accipienda conditio: cognitaque omnium voluntate, reuersus ad consistorium, sic locutus est: Nobis Tulle non placet patriam relinquere, neque patria templa maiorumque lares deserere, ac locum quem per quingentos ferme annos maiores nostri tenuerunt; præsertim cum nullum bellum eo cogat, nec alia fatalis calamitas. vnum autem senatum constitui, & vni ciuitati deferri principatum, non displicet. quamobrem & hoc, si ita videtur, fœderis conditionibus adscribatur, omnisque belli materia tollatur. Cum iam conueniret hactenus, disceptabatur penes vtram ciuitatem futurus esset principatus; multaque verba vltro citroque super ea re sunt habita, vtroq; suæ ciuitati dominium vindicante. Albanus hæc prætendebat iura: Nobis Tulle totius Italiæ imperium debetur; qui à Græcis oriundi, nulli in hac terra genti secundi sumus magnitudine. quod si non ceterarum gentium, certe Latinorum penes nos erit imperium iure optimo, nimirum quod natura apud omnes ex æquo gentes valere voluit, vt generis auctores præsint suæ soboli. præ omnibus autem coloniis, de quibus nihil hac-

XIII.

tenus cõquerimur, vestrę principatus ad nos pertinet, quippe quæ non multo ante deducta sit, ita vt nostra soboles temporis vetustate perierit; sed tertia duntaxat ante hanc ætate. quodsi natura inuersis humani iuris legibus, iunioribus in senes, & nepotibus in progenitores tribuerit imperium, tunc & nos æquis oculis coloniæ dominium in me-
XIV. tropolim aspiciemus, non ante. Atque hoc vnum est principatus ius, quo nequaquam sponte cessuri vobis sumus: nunc alterum æquis animis accipite. dicetur enim nõ in vestrum opprobrium, sed quia necessitas postulat. Albanorum genus quale olim sub vrbis conditoribus fuit, tale vsque ad nostra tempora permansit, nec vlla ostendi hominum natio potest, præter Græcos & Latinos, quæ ius ciuitatis apud nos adepta sit. at vos exquisitum reipublicæ genus apud vos corrupistis, Etruscis ac Sabinis in eam receptis, aliisque multis barbaris sine lare vagantibus: ita vt germani generis nostri exiguus apud vos sit numerus, multipliciter superantibus exteris & adscititiis. itaque si vobis principatum cesserimus, germanis præerunt supposititii, Græcanicis barbari, indigenis adscititii. non enim potestis dicere, quod aduenarum turba exclusa ab administratione reipublicę, ipsi indigenæ retinueritis ciuitatis gubernacula; imo etiam reges creatis peregrinos, & senatus maior pars constat ex aduenis: quorum nullum dicetis contigisse vobis volentibus. quis enim potior, sponte ferat deterioris imperium? Magnæ igitur insaniæ & improbitatis fuerit, quæ non potestis negare vos pati coactos, ea nos sponte admittere. Postrema ratio est, quod in Albana ciuitate, nulla *ciuium* pars in reipublicæ forma quidquam mutat; sed iam per octodecim ætates, ex quo condita est vrbs, patrias consuetudines omnes decenter obseruat. vestra contra nondum satis ordinata est, vtpote non ita pridẽ condita & conflata ex multis nationibus, opus habens longo tempore variaque fortuna donec componatur, præsentibusque turbis ac seditionibus liberetur. nemo autem negauerit quin composita perturbatis, spectata inexploratis, & sana ægrotis imperare debeant. quod vos inuertere co-
XV. nantes, nõ recte facitis. Hæc cum dixisset Fufetius, Tullus acceptis dicendi vicibus respondit; Quod ad naturæ ius maiorumque virtutem attinet, Fufeti, vosque viri Albani,

bani,est illud vtrisque nostrum commune: nam iisdē vtriq; gloriamur generis principibus; neç est cur hac in re alteri præferamur aut postferamur alteris. Quod vero colonias suis matricibus lege naturæ subiici oportere contenditis, nec verum nec æquum nobis videtur. multæ enim gentes sunt,in quibus metropoles coloniis suis non imperant, sed parenticuius rei magnum &illustre exemplum est Spartana ciuitas,quæ non solum in ceteros Græcos,verum etiam in Dorienses imperium sibi vindicat, à quibus ducit originem. & quid opus est de aliis dicere? vos ipsi qui nostrā vrbem condidistis,coloni estis Lauiniensium. Quodsi ergo naturæ lege metropoli in coloniam debetur imperium,an non hac parte Lauiniensium quam vtrorumq; nostrū erit caussa potior? Hæc ad primam & speciosissimam rationē vestram respondisse sufficiat.quia vero etiam vitarum vtriusque ciuitatis collationem instituisti Fufeti, asserens Albanis eundem perpetuo probi generis tenorē manere, nos contra externi sanguinis admixtu vitiatos esse;eoque indignum esse vt adulterini germanis,& aduenæ indigenis imperent,disce quantum hic quoque tua te fallat opinio. nos enim adeo non pudet commuuicasse ciuitatem quibuslibet,vt ea re præcipue gloriemur.nec primi hoc exemplum introduximus,sed ab Atheniensibus accepimus,quorū respub. inter Græcos est clarissima, & hanc ob rem si nō maxime,at non minime floret.&cum res hæc multa nobis attulerit bona,nō est quod nos eius, ceu delicti,vel pigeat vel pœniteat. magistratus etiam , senatoria dignitas, & ceteri honores,deferuntur apud nos non iis qui amplas possident opes, aut longam maiorum indigenarū possunt ostendere seriem,sed iis qui talibus honoribus sunt digni. nulla enim alia re quam virtute humanam nobilitatem cōstare ducimus.reliqua turba ciuitatis corpus est, roburq; ac vires affert ad exequenda potiorū consilia. Et humanitas hæc ciuitatem nostram magnam ex parua reddidit, ac finitimis verendam ex contemptibili fecit: huic item instituto,quod tu Fufeti accusas, debemus quod ceterorum Latinorū nemo de principatu nobiscum contendit. in armorum enim vi sita est vrbium potentia;quæ nulla est absq; numerosa ciuiū multitudine.quæ vero paruæ sunt & infrequētes, atq; ideo debiles,nec alias nec seipsas possunt regere. ac in summa ei

demum licebit reprehendere aliena instituta, suaque extollere, qui ostendere potest suam rempublicam iis studiis quæ prædicat, auctiorem & feliciorem esse factam; alias contra, quæ reprehenduntur, his neglectis prolapsas in deterius. nostra vero diuersa est conditio; quando vestra ciuitas è maiori gloria & amplioribus opibus in minorem familiam contracta est; nos, ab exiguis orsi principiis, non longo tempore maximam inter finitimas vrbes Romam
XIV. his institutis fecimus, quæ tu improbas. Seditiones vero quas nobis Fufeti obiicis, ad salutem & amplificationem reipublicæ conducunt, nō ad perniciem eius, vel imminutionem. contenditur enim vtri plus reipublicæ prosint, seniores an iuniores, indigenæ an aduenæ. Et vt rem in pauca verba conferam, iis qui aliis imperare volunt, hæc duo adesse debent, in bello vires, in consiliis prudentia; quorum neutro destituimur. nec vanam hanc esse iactantiam, testis est experientia, omnibus verbis potior. tantum certe roboris atque amplitudinis intra tertiam ab vrbe condita ætatem non potuisset nobis accrescere absque eximia fortitudine ac prudentia. argumento sunt multæ Latini nominis ciuitates, quæ licet vestræ sint coloniæ, spreta tamen vestra republica ad nos accesserūt, ac Romanis quā Albanis parere malunt: quippe qui vtrunque valeamus, & amicos beneficiis, & hostes incommodis afficere; cum vobis ad neutrum satis sit virium. Multa insuper & valida, contra ea quæ prætendis iura, afferre possem, Fufeti: sed quum frustra fieri verba videam, & pleraq; tuis rationibus pariter confutatū iri, plura apud vos, aduersarios & *parum*, æquos iudices, dicere supersedeo. Porro vnum opinor modū optimum, & qui solus nostram litem dirimere possit, quo antehac multi vsi sunt tam Græci quam barbari, siquando in contentionem inciderent de principatu aut agro controuerso. hoc exposito, finem dicendi faciam. equidem censeo certamen id bellique fortunam committendam vtrinque parti exercitus *minimæ*, contractæ in exiguum virorum numerum, quo vtriuscunque vrbis ciues superiores fuerint, ei tradatur imperiū in alterā. quæ enim
XV. verbis dirimi non possunt, ea armis decerni solent. His ab vtraque parte pro asserendo imperio dictis, tandem itum est in Romani sententiam. çum enim vtrique concilii proceres,

ceres, Albani & Romani, celerem belli finem cuperent, placuit eam cōtentionem armorum arbitrio dirimi. Quo approbato, quærebatur de numero eorum qui pugnam capesserent, quod non eandem vterque dux hac de re sententiam diceret. Tullus minimo numero decerni rem volebat, & vnum cum vno committi, Albanorum præstantissimum cum Romanorum fortissimo; & ipse pro patria dimicare paratus erat, Albanumque ducem ad æmulationem prouocabat. nam pulchrum esse belli ducibus, pro principatu ac potentia decertare, siue fortes viros ipsi vincant, siue à fortibus viris superentur; recensebatque multa regum ac ducum exempla, qui caput pro republica periculis obiectauerant, indignum rati si plus honoribus quam bellica virtute posse viderentur. Albanus assentiebatur decernendum quam paucissimorum corporum periculo; nō tamen singulari certamine. aiebat enim, duces, si proprium asserant principatum, honeste ac necessario tale inter se certamen suscipere: quoties vero ciuitates ipsæ de principatu contendunt, non modo periculosam esse huiusmodi aleam, sed etiam turpem, siue potiorem siue deteriorem cōditionem hoc certaminis genere obtineant. præstare vt terni vtrinque lectissimi viri depugnent in conspectu vtriusque exercitus, Albani & Romani. hunc enim numerum ad quascunque cōtrouersias dirimendas esse maxime idoneum, vt qui principium, medium, & finem in se contineat. In hanc conditionem posteaquam vtrinque conuentum est, soluto cōcilio, in sua vtriq; castra digressi sunt. Vterque deinde dux aduocatis in concionem suis copiis, exposuit quid actum esset in colloquio, & quæ finiendi belli ratio placuisset. cumque ducum conuenta magno vtriusque exercitus consensu probarentur, mirifice ambiebatur hæc opera à centurionibus ac militibus certatim se offerentibus, & ad hanc palmam non verbis modo, verum factis etiam aspirantibus; ita vt difficilem ducibus delectum facerent. vt enim quisque erat aut maiorum claritate illustris, aut corporis robore conspicuus, aut manu promptus, aut felici aliquo audaciue facinore notabilis, primum se postulabat accenseri trium selectorum numero. Tandem ambitiosa ista in vtrisque castris studia dux Albanus compescuit, animaduertens diuinitus iamdudum prospectum XVI.

harum ciuitatum futuro certamini, datosque illis propu-
gnatores non obscuris ortos familiis, bellicaque virtute
præstantes, & præter eximiam formæ speciem non vulga-
ri sed rara natiuitate admirabiles. Sequinius enim Alba-
nus vno eodemque tempore gemellas filias, alteram ci-
suo Curatio, alteram Romano elocauerat Horatio. hæ s-
mul ambæ grauidæ factæ, primo partu prolem mascula-
ediderunt trigeminam: quam parentes, vt fausto dom-
patriæque natã omine, omnem educauerunt, donec ad-
lesceret: Deusque illis formam (vt iam ante dixi) & rob-
animosque nullis generositate inferiores addidit. His vi-
Fufetius committendum de principatu certamen ratu-
XVII. Romanum regem in colloquium accitum sic alloquitu-
Videtur mihi, Tulle, Deus aliquis cum aliis in rebus m-
tis curam nostrarum ciuitatum agere; tum vero quod
præsens certamen attinet, manifestum fauorem oste-
dere. inuentos enim qui pro rei summa decernant, iu-
nes, nemini genere secundos, bellica virtute præst-
tes, insignes specie; adhæc vno patre eademque matre
nitos, & (quod mirificentissimum est) eadem die in luc-
editos; apud vos, Horatios; apud nos, Curatios, præclar-
nimirum est Deorum beneficium. Quin igitur ample-
mur hanc tantam numinis prouidentiam, & inuitamu-
depugnandum de principatu suos vterque trigeminos
& cetera quæ in strenuis pugnatoribus desiderari poss-
etiam in his insunt; &, cum fratres sint, laborantes in c-
tamine propugnatores minus deserent quam Roma-
rum & Albanorum quiuis alii; & reliquæ iuuentutis a-
bitiosa æmulatio, cum alia ratione difficulter sedari po-
facile hac prærogatiua pacabitur. Coniicio enim, vt a-
nos, ita & apud vos esse multos qui virtutem ostentare
piant. quos si doceamus, diuina quadam fortuna præ-
ta esse hominum studia, vt quæ æquales pro ciuitat-
dimicaturos ipsa obtulerit, haud ægre illis persuadebi-
putabunt enim sibi non virtute prælatos trigeminos,
quadam sorte naturæ, & fortunæ in vtranque partem
XVIII. quali momento inclinantis studio singulari. Hac Fuf-
sententia ab vtriusque partis optimatibus, qui tum a-
rant collaudata, Tullus inhibita paulum responsione, C-
tera, inquit, Fufeti, recte mihi videris perendisse. mir-
enim est hæc & nulla hominum memoria visa ortus si-

litudo, quam nostro seculo fortuna in ambabus ciuitatibus protulit. vnum te latere videtur, quod minus alacres ad pugnam reddet iuuenes, si eos in certamen cōmittamus. Horatiorum enim nostrorum mater, Curatiorum vestrorum est matertera; & in ambarum enutriti sunt iuuenes finibus; seque inuicem non minore quam fratres suos amore complectuntur. videndum igitur ne forte nefas sit his arma dare, & ad mutuam eos cædem vocare, cum cognati sint & vna educati. domesticum enim piaculum merito in nos redundabit, si eos se mutuo sanguine polluere coegerimus. Ad hæc Fufetius: Nec me latet, Tulle, hæc adolescentum cognatio, nec cogere illos ad certamen cum consobrinis ineundum, si ipsi suscipere illud nolint, institui: sed cum primum mihi hoc consilium in mentem venit, accitis Curatiis nostris, ipse meopte impulsu priuatim apud me pertentaui illorum animos num abhorrerent à certamine. cumque viderem eos meam orationem mira quadam & incredibili alacritate admittere, tum demum ausus sum mentem meā patefacere & in medium afferre. idem vt & ipse facias suadeo, & accersitis vestris trigeminis explores quæ sit voluntas iuuenum. qui si & ipsi sua corpora pro patria discrimini offerre velint, accipias grato animo quod si detrectent, noli cogere. quamuis eadem de illis quæ de nostris auguror. si enim tales sunt quales adimus, animi generositate ac bellica virtute inter paucos eximii, (nam & ad nos eorum virtutis fama peruenit) promptissimis animis, nemine cogente, in certamen pro patria descendent. Non aspernatus hanc admonitionem Tullus, factis in decem dies induciis, per quos re ad senatum relata, & Horatiorum voluntate cognita, certius respondere posset, in vrbem reuertitur. Sequentibus diebus consultatione cum optimatibus habita, cum plerisque videretur accipienda esse Fufetii monita, euocatos trigeminos fratres sic alloquitur: Scire vos velim, Horatii, me in proximo colloquio à Fufetio monitū, diuina prouidentia factū vt ciuitas vtraq; ternos propugnatores habeat, viros quib. nec generosiores nec magis idoneos alios inuenire liceat; vos Romæ, Albæ Curatios. Quo animaduerso primū se explorasse vellēt ne cōsobrini vestri corpora sua cōmodare patriæ. cūq; illos de summa rerum decernere paratissimos cōperisset, magna id XIX.

confidentia in medium protulit, ac postulauit vt ego quoq;
pertentarem vestros animos velletis ne pro patria congre-
di cum Curatiis, an malletis hoc decus aliis eo aspirantibus
cedere. Ibi ego æquo animo respondi, vos, quorum virtus
& strenuæ manus iam perspectæ sint, præ cæteris hoc de
primatu certamen suscepturos: sed cum vererer ne cogna-
tio qua iuncti estis Albanis trigeminis, alacritati vestræ
obstaret, deliberandi spatium petii, factis decem dierum
induciis. mox huc reuersus, senatu coacto, retuli super hoc
negotio. plurium sententia fuit, si sponte suscipiatis præ-
clarum istud & decorum vobis certamen, quod ego paratus
eram solus pro omnibus decernere, laudandam gratisq;
animis accipiendam esse alacritatem vestram. quod si co-
gnationis vos teneat religio, (nec enim ex animi ignauia
alieni generis *propugnatores* vocandos censueritis) nulla
vobis afferendam esse necessitatem. cum igitur hoc fuerit se-
natus consultum qui nec moleste feret si hoc facere vere-
mini; nec exiguam vobis gratiam habiturus est si cogna-
tioni prætuleritis patriam, vestrum est deliberare quid fa-
XX. ctu censeatis optimum. His auditis iuuenes secesserunt,
paucisque inter se collocuti redierunt. Ibi maximus natu
pro ceteris in hæc verba respondit: Si liberi & in nostra
potestate essemus, & pro arbitrio nostro de certamine
cum consobrinis ineundo statuere possemus, Tulle: sine
omni cunctatione mentem tibi nostram aperiremus. nunc
quoniam nobis superstes est pater, sine quo ne minimum
quidem dicere facereue fas nobis ducimus, rogamus vt
paulisper responsum nostrum exspectes, donec rem patri
significauerimus. Annuente rege & pietatem laudante,
patrem abeunt. qui postquam ex ipsis cognouit quid p
postulasset Fufetius, & quid Tullo percontanti respondissent
iuuenes, rogatus sententiam, Pie, inquit, facitis filii, qui
patris arbitratu viuentes, nihil absque mea voluntate agi-
tis: sed iam tempus est vt vosmetipsi declaretis vestram in
tali negotio prudentiam. Fingite igitur iam me defunctum
fato, & dicite, quid statueretis, si vobis sine patre de rebus
vestris capiendum esset consilium? Tum maximus natu,
Susciperemus, mi pater certamen pro principatu patriæ
parati ferre quicquid diuino numini videretur. mori enim
mallemus quam te nostrisque maioribus indignam vitam
viuere

viuere. cognationis autem vinculum non soluemus priores; sed vt a fortuna diremptum est, æquo animo feremus. Si enim Curatiis honestas est cognatione potior, nec Horatii virtutem posthabebunt propinquitati generis. Ibi pater cognita eorum mente, gauisus, sublatis ad cælum manibus gratias egit Diis immortalibus, quod tam egregios sibi dedissent liberos. deinde singulos benignissime complexus & suauissime exosculatus, Accipite, inquit, meam quoque sententiam optimi filii: ite & pulchrum hoc piumque responsum Tullo referte. Illi læti parentis hortatu, regem adeunt, certamenque suscipiunt. Rex conuocato senatu, prolixeque laudatis iuuenibus, per legatos Albanis denuntiat, accipere conditionem Romanos, & Horatios in certamen de imperio prodituros. Nunc quia præsens argumentum exactam eius pugnæ descriptionem postulat, diligentemque narrationem casuum qui subsecuti sunt tragicis similium, de his quoque singulis pro mea virili conabor dicere. Vbi tempus aduenit quo finem erant habitura pacta, vniuersus Romanorum exercitus prodiit: prodierunt etiam postea iuuenes, comprecati prius Deos patrios, deducente rege & toto per vrbem populo faustis ominibus prosequente, ac floribus eorum capita conspergente. iamque & Albanorum copiæ prodierant. Tum positis castris non longe ab inuicem, medius campus in Romani & Albani agri finibus pugnæ destinatus est, vbi etiam antea castra vtrique metati fuerant. ac primum mactatis victimis, super ardentes focos iuratum est, vtranque ciuitatem eam fortunam boni consulturam, quã trigeminorum pugna esset allatura, fœdusque firmiter ac sine dolo malo seruaturam, tam ipsam quam omnes ipsius posteros. Peracta re diuina, positis armis processerũt extra vallum vtrinque spectatores futuri certaminis, relicto ad id trium quatuorue stadiorum spatio intermedio. Paulo post Albanus imperator produxit Curatios, Romanus rex Horatios, præter egregiam armaturam ornatos sicut qui morti destinati sunt. Vt vero congressi sunt propius, gladios tradiderunt armigeris, ipsi ruebant in complexus mutuos, flentes suauissimisque se appellationibus consalutantes, vt nemini non cierent lacrymas, vulgo tam suam quam ducum immanitatem incusantibus, quod cum po-

XXI. Trigeminorum pugna.

tuissent per alia corpora pugnam eam decernere, impio duello commisissent inter se consanguineos. Postquam satis indultum est salutationibus, iuuenes resumptis gladiis, & digressis iis qui aderant, instructa secundum ætates acie,
XXII. sunt congressi. Hactenus quies & silentium fuerat in vtroque exercitu: tum vero frequentes vtrinque exclamationes exortæ sunt, alternæque ad pugnantes exhortationes; tum vota & eiulatus, ceterorumque affectuum, quos varii certantium casus ciere solent, voces crebræ, aliæ ad ea quæ vtrinque agebantur & cernebantur, aliæ ad suspectos futurorum exitus accommodatæ: ac plura coniectabantur quam gerebantur. nam & longior prospectus fallebat spectantium oculos, & suus cuique erga propugnatores affectus, è suo consilio rem geri interpretabatur: tum crebri dimicantium assultus ac recessus, & reciprocatæ aliquoties in aduersarium incursiones, ancipites animis sententias afferebant. Sic æquo marte diu certatum est; quod robore animisque pares, armatura quoque muniti essent eximia, nec vlla corporis pars non satis tegeretur, quæ icta celere posset exitium. quo factum est vt multi Romani pariter & Albani suorum studio atque affectu incensi, paulatim se periculorum & casuum participes facerent, & in hoc actu certatorum quam spectatorum partes obire mallent. tandem Albanorum maximus cum suo aduersario consertis manibus, plagisque identidem nunc illatis nunc acceptis, non irrito ictu per inguen Romanum traiicit: qui iam ante aliis vulneribus quodammodo soporatus, ad extremum letali hoc ictu perculsus, resolutis membris occũbit. Quo viso exclamant vtrinque spectatores, Romani, vt victi; Albani, vt victoriæ compotes: quod impares tribus viderentur duo superstites. interim Romanus, qui collapso fratri veluti succenturiatus aderat, Albanum re bene gesta exsultantem ocius aggressus, multis inflictis & acceptis vulneribus, tandem illi non fallente dextra ensem in iugulum defigit: mutatoque breui cum fortuna pugnæ affectu spectantium, Romanis ex pristino mœrore se recolligentibus, Albanisque minus iam gaudentibus, alius rursum aduersus casus illorum spes deiecit, & horum animos erexit. cæso enim Albano, germanus qui proximam illi stationem tenuerat, victorem adortus est: acciditque vt continua-

tinuatis ictibus eodem tempore vterque alterum grauissime vulnerauerit, & Albanus Romano per interscapulum vsque ad viscera traiecerit ensem; Romanus vero, ictu subter munimē ingesto, alteram Albano suffraginē præciderit. XXIII. Ille igitur letali plaga cōfectus, in vestigio cecidit: alter vero qui vulnus in suffragine acceperat, licet firmus stare non posset, sed claudicaret ac scuto identidem gressus fulciret, renitebatur tamen adhuc, & cum superstite fratre in sustinentem Romanum tendebat: eumque alter ex aduerso, alter à tergo adoriebatur. ille veritus ne à duobus aduersariis duobus ex locis impeteretur, & circumuentus facile conficeretur, cum adhuc integer esset, consilium cepit de distrahendis hostibus, & pugna cum vtroque seorsim ineunda. ac facile se ipsos disparaturum sperat, si fugam simulet. non enim ambos fratres insecuturos, sed alterum, qui fratrem minus valere pedibus animaduerteret. His animo agitatis, fugam quanta contentione potuit, arripuit; nec spe sua falsus est. alter enim Albanus, qui nullo graui vulnere affectus erat, è vestigio ipsum insecutus est: alter, qui incedere non poterat, iusto lentius festinauit. ibi Albanis suos inhortantibus, iubilantibusque, & tantum non coronas vt re bene gesta poscentibus; Romanis contra suum pugnatorem ignauiæ arguentibus & *præsentem statum* deplorantibus, quasi fortuna non esset ad ipsos reuersura, Romanus obseruata occasione, vertit se celeriter, & Albano priusquam ille caueret, ense in brachium inflicto, cubitum diffindit: cumque humi iaceret eius vna cum ense manus, vno adhuc letali vulnere illato, iuuenem conficit: tum in vltimum verso impetu, seminecem iam & languidum iugulat. lectis deinde cōsobrinorum spoliis in vrbem properat, primus patri suam ipsius victoriam nuntiaturus. Sed fortuna, nemini perpetuo blanda, inuidit homini; & XXIV. quē momento temporis ad inopinatū ac mirificum splendorem extulerat, eadem die illepido sororicidii facinore in funestissimam calamitatem coniecit. iam enim portæ propinquus inter ceteram cuiusuis generis turbam, quæ se *cateruatim* ex vrbe effundebat, sororem etiam currentem vidit: turbatusque primo aspectu quod matre domusque custodia deserta, virgo nubilis dedisset se in turbā ignotam: tandem discussis suspicionibus sinistris, æquiores

& humaniores arripuit cogitationes, eam complectendi superstitis fratris desiderio, cognoscendæque defunctorum virtutis studio ductam, decori (vt accidere interdum mulieribus solet) rationem abiecisse. at illam non fratrum desiderium insuetam viam ingredi compulerat, sed amor vnius è consobrinis, cui à patre desponsa fuerat, & amorem hactenus celarat. vt vero quodam milite renuntiante audiuit pugnæ euentum non amplius sui compos relictis ædibus bacchabunda ferebatur ad portam, nutricem frustra insequentem ac reuocantem nil respiciens. egressa vrbem vbi fratrem vidit lætantem, coronisque victricibus quibus eum rex honorauerat, redimitum, sodalesque præferentes cæsorum spolia, & in his tunicam pictam, quam suis ac matris manibus contextam, proco ad futuras nuptias donum miserat, (mos enim Latinis erat vt qui virgines ambirent, pictas induerent tunicas) hanc igitur tunicam vt cruore pollutam vidit, scissa veste, pectus ambabus plangens manibus, lamentabili voce consobrinum vocabat; ita vt cuncti qui aderant, plane obstupescerent. defleto deinde proci fato, intentis in fratrem oculis exclamat: Scelestissime mortalium, gaudes infelix cæsis consobrinis, & orbata connubio me sorore misera? neque te exstinctorum cognatorum incessit miseratio, quos fratres appellare solebas; sed quasi præclaro aliquo facinore edito, insanis præ lætitia, & coronas in tantis malis gestas? cuiusnam feræ
XXV. animum induisti? Ad hæc ille: Immo vero ciuis patriam amantis, maleuolosque patriæ hostes punientis, siue illi externi sint, siue domestici: in quo numero te quoque pono: quæ, cum vno eodemque tempore maxima nobis & bona & mala obtigisse cognoueris, patriæ scilicet victoriã, quam ego frater tuus reporto; & fratrum interitum; scelesta neque publico frueris gaudio, neque domesticis indoles calamitatibus; sed contemptis germanis, proci deploras obitum: neque in malam rem te abdis, sed in omnium conspectu id facere non vereris: mihique virtutem & coronas exprobras virgo non virgo, iniqua fratribus & indigna nostris maioribus. quando igitur consobrinos lugere mauis quam fratres, & corpore inter viuos oberrans, animum habes apud mortuum, abi ad illum quem inuocas, & patri ac fratribus dedecori esse desine. His dictis, modum in im-

improbitatis detestatione seruare nesciit, sed, vt erat ira concitus, ensem per costas eius adigit: atque ita sorore interempta pergit ad patrem. Tantum vero tunc apud XXVI.
Romanos erat improbitatis odium, tantaque animorum ac morum seueritas, & si ad nostram hanc vitam nostraq; facta conferatur, durities, ac parũ à ferina immanitate differẽs crudelitas, vt pater audito tam atroci facinore, non solum non iniquo animo id tulerit, verum etiam recte & cõuenienter factum existimauerit: quippe qui nec domum filiæ cadauer referri, nec maiorum monumentis inferri permisit, nec exsequiis, funebriue ornatu, aut ceteris dignatus est solennibus: sed proiectam vbi confossa erat, prætereuntes lapidibus & terra ingesta obruerunt, vt propinquorum cura destitutum cadauer. quæ quidem insignem eius viri rigiditatem indicant, atque etiam magis id quod iam dicturus sum. ea ipsa die, quasi ob rem præclare ac feliciter gestam, mactauit Diis patriis quas vouerat victimas, epulumque cognatis vt in maximo festo exhibuit splendidum, minore propriæ calamitatis quam publicæ prosperitatis habita ratione. id quod non solus Horatius, sed & alii multi viri illustres fecisse dicuntur postea, sacrificasse scilicet, coronas gestasse, ac triumphum egisse post recentem liberum amissionem, quoties ipsorum opera felicitas quæpiam contigisset reipublicæ: de quibus suo dicetur tempore. Ceterum post trigeminorum pugnam, Romani qui in castris aderant, magnifice sepultis iuuenibus, quo quisque loco ceciderat, mactatisque pro victoria hostiis, epulabantur genialiter. Albani contra infausto casu mæsti, ducemque suum, vt qui rebus male præfuisset incusantes, plerique a cibo abstinuerunt, & corpora eo vespere curare noluerunt.

Postera die Romanus rex eos in concionem vocatos prolixe solatus est: nihil se illis indecorum nec difficile, nihil præter iura cognationis imperaturum, sed pariter consulturum vtriusque ciuitatis commodis: Fufetium quoque se in eodem magistratu relinquere, nec quidquam mutare in præsenti statu reipublicæ: atque ita dimissa concione reduxit domum copias. Cum vero ex senatusconsulto triumphasset, iamque ad ciuiles caussas cognoscendas se vertisset, quidã non mediocris in republica auctoritatis viri XXVII.

cœperunt accusare Horatium, vt qui se per sororis cædem cognati sanguinis reum fecisset. Hi longa oratione allegabant leges quæ nemini quenquam indemnatum occidere permittunt: recensebantque exempla Deorum iræ in ciuitates quæ impunita fuissent scelera. Pater contra patrocinabatur filio, accusans filiam, & negans eam dicendam cædem, sed pœnam verius: postulabatque sibi de suis malis permitti iudicium, vt qui amborum esset pater. cumque multa ab vtraque parte dicta fuissent, hærebat rex incertus quonam modo finienda esset ea lis. neque enim confessum sororis occisorem, homicidio ante litis cognitionem & sine legitimis caussis perpetrato absoluere sibi licere putabat, ne piaculum scelerisque vltrices diras à facinoris patratore in suam familiam conuerteret: neque vt homicidam necandum censebat eum qui pro patria vitæ periculum adisset, eique tantam imperii accessionem peperisset; præsertim patre quoque ipsum absoluente, quem potissimum filiæ vltorem ius & natura fecerat. Tandem post longam hæsitationem visum est factu optimum, eam cognitionem referre ad populum. Populus autem Romanus tum primum capitalis iudicii potestatem nactus, comprobauit patris sententiam, iuuenemque absoluit à cædis crimine.

XXVIII. Rex tamen non contentus hominum suffragiis, & de religione sollicitus, accitis pontificibus deos & genios placari iussit, iuuenemque iis lustrationibus quas inuoluntariæ cædi præscripserunt leges, expiari, illi positis duabus aris, altera, Iunoni sororum inspectrici; altera, patrio cuidam seu deo seu genio, quem vernacula lingua Ianum appellant, & ab interemptis homicidæ consobrinis Curatium cognominant; sacrisque quibusdam super eas factis, inter cætera piamina quibus tum vsi sunt, postremo sub iugum miserunt Horatium. est autem Romanis mos, quoties hostes traditis armis deditionem faciunt, duo tigna recta humi defigere, hisque tertium transuersum superimponere, captiuosque sub ista tigna ductos transmittere, atq; liberos ad sua dimittere. Hoc ipsi iugum vocant: quod tunc quoque expiatores inter solennia piamina postremum adhibuerunt iuueni. locum vero vrbis in quo tunc expiatio facta est, omnes Romani sacrum existimant. est autem in angiportu qui à Carinis deducit ad vicum

Cyprium,

Cyprium, vbi & aræ manent tunc positæ, & lignum super eas transuersum duobus inter se aduersis parietibus infixum: quod capiti exeuntium imminet, vocaturque à Romanis Tigillum sororium. Eo igitur loco huius casus monumentum conseruatur, & annuis sacrificiis à Romanis honoratur. Exstat & alterum virtutis quam in pugna declarauit testimonium, angularis columella, à qua altera fori porticus incipit; cui Albanorum trigeminorum spolia superimposita fuerant. sed arma illa vetustate abolita sunt; columella priscam appellationem retinens, Pila vocatur Horatia. Quin & lex ob illum casum sancita durat hodieque ad perpetuam illorum iuuenum gloriam, iubens vt quoties nascantur trigemini, alimenta ex publico vsque ad pubertatem accipiant. Hunc igitur finem habuere casus quos Horatia familia experta est miros & inopinatos.

At Romanus rex per integrum annum apparatu facto bellum Fidenatibus inferre statuit; quod citati ad dicendam caussam de insidiis quas cum sua factione Romanis & Albanis struxerant, comparere noluissent, sed mox sumptis armis, portisque clausis, & ascitis Veientium auxiliis, aperte defecissent. Legatis quoque Romanorum caussam defectionis sciscitantibus responderant, nullum sibi esse cum Romanis publicum negotium iam inde ex quo Romulus fato functus sit; cum quo amicitiam iureiurando firmarint. Ea de caussa rex & suas armabat copias, & auxiliares corrogabat à sociis: inter quos plures ceteris & fortiores ab Alba ducebat Fufetius. Hunc Tullus vt promptum & fidum ad res gerendas socium laudauit, omniumque consiliorum fecit conscium. ille vero cum male apud suos ciues audiret, quasi proximo bello non bene administrato prodidisset rempublicam, iamque tertium annum Tullo ita volente retineret dictaturam, pertæsus *precariam* aliisq; obnoxiam potestatem, & ipse imperare quam alii parere malens, rem commentus est nefariam. Legatis enim clam missis ad Romanorum hostes, qui adhuc dubiis in defectione animis erant, impulit vt impigre pergerent, pollicitus se quoque Romanos in *medio* prœlio aggressurum: easque machinationes tam occultas habuit, vt à nemine deprehenderetur.

XXIX. *Fidenate bellum.*

Fufetii proditio.

XXX. Tullus interim suis simul & auxiliaribus copiis instructus, contra hostem profectus est: hisque vltra Anienem traductis, castra non longe à Fidenis posuit. cumque validum Fidenatium & sociorum exercitum ante mœnia instructum inuenisset, ea die nihil molitus est. postera vero Fufetio cum ceteris primariis amicis accito, considerabat cum illis quæ belli esset ineunda ratio: & omnibus censentibus non esse differendum prœlium, nec tempus terendum, assignata sua cuique statione ac loco, & postero die pugnæ præfinito, dimisit concilium. At Fufetius, qui amicorum etiam multis proditionem nondum aperuerat, præcipuos Albanorum centuriones & tribunos conuocatos sic alloquitur: Est tribuni & centuriones quod de rebus magnis & inexspectatis vobiscum agam; quas hactenus occultas habui: eas oro silentio tegite, si me vultis incolumem. quarum exsecutio si vobis quoque profutura videatur, quæso rem mecum capessite. temporis angustiæ non sinunt me multa verba facere: ideo rem in pauca duntaxat necessaria conferam. Ego toto illo tempore, ex quo sub Romanorum imperium venimus, in maximo pudore ac mœrore vitam traduxi, tametsi ab eorum rege dictaturæ titulo honoratus, tertium iam annum id munus gero, & perpetuo, si velim, retinebo. Sed quia summam infelicitatem duco solus esse felix in calamitate publica, ac mecum reputo illos nobis contra omne ius ac fas ademisse imperium, cœpi cogitare quomodo id sine graui periculo possimus recuperare: multisque ac variis vltro citroque agitatis, nulla mihi ratio visa est vel tutior vel expeditior, quam si aliquod bellum exoriretur finitimum. tunc enim illis opus fore sociorum & nostra in primis opera: eaque occasione facile nos intellecturos, tum honestius esse tum iustius pro nostra potius libertate quam pro Romanorum imperio dimicare. quapropter per occultos veluti cuniculos bellum eis à subditis conflaui, Veientesque ac Fidenates ad arma concitaui, vt belli eis futurus socius.

XXXI. Et hucusque conatus mei latuerunt Romanos, dum opportunum insidiis tempus mihi seruo, vbi considerate quam non negligenda se *nunc* offerant commoda. primum non aperte agitur defectio; quæ alioqui anceps habitura

bitura esset periculum; ne vel imparati vrgeremur, domesticisque tantum viribus freti de summa rei aleam iacere cogeremur; vel inter apparandum, auxiliaque sollicitanda, à paratis præoccuparemur. nunc neutram istarum difficultatum experti, ex vtraque percipiemus commodum. deinde aduersarios bello fortunatos, & pene inuictos si viribus contendendum sit, non violentis rationibus conuellere conabimur, sed dolo & artibus, quibus superba capi solent, & quidquid vi labefactari facile nequit. nec id primi faciemus aut soli. Ad hæc quia nostra potentia vniuersis Romanorum atque sociorum copiis pares non sumus, aucti sumus Fidenatium atq; Veientium quantas videtis viribus: quibus vt tuto possimus fidere, sic à me prouisum est. non enim in nostro agro Fidenates, sed in suo & pro suo pugnaturi sunt: & interim nostrum quoque tuebuntur. ac quod iucundissimum est, sed paucis hactenus & raro contigit, beneficium accipiendo conferre in illos videbimur: & si nobis, sicut fore credimus, res successerit, Fidenates ac Veientes non modo graui nos dominio liberabunt, verum etiam gratias nobis habebunt, perinde ac si nos hoc ipsis præstitissemus beneficium. Atque hæc sunt quæ multiplici cura à me comparata, sufficere mihi videntur ad defectionem alacriter & confidenter moliendam. Nunc audite quomodo negotium id aggredi cogitem.

Tullus mihi eum aciei locum assignauit qui sub monte est, atque alteri me cornui præesse iussit. cum ergo in hostes tendendum erit, ego soluto ordine montem petere incipiam: vosque seruatis ordinibus me sequemini. cumque in summum euasero, iam tutus, audite quid deinceps facturus sim. Si videro propositum mihi ex sententia succedere, hostesque audaciores fieri, quasi nostra ope adiutos, Romanos autem, velut à nobis proditos, animis concidere, metuque consternatos (vt futurum auguror) de fuga magis quam de forti pugna cogitare, ego ipsos aggrediar, camposque cadaueribus replebo, vtpote ex superiore loco in procliuem descensurus, attonitosque ac dispersos fidenti & composito agmine inuasurus. plurimum autem in bello valet vel vana de sociorum proditione aut de nouorum hostium aduentu opinio; multosque iam ac magnos exer- XXXII.

citus non tam vllo casu aduerso quam inani metu funditus deletos nouimus. nostrum vero *machinamentum* non erit vanus rumor, aut obscurum terriculamentum, sed facinus quo nemo nec vidit nec expertus est terribilius. Sin autem contra quam cogito ceciderit, (dicam enim id quoque; quandoquidem hominibus multa sæpe præter opinionem offerunt vitæ casus) tum etiam ipse mutabo propositum. ducam enim vos contra hostes, Romanis futurus victoriæ socius: simulaboque me ideo superiora loca occupasse, vt hostes circumuenirem. quod eo facilius credetur, quia verbis facta congruent. ita fiet vt cladis neutris, felicis vero euentus vtrislibet simus participes. Equidem hæc vt decreui, ita Diis fauentibus conficiam, maximo cum Albanorum, tum ceterorum Latinorum commodo. vestrum est ante omnia seruare silentium; tum decenti ordine obseruato, mandata celeriter exsequi, & tum vosmetipsos fortes viros præstare, tum vestrorum animos ad idem accendere; cogitantes quod aliter nos pro libertate certare decet quam ceteros homines qui aliorum imperio assueuerũt, & tale reipublicæ genus à maioribus acceperũt. nam liberi ex liberis nati sumus, & patres tradiderunt nobis imperium in finitimos; quod ferme quingentorum annorum tempore constabilitum, posteris etiam nostris relinquendum est.

XXXIII. Nec quenquam vestrum ab hoc consilio deterreat religio iurisiurandi & fœderis, sed cogitet fœdus iam ante per Romanos violatum, nunc in integrum restitui: idque non exigui momenti, sed cum à natura institutum, tum omnium & Græcarum & barbararum gentium communi lege stabilitum, quod iubet patres natis imperare ac iura reddere, itidemque conditores suis coloniis. hoc fœdus nunquam è rerum humanarum natura tollendum, non nos, qui perpetuo ratum manere cupimus, violamus; nec nobis, tanquam nefaria molientibus, Deorum aut geniorum aliquis succensuerit, si stirpi nostræ seruire grauemur; sed illi *violati fœderis rei sunt*, qui fœdus istud ab initio fregerunt, ausiq; nefario diuinam legem humanæ subiicere sunt conati: itaq; numinis non nobis, sed illis, (vt credere par est) aduersabitur: & hominum indignatio in illos, nõ in nos se conuertet. Si igitur hæc vobis probantur omnibus, faciamus ita, inuocato Deorum simul & dæmo-

dæmonum auxilio. quodsi vestrum aliquis dissentit, & aut nunquam nostræ ciuitati aspirandum censet ad dignitatem pristinam, aut differendum id in tempus opportunius, eum sententiam suam in medium proferre ne pigeat. Sequemur enim consilium quod vobis vniuersis videbitur optimum. Hanc sententiam cum *omnes* qui aderant laudassent, seque omnia facturos promisissent, accepto à singulis iuramento cœtum dimisit.

Postera die Fidenatium atque sociorum copiæ, simulatque sol exortus esset, extra vallum progressæ, aciem, velut ad prœlium, instruxerunt: ex aduerso item Romani *e suis* egressi *castris*, ordines disposuere. Sinistrum cornu Tullus cum Romanis tenebat, Veientibus oppositus; qui erant in dextro hostium cornu. in Romanorum dextro cornu Metius Fufetius cum Albanis suis oppositus erat Fidenatibus ad latus montis. Iamque sibi inuicem propinquantibus, priusquam intra teli iactum veniretur, Albani à reliquo exercitu diuisi, montem petebant integris ordinibus. quo viso, Fidenates confirmati in opinione proditionis ab Albano promissæ, audacius se iam in Romanos inferebant. ita dextrum Romanorum latus discessu sociorum nudatũ, turbabatur, & laborabat grauiter: interim sinistrũ egregiè pugnabat, in quo & ipse Tullus cum selectis equitum dimicabat. Ibi eques præcipiti cursu aduectus ad agmen cum rege decertans, Laborat, inquit, dextrum nostrum cornu, Tulle: Albani deserta acie festinant ad loca edita; Fidenates, quibus illi erant oppositi, quum nudato cornu superiores sint, nos circumuenire parabunt. Ad hunc nuntium, conspectumque Albanorum in montem properantium, Romanos quasi circumueniendos ab hostibus timor occupat, vt neque pugnare, neque loco consistere animum inducerent. Ibi prudens consilium Tullus adhibuisse dicitur; qui nil turbatus tanto & tam inopinato periculo, non modo Romanum exercitum è præsenti pernicie seruauit, verum etiam hostium res subuertit & pessumdedit. audito enim nuntio, vocem attollens vt exaudiretur etiam ab hostibus, exclamat: Vicimus hostem, Quirites. Albani meo iussu proximum montem occuparunt, vt cernitis, inde impetum facturi in terga hostium. nacti igitur opportuno loco inimicissimos homines, à fronte

pariter & à tergo telis nostris expositos, vt nec progredi nec retro ferre pedem valeant, à lateribus hinc monte clausos, inde flumine, magnis animis inuadite.

XXXV. Hæc cunctos obequitans ordines ingeminabat: statimque Fidenates metus subiit reciprocatæ proditionis, quasi stratagemate deceptos à Fufetio; quando nec pro se stantem videbant, nec Romanos inuadentem, vt pollicitus fuerat. Romani contra illis verbis audaciores & confidentiores redditi, sublato clamore conferti hostem impetunt. Sequitur fuga Fidenatium, nullo ordine vrbem suam petentium. Rex immisso in turbatos equitatu, aliquandiu persecutos pauidos, vbi vidit sic dissipatos vt nec cogitarent nec possent instaurare ordines, omissis fugientibus in reliquam hostium partem etiamnum consistentem tendit: vbi fortiter pugnabant pedites, fortius etiam equites. tuebantur enim suum locum Veientes, nihil Romano equitatu territi; diuque nolebant cedere. Tandem cogníto, profligatos esse in sinistro cornu socios, Fidenatesque cum reliquis sociorum copiis effuse fugere, veriti ne circumuenirentur, conuersis in se qui illos profligauerant, & ipsi soluta acie terga verterunt, ac per flumen euadere sunt conati. horum qui corporibus & viribus integris natare valebant, armorum iactura salutem redimebant, committentes se fluuio. ceteri qui his adminiculis destituebantur, peribant in vorticibus. concitatus enim & flexuosus circa Fidenas fluit Tiberis. Porro Tullus immissa parte equitum qui ruentes in flumen trucidarent, ipse cum ceteris copiis Veientium castra petens, ea primo cepit impetu. atque ita Romanis insperata salus contigit.

XXXVI. Tum demum Albanus conspicatus splendidam Tulli victoriam, suis in campum deductis, fugientes Fidenates & ipse persecutus est, vt Romanis videretur socialem præstare operam: multosque in fuga dispersos oppressit. Tullus autem iteratam hominis proditionem odoratus ac detestatus, tamen in præsens dissimulandam ratus, donec hominem in suam potestatem redegisset, palam approbauit secessum illum ad loca edita, vt optimo consilio factum: & missa ei parte equitum, iussit supremam victoriæ manum imponere indagandis cædendisque Fidenatibus; qui mœnibus prohibiti magno adhuc

à lhuc numero per agros palabantur. Lætus ille, quod alterum eorum quæ sperauerat, assecutus esset, ac Tullum latuisset, diu per campos obequitans interficiebat quotquot venirent in manus: post occasum demum solis, à persecutione reuertens, in castra Romana reduxit equites, & ibi cum ceteris noctem eam exegit in hilaritatibus *quæ ob victoriam celebrari solent*. Tullus intra Veientium vallum mansit vsque ad primam vigiliam: habitaque inquisitione in captiuorum nobilissimos de defectionis auctoribus, vt inter coniuratos nominari audiuit etiam Albanum Metium Fufetium, cum videretur factum eius non discrepare à captiuorum indicio, conscenso equo, assumptisque amicorum fidissimis, in vrbem properat: & ante mediam noctem euocatis domo senatoribus, proditionem Albanorum denarrat, captiuis attestantibus: vtque ipse stratagemate Fidenates ac ceteros hostes eluserit, edocet: postremo ad eos refert quid bello feliciter confecto faciendum censeant, quoue modo sumendum de proditoribus supplicium, & Albanorum ciuitas modestior reddenda in posterum. Omnibus visum est & æquum & necessarium, vt in auctores impii facinoris animaduerteretur: sed quæ facillima & tutissima eius negotii esset ratio, magnopere dubitatum est. occulte præcipuos Albanorum tollere videbatur impossibile, quia multi essent. quodsi palam sontes ad pœnam conarentur corripere, non passuros id Albanos, sed rebellaturos potius. nec placebat eodem tempore cum Fidenatibus Etruscisq; & Albanis, qui se ipsis socios addiderant, bellum gerere. Tandem reliquis nihil explicantibus, in Tulli sententiam itum est ab omnibus, quam referemus paulo post. Ipse equo summa vi concitato, quadraginta sta- XXXVII dia emensus, (tantum enim inter Fidenas & Romam interest spatium) in castra reuertitur: accitumque ante lucem Marcum Horatium, qui è trigeminis superfuerat, cum equitum peditumque lectissimis mittit Albam, iussum, cum primum amice receptus esset intra mœnia, ciuibus in potestatem redactis, vrbem funditus euertere, nec vlli vel priuato vel publico ædificio parcere, fanis exceptis; abstinere tantum à cæde omnique iniuria hominum, & res suas cuique sinere. quo dimisso tribunos ac

centuriones conuocat: expositoque senatusconsulto, eorum se stipat satellitio. Paulo post adfuit Albanus, veluti communi victoria lætus, & Tullo gratulaturus. Tullus nondum secreta mentis proferens, laudabat eum, donis amplissimis dignum pronuntians: rogabatque vt Albanorum conscriberet nomina, quorum eo prœlio eminentior exstitisset opera, vt & ipsi pro parte sua meritum victoriæ fructum perciperent. Ille gauisus, Albanorum & amicorum suorum fidissimos, totiusque secreti conscios ac socios, in tabella notatos obtulit. tum rex edixit vt omnes positis armis in concionem venirent. quo facto, ducem Albanum cum tribunis & centurionibus proxime tribunal iussit consistere; post hos, Albanorum & ceterorum sociorum vulgus. in extimo circulo Romanos statuit; quorum fortissimus quisque sub amictu tegebat *breuem* gladium. Cumque iam inimicos haberet obnoxios, assurgens in hanc sententiam verba fecit: Gratia Dei Quirites, vosque ceteri amici & socii, quod de Fidenatibus eorumque sociis, aperto bello nos infestare ausis, pœnas sumpsimus: & aut desinent molesti esse in posterum, aut grauiores hisce pœnas luent. nunc tempus postulat, vt quando primus conatus cessit prospere, reliquos hostes pergamus persequi, qui amicorum præferentes nomen, & in hoc bellum ad communes hostes male mulctandos à nobis asciti, fracta fide, & occulto cum hostibus inito fœdere, moliti sunt nobis omnibus perniciem. multo enim hi peiores sunt apertis hostibus, & grauiore digni supplicio. nam illorum & insidias cauere est facile, & hostiliter congressos propulsare licet: amicos vero hostilia molientes, nec facile caueas; nec, si præueniaris, repellere queas.

XXXVIII Hi sunt quos Albana ciuitas dolo malo ad nos misit socios, nullo à nobis detrimento, immo multis magnisque affecti beneficiis. coloni enim ipsorum, nihil eorum dominio detraximus, sed nostro marte propriam nobis parauimus potentiam. deinde contra maximas ac bellicosissimas gentes vrbe nostra munita & opposita, tutos eos ab Etruscis & Sabinis bellis reddidimus: cuius felicitate maxime gaudere debuerant, & periculo angi non minus quam proprio. at illi perpetuo non solum nobis *nostra* bona, sed etiam sibimetipsis felicitatem qua per nos fruebantur,

bantur, inuiderunt: ac postremo non valentes occultum liuoris pus premere, bellum nobis indixerunt. cognito autem satis nos ad id esse paratos, quum non possent nocere, inuitarunt ad reconciliationem & amicitiam, censentes de principatu decernendum ternorum vtrinque virorum periculo. accepimus conditionem; & victores ea pugna, potiti sumus eius ciuitatis dominio. agedum quid fecimus postea? cum liceret nobis obsides accipere, præsidium in vrbe relinquere, præcipuos concordiæ turbatores partim securi percutere, partim eiicere; ciuitatem ipsam, mutato ad nostrum commodum reipublicæ statu, vel agris mulctare vel pecuniis, &, quod omnium erat facillimum, arma adimere, quo firmiorem dominationem haberemus: horum nihil facere instituimus, sed maiorem pii quam securi principatus rationem habuimus: ac Metio Fufetio, quem ipsi vt Albanorum præstantissimum magistratu honorarant maximo, administrationem reipublicæ vsque ad hanc diem permisimus. Pro quibus *beneficiis* audite quam nobis, cum maxime opus esset amicorum & sociorum beneuolentia, retulerint gratiam. clam cum communibus hostibus pacti, se nos vna cum illis in certamine inuasuros, cum vtrinque propinquarent acies, deserto loco quem tuendum acceperant, proripuerunt se ad montes proximos, tuta occupare loca festinantes. qui conatus si eis ex sententia successisset, nihil vetuisset quo minus omnes nostræ copiæ deletæ fuissent, circumuentæ hinc ab amicis, inde ab hostibus: & tam multi vrbis labores quos pro *republica* & principatu exantlauimus, vnico die periissent. Sed quoniam illorum consilia interciderunt, primum Diis fauentibus; (ad quos *auctores* ego omnia præclare facta refero) deinde mea quoque sollertia non parum ad terrendos hostes & nostros animandos conferente: (nam quod in ipso discrimine dixi, iussos à me Albanos occupare montes, quo facilius hostem circumuenirent, stratagema erat *ex tempore* à me confictum) nobis contra ex voto successerunt omnia, non essemus viri quales nos esse conuenit, si non sumeremus pœnas de proditoribus: qui præter ceteram necessitudinem, quam cognationis gratia obseruare debebant, recenti etiam iureiurando & fœdere nobis deuincti, neque XXIX.

Deos timentes quos pactorum testes fecerant, nec ipsum ius ac fas, hominumque indignationem reueriti, nec periculi magnitudinem, si non succederet proditio, animis complexi, se cum infensissimis hostibus turpissime cõiunxerunt, nosque colonos & benefactores suos miseris modis perdere sunt conati. Hæc illo dicente Albani cum eiulatu ad deprecationes versi sunt, vulgo negante se Metii machinationum fuisse conscium; præfectis, non ante se cognouisse occulta eius consilia fingentibus, quam ipso prœlii tempore, cum nec impedire nec exsequi iussa sibi esset integrum. nec defuere qui propter affinitatem cognationemve se id coactos fecisse dicerent. His rex silere iussis, Neque me, inquit, ista latent, Albani, quæ caussamini. vulgo incognitam fuisse proditionem, vel hinc coniicio, quia quæ multi sciunt, non diuturno teguntur silentio. tribunorum quoque & centurionum perpaucos opinor fuisse insidiarum socios; plerisque deceptis & inuitis necessitatem
XL. hanc impositam. Porro etiamsi horũ nihil esset, & omnes Albanos, tam vos qui hic præsentes estis, quam eos qui in vrbe sunt relicti, nocendi nobis incessisset cupiditas, idque non nunc primum sed iam dudum apud vos ratum fuisset: tamen cognationis caussa necesse habent Romani etiam hæc vobis delicta ignoscere. Ne autem *in posterum* quicquam contra nos iniuste moliamini, siue compulsi a vestris magistratibus, siue decepti, vnica est cautio & prouisio, si vnius vrbis ciues facti, vniuersi eandem habeamus patriam, cuius tum aduersæ tum prosperæ fortunæ pro sua quisque portione sit particeps. donec autem dissidentibus animis, vt nunc, de potiori ac deteriori *iure* vtrique cogitabimus, non erit firma inter nos amicitia: præsertim si illos qui priores alteris insidiati fuerint, vel re bene gesta, principatus; vel spe frustratos, venia propter cognationem maneat: rursum eorũ quibus insidiæ structæ sint, ea sit conditio, vt aut oppressi, extrema quæque subire; aut elapsi, omnem hostilis iniurię memoriam deponere cogantur: id quod hoc tempore contigit. Scitote igitur, cum proxima nocte conuocato senatu totius consessus sententias colligerem, Romanis visum esse vt vrbs vestra diruatur, nec vllum, exceptis fanis, relinquatur vel priuatum vel publicum ædificium. ciues vero vniuersos, saluis bonis suis,

ſuis, mancipiis, pecudibus, aliiſque opibus, Romæ poſthac domicilium habere volunt: & quotquot ruſticis prædiis carent, his agros ex publico diuidi, exceptis ſacris poſſeſſionibus, ex quorum reditibus *hactenus* Diis facta ſunt ſacrificia. domus autem qua parte vrbis ædificentur ad habitationem commigrantium, meæ curæ commiſerunt, egenoſque ad abſoluenda opera ſumptibus à me iuuari volunt: ac plebem quidem veſtram cum noſtris plebeiis in tribus & curias ſe contribuere; in ſenatum vero & ad magiſtratus gerendos admitti familias has, Iulios, Seruilios, Geganios, Metilios, Curatios, Quintilios, Clœlios: at Metium, & proditionis ſocios, pœnas luere, quas nos, qui ad ſingulorum reorum cauſſas cognoſcendas conſtituti ſumus iudices, pro cuiuſque merito ſtatuemus. nemini enim ius nec cauſſæ dictionem negabimus. His dictis quotquot Albanorum erant pauperes, contenti erant Romæ habitare, agrique portionem accipere, & orationem regis approbabant magnis acclamationibus. aliis dignitate ac fortuna eminentibus moleſtum erat relicta patria, deſertiſque maiorum laribus, externum ſolum incolere; nec tamen muſſare audebant contra extremam neceſſitatem. Tullus perſpecto maioris partis animo, Metium iuſſit, ſiquid haberet defenſionis, afferre in medium. qui cum nihil poſſet reſpondere ad obiectum crimen & teſtimonia, ait id ſibi cum copiis in bellum proficiſcenti, occulte à ſenatu Albano mandatum: opemque Albanorum inuocat, ne ſe, qui conatus ſit ipſis imperium reſtituere, in periculo deſtituant, neve patiantur patriam ſuam dirui & nobiliſſimum quemque ciuem ad ſupplicium rapi. Itaque tumultu in concione orto, & nonnullis ad arma recurrere parantibus, hi qui turbam in modum coronæ cinxerant, dato ſigno gladios exſerunt: & perterritis omnibus rurſum aſſurgens Tullus, Non eſt, inquit Albani, quod res nouas moliamini, aut facinus aliquod meditemini. ſi enim aliquid mouere auſi fueritis, omnes ab iſtis interficiemini. (ſimulque oſtendit ſtrictos gladios) accipite igitur quæ offeruntur, & Romani eſtote in poſterum. alterutrum enim neceſſe eſt vos facere, aut Romam habitare, aut nullam aliam habere patriam. iam enim ſummo mane profectus eſt Marcus Horatius, à me miſſus,

XLI.

vt vrbem vestram à fundamentis diruat, & Romam traducat quantum illic est hominum. quod cum iamiam futurum sciatis, desinite in mortem ruere, & imperata facite. Metius vero Fufetius, qui & *ante* nobis occultas struxit insidias, & ne nunc quidẽ turbulentos ac seditiosos homines ad arma concitare est veritus, supplicium dabit quo dignus est homo malus & dolosus. Quæ cum perorasset, irritata concionis pars demisit animos, vt ineuitabili con-

XLII. strictа necessitate. At Fufetius, qui solus adhuc cum indignatione ac vociferatione fœdus, quod violasse conuictus erat, inclamitabat, nec in *hisce* malis audaciam deponebat, flagris fœde laceratus est. quibus cum satis castigatus esset, bigis admotis, ad alteras ex brachiis, ad alteras ex pedibus, loris longis reuinctus est. deinde aurigis in diuersa eas agentibus, humi raptatus, moxque à nitentibus in contraria discerptus est. Hic fuit Metii Fufetii exitus, fœdus simul & miserabilis. amici eius, ac proditionis conscii, à rege in iudicium vocati, qui caussa cecidissent, ex lege de proditoribus & desertoribus, sunt occisi. Interea præmis-

Alba diruta. sus cum delectis ad diruendam Albam Marcus Horatius, properato itinere portas patentes & incustodita mœnia occupat, facileque vrbe potitur. aduocata inde concione, quicquid gestum in prœlio fuerat denarrat, & Senatus consultum recitat. Vbi cum ciues dilationem ad mittendos Romam legatos suppliciter peterent, sine mora domos & mœnia, & siquod aliud vel priuatum vel publicum esset ædificium, diruit: ciuesque opes suas agentes ac ferentes, magna cura *& diligentia* Romam deducit. eos Tullus è castris in vrbem reuersus, per tribus & curias distribuit, & in construendis qua vrbis parte vellent ædibus adiuuit: agri etiam publici quantum sat esset, diuisit inter eos qui ante mercenaria opera victitauerant; aliisque humanitatis officiis nouellos ciues refouebat. Sic Alba, quam olim Ascanius ex Ænea Anchisæ filio, & Creusa Priami filia natus, condiderat; cum per quingentos post ædificationem annos, tredecim demptis, stetisset, eoque temporis spatio populi frequentia opibusque & cetera felicitate multum aucta esset, triginta oppidorum Latinorum mater, & gentis eius toto illo tempore princeps, à nouissima sua colonia solo æquata, hodieque

hodieque deserta permanet. Ceterum Tullus rex intermisso per insequentem hiemem bello, ineunte vere iterum contra Fidenates ducit exercitum. His nulla publice auxilia ab vlla sociarum ciuitatum summissa fuerant, sed mercede conducti quidam ex multis locis eo confluxerãt: quibus freti vrbem egredi ausi sunt. verum collatis signis, multisque in pugna interemptis, rursus intra mœnia sunt compulsi. Vt vero à Tullo fossa & vallo cincti ad extremam redacti sunt inopiam, necesse habuerunt ei se dedere quibus ipse vellet conditionibus. Is ad hunc modum vrbe potitus, occisis defectionis auctoribus, reliquis & veniam dedit, & omnium suorum bonorum vsum ac fructum permisit; redditoque ipsis pristinæ reipublicæ iure, dimisit exercitum: ac secundo illo triumpho vrbem inuectus, victricem Diis pompam & sacrificia peregit. Post hoc bellum, aliud à Sabinis exortum est, cuius hæc fertur caussa. Fanum est quod Sabinis æque ac Latinis summa religione colitur, sacrum deæ Feroniæ; quam Græci in suam linguam modo ἀνθηφόρον vertunt, modo φιλοστέφανον, modo Φερσεφόνην. (*id est florigeram, sertis gaudentem, Proserpinam*) eo statis diebus conueniebant è circumuicinis vrbibus, alii votiua Deæ reddituri sacrificia, alii negotiaturi propter celebritatem, mercatores opificesque & agricolæ; quod forum ibi esset totius Italiæ splendidissimum. ad eam celebritatem profectos aliquando Romanos ciues non obscuros Sabini quidam correptos & pecuniis spoliatos in vincula coniecerant: legatisque eo missis nihil æqui impetrari poterat; sed tam viros retinebant quam pecunias, obiicientes vicissim Romanis, quod aperto asylo profugos Sabinos excepissent, vt præcedente libro expositum est. Ex his *mutuis* criminationibus bello nato, eductisque magnis vtrinque copiis, collatis signis dimicatum est, dubioque marte decertatum, donec noctis interuentu diremptum est prœlium, neutro inclinante victoria. Sequentibus diebus considerata vtrinque occisorum & sauciorum multitudine, non libuit armis experiri denuo, sed relictis castris discessum est: nec amplius quidquam eo anno tentatum. Anno insequente instauratum est bellum, & maioribus concursum copiis. pugnatum est ad Eretum, centesimo septimo ab vrbe stadio,

XLIII. *Fidenæ captæ.*

XLIV. *2 bellum Sabinum.*

XLV.

multis vtrinq; cæsis. cumque tum quoque diu æquo marte certaretur, Tullus protensis ad cælum manibus, votum Diis fecit, si eo die Sabinos vinceret, Saturno & Opi solennes se instituturum ferias; quas Romani quotannis post comportatas terræ fruges celebrare solent publice: duplicaturumque Saliorum numerum. hi sunt genere nobiles, statisque temporibus armati ad tibiæ modulos saltant, patrios quosdam hymnos concinentes, vt superiore libro exposui. Peracto isto voto alacrior Romanos animus subiit; & quasi redintegratis viribus in fessos facto impetu, vergente iam die turbauerunt hostium ordines, proceresque fugæ initium facere coactos vsque ad castra persecuti sunt: & oppressis circa fossas longe plurimis, non retulerunt pedem, sed noctem ibi permanserunt, & repulsis qui è præsidio erumperent, castris *tandem* sunt potiti. Quo facto, agrum Sabinum longe lateque pro libito populati, cum nullus eis amplius ad regionem propugnandam occurreret, præda onusti domum reuersi sunt: tertioque tum à rege triumphatum est. nec ita multo post Sabinis per legatos petentibus pax data, receptis transfugis & captiuis qui inter prædandum intercepti fuerant; & pro abactis pecoribus ac iumentis, ceteraque præda quam agrestibus ademerant, mulcta pecuniaria ex senatus arbitrio imposita.

XLVI. His conditionibus Sabini cum deposuissent bellum, & columnas pacta inscriptas in templis erexissent, postquam Romanis *graue ac* diuturnum bellum cum coniuratis Latini nominis ciuitatibus, ex caussis quæ paulo post dicentur, exortum est, occasione ista lætis animis arrepta, iuramenti illius & fœderis ita sunt obliti, ac si nunquam id fecissent: ratique se nactos opportunitatem pecuniæ, quam Romanis persoluerant, recipiendæ multo cum fœnore, pauci primum & clam prædas è finitimis agris agebant: deinde successu addente audaciam, cateruatim & propalam: cumque neminem ad arcendas iniurias agrestibus succurrere viderent contempto hoste, decreuerunt ipsam Romam petere, contractis oppidatim copiis, atque etiam Latinis ad eius belli societatem, sed frustra, sollicitatis. nam Tullus eorum mente cognita, cum Latinis fecit inducias: & imminenti hosti decreuit totas vires opponere, accessione

Albano-

Albanorum iam duplicatas; corrogatis etiam è ceterorum sociorum numero auxiliis quā fieri poterat maximis. Iam & Sabini in vnum conuenerant. cumque alteri alteris propinquassent, ad syluam maleficorum quam vocant, castra metati sunt, modico relicto interstitio. postera die collatis signis diu æquo marte pugnatum est. sub vesperam tandem inclinarunt Sabini, equitatui Romano impares: magnaque fugientium strages est edita. Romani spoliatis hostium cadaueribus, direptisque quotquot in castris erant opibus, agri quoque partem optimam depopulati, domum reuerterunt. atque hic finis fuit eius belli quod Romanis sub Tullo cum Sabinis intercessit.

XLVII. *Bellum Latinum.*

Latinæ quoque vrbes tum primum à Romanis dissidere cœperant, quod Alba diruta euersoribus eius Romanis imperium tradere recusarent. anno enim post illius excidium quintodecimo, rex Romanus dimissis per triginta eius colonias legatis, postulabat vt imperata facerent; quod ad victores cum ceteris Albanorum rebus, transisset etiam Latinæ gentis imperium. Cum enim duo sint acquisitionis modi, quibus in aliena paratur dominium, alter coactus, alter voluntarius; Romanos vtroque modo earum vrbium quæ Albanis paruerint, accepisse imperium. nam illos & hostes ex amicis factos, armis deuicisse; & vrbis iacturam passos, in suæ ciuitatis consortium recepisse. itaque par esse vt Albani Romanis nolentes volentes imperio in subditos cedant. Legatis à nulla ciuitate priuatim quidquā responsum est; sed indicto Ferentinum publico gentis concilio, decernunt imperio Romanis haud cedendum esse: moxque duos imperatores eligunt, penes quos sit belli pacisque arbitrium, Ancum Publicium Coranum, & Spusiū Vecilium Lauiniensem. Hæc caussa Romanos exciuit ad bellum contra cognatos populos; quod vsque ad quinquēnium processit, ciuili quodam & vetusto more gestum. nā neque totis exercitibus in certamen commissis internecina strages aut magna clades secuta est; neque vlla captarum vrbium, excidium, seruitutem, aliamue grauem calamitatem est experta; sed alteri alterorum agros sub frugum maturitatem inuadentes, cum præda domum reducebant copias, & captiuos permutabant. Vnum Latini nominis oppidum Medulliam, quo iamdudum regnante Romulo co-

Medullia capta, & pax cum Latinis facta.

loniam à Romanis deductam fuisse supra diximus, rex quia rursus ad gentem suam transierat, obsidione captum, à nouandis in posterum rebus absterruit. ceterorum belli malorum neutris quidquam toto illo tempore contigit. quo facilius pax confecta est, cum neutrorum animis altior insedisset ira, & Romani non alienum à pacificatione animum ostendissent.

XLVIII. *Tulli obitus & laus.*

Hæc sunt quæ Tullus Hostilius regni sui tempore gessit, vir inter paucos eximiam laudem meritus bellica fortitudine, promptoque in periculis consilio; maiorem etiam, quod neque cito bellum susciperet; & semel suscepto, *fortiter ac* constanter pertenderet ad victoriam. Periit autem incendio triginta duobus annis in regno exactis, absumptus flammis vna cum vxore & cetera tota domesticorum turba. Quidam aiunt domum eius de cœlo tactam conflagrasse, irato Deo ob neglectam quorundam sacrorum curam. nam sub eius imperio patria quædam sacrificia fuisse intermissa, & pro his alia peregrina introducta. Plures humanis insidiis exstinctum existimant, & facinus hoc ad Marcium, qui ei successit in imperio, referunt. Hunc Numæ Pompilii ex filia nepotem, tulisse iniquo animo priuatam vitam in regio genere, maxime cum videret prolem subnatam Tullo successuram in regnum, si quid ipsi *humanitus* accidisset. Hac de caussa eum regi iamdudum insidias esse meditatum, quod multi Romanorum conarentur illi regnum adstruere, & ipse inter *intimos ac* fidissimos Tulli amicos ascitus, omnium maxime crederetur obseruare si quod se insidiis opportunum offerret tempus. itaque regem parantem domesticum quoddam sacrificium, adhibuisse solos necessarios; cumque in eum diem incidisset tempestas procellosa & turbida, eximente lucem vi imbrium, deserto ab excubitoribus aditu regiæ, insidiatorem ratum id tempus esse peropportunum, se cum sociis gladios sub amictu gestantibus per *patentes* fores insinuasse; occisoque rege cum liberis & aliis quotquot aderant, ignem aliquot locis subiecisse ædibus; & post id facinus sparsisse rumorem de fulmine. quod equidem non credo, nec fit mihi verisimile. malim priorem opinionem sequi, diuinitus ei hunc vitæ finem obtigisse. neque enim verisimile est, facinus à numerosa conspiratione perpetratum

man-

mansisse occultum: neque auctori eius certo constare poterat defuncto Tullo Hostilio Romanos ad se delaturos vrbis imperium:& si maxime ab hominibus fidum & constantem sibi fauorem polliceri potuisset, non tamen Deorum item voluntas cum hominum iudiciis erat consensura. siquidem post tribuum suffragia oportebat Deos quoque faustis auspiciis ei regnum addicere. hominem autem sceleratum & tot iniustis cruentatum cædibus quis Deorum dæmonumue passus esset ad aras accedere, victimas immolare, ceterasque peragere cultus ceremonias? quamobrem ego hoc Deorum numini libentius quam hominum insidiis ascripsero: suum tamen cuique liberum sit iudicium.

XLIX. *Ancus Marcius, Roman. rex IV.*

Post Tulli Hostilii obitum, interregum magistratus à senatu more patrio designatus, regem vrbi legit Marcium, cognomento Ancum. cumque senatusconsultum approbasset populus, & fausta Deus *signa* ostendisset, Marcius omnibus *quæ ad ineundum principatum pertinent*, rite peractis, capessit imperium, anno secundo trigesimæquintæ Olympiadis, qua vicit Sphærus Lacedæmonius, quo tempore Athenis annuum principatum gerebat Damasias. Hic rex cum animaduertisset negligi multa sacrificia quæ auus suus maternus Numa Pompilius instituisset, & plerosque Romanos, animis ad bella & lucri studiũ conuersis, pristinam agricolationis curam abiecisse, aduocato in concionem populo, hortabatur vt, sicut Numæ temporibus factitassent, Deorum numina rursum colerent; docens, à contemptis numinibus morbos, pestilentias, aliasque calamitates innumeras vrbi immissas, quibus magna populi pars absumpta sit; & ipse Hostilius, quum non ageret eorum quam decebat curam, diu multumque cum variis morbis conflictatus, postremo ne in mentis quidem recto statu permanens, mente vna cum corpore labefactata, miserabili exitio cum tota familia perierit. Laudatis deinde Numæ institutis vt pulchris & temperatis, quibus ex iustissimo quæstu quotidie victus abunde pararetur, hortabatur vt ad ea reuerterentur, studerentque agriculturę ac pecuariæ, ceterisque operibus, in quibus nulla rapinæ aut violentiæ est iniuria; posthabitis militiæ commodis. Cumque his ac similibus verbis omnium ani-

Religionis & agriculturæ studiũ instaurat.

mos à bellis ad magnum quietis sobriæque industriæ studium perduxisset, conuocatis deinde pontificibus, sumptos ab eis commentarios quos Numa de sacris conscriptos reliquerat, transcripsit in tabulas, & in foro proposuit legendas quibuslibet; quæ tandem vetustate sunt abolitæ. nondum enim in vsu erant columnæ æreæ: sed in quernis tabulis incidebantur tam leges, quam sacrorum ritus: quæ tabulæ post exactos reges rursum in publicum vsum reuocatæ sunt per summum pontificem Caium Papirium. Porro cum sacra neglecta reuocasset, vulgus otiosum ad sua quæque opera ablegabat; ac diligentes quidem colonos laudabat, malos vero suorum prædiorum curatores obiurgabat, vt ciues nequaquam stabiles. Ita ordinata republica, sperans se, quemadmodum ante maternus auus, perpetuas habiturum à bello & molestiis ferias, fortunam expertus est aduersam suo proposito, & præter animi sententiam, bellator fieri coactus est, nec vllum vitæ tempus sine periculis & turbis degere. Vix enim regnare cœperat & tranquillam instituere rempublicam, cum Latini eum contemnentes & ob ignauiam bello administrando ineptum esse iudicantes, latronum globos in finitimum quique agrum dimiserunt, multosque Romanorum læserunt. Ad quos cum missi à rege legati, Romanis res suas ex fœdere repeterent, fingebant se neque latrones vllos scire de quibus fierent querimoniæ, neque consensu quicquam factum publico, neque Romanis se vlla in re obnoxios. cum Tullo enim se, non cum illis, fœdus fecisse: post cuius obitum nullo se amplius teneri pacis fœdere. Ob huiusmodi [Latinorum] responsionem coactus est Marcius exercitum contra eos educere: obsessumque Politorium, prius quam è ceteris Latinorum oppidis auxilia succurrerent, ex pacto cepit: ciuesque vniuersos, nullo affectos incommodo, nec bonis suis mulctatos, cum rebus suis Romam traductos per curias distribuit.

Bellum gerit cum Latinis.

LI. Anno insequenti cum Latini missis Politorium colonis, desertos Politorinorum agros colere instituerēt, Marcius resumptis armis in eos tetēdit: ausosque in aciem prodire vicit prœlio, iterumque cepit oppidum. incensis deinde domibus, & muris dirutis, ne esset hosti aut agrum colere volentibus receptaculum, copias domum reportauit.

Sequenti

Sequenti anno Latini exercitum admouent ad Medulliam, in qua se Romanorum coloni futuro bello parabant: & facto vndequaque in muros impetu, oppidum vi capiunt. Eodem tempore Marcius Tellenas nobile Latinorum oppidum vi cepit, acie primum, mox oppugnatione victor: oppidanos nulla bonorum portione mulctatos Romam transtulit, & locum in quo domicilia struerent assignauit. Medulliam quoque per triennium à Latinis detẽtam quarto demum anno multis & acribus expugnatam prœliis recepit. Nec multo post Ficanam expugnauit: quam cum ante triennium per deditionem cepisset, & cunctis oppidanis Romam translatis, nullo alio detrimento affecisset, mitius quam prudentius consilium secutus videbatur. Latini enim colonis eo missis, & agris illorum occupatis, ipsi fructus inde percipiebant. quamobrem Marcius eam bello repetere coactus est, magnoque negotio subactę domos incendere, ac mœnia diruere.

Post hæc Latini & Romani duobus concurrerunt prœliis. In priori cum diu æquo marte pugnassent, neutro inclinante victoria, dirempto prœlio, in sua vtrique castra digressi sunt. posteriore Latinos Romani vicerunt [a] *egregie* & vsque castra sunt persecuti. Post has pugnas nusquam acie certatum est: excursiones tantum vltro citroque in finitimos agros factæ: equitesque ac velites agrum obeuntes, crebro conseruerunt manus, plerumque superante Romano, quod opportunis locis disposita haberet præsidia, quibus Tarquinius genere Etruscus præerat. Eodem tempore Fidenates à Romanis defecerunt, non aperte se hostes professi, sed paulatim & occultis excursionibus agrum eorum infestantes. contra quos Marcius cum expeditis profectus, comparatis ad bellum necessariis, prope oppidum castra posuit. illi primum nescire se simulantes, quærebant ob quam suam iniuriam venisset Romanus exercitus. rege respondente, vt rapinarum damnique suis illati pœnas de ipsis sumeret, afferebant pro se, nihil horum factum consilio publico; tempus poscentes ad cognoscendam eam caussam, & perquirendos noxios. *quo impetrato*, multos dies consumpserunt, non in iis quæ officium postulabat negotiis, sed in armorum apparatu, & clam aduocandis auxiliis. LII.

XLIII. Tum Marcius cognito eorum animo, cuniculos fodere à castris vsque ad mœnia hostium. Quo opere perfecto, comparatisque scalis & machinis cum reliquo instrumento ad muralem pugnam necessario, excitum militem admouit ad auersam partem mœnium, non qua cuniculus actus fuerat. Quo Fidenatibus vniuersis concurrentibus, & assultus hostium strenue reiicientibus, Romani, quibus id commissum erat, aperto cuniculi ore insinuauerunt se intra mœnia; & obuium quemque sternentes, per effractam portam suos intromiserunt: multisque primo impetu cæsis, reliquos Fidenates arma tradere iussos, rex per præconem in vnum eundemque vrbis locum conuocauit; & aliquot ex eis, defectionis auctores, virgis cæsos affecit supplicio: cunctisque ædibus ipsius permissu à milite direptis & relicto in vrbe quantum satis erat præsidii, contra Sabinos duxit exercitum. nam ne hi quidem fœderis cum Tullo initi conditionibus stabant, sed finitimos Romanorum agros vexabant latrociniis. Marcius per speculatores & transfugas temporis opportunitate cognita, palantibus per agros Sabinis & in prædam intentis, ipse cum peditatu castra eorum modico præsidio munita primo impetu occupat: Tarquinius interim cum equitibus, vt erat iussus, in dispersos prædatores citato cursu properat. Sabini vt cognouerunt Romanum equitatum contra se tendere, missa præda & quas agebant ac ferebant opibus, in castra cœperunt refugere. quæ vbi à peditibus teneri didicerunt, incerti quo se verterent, contendebant in siluas & montes *se recipere.* sed persequente eos leui armatura cum equitibus, pauci euaserunt incolumes; ceteri magna ex parte cæsi sunt. Post quam cladem legatis denuo Romam missis pacem impetrauerunt quibus voluere conditionibus. nam bellum quod Romanis adhuc cum Latinis ciuitatibus intercedebat, cogebat eos vel pacem vel inducias habere cum ceteris aduersariis.

Sabinis.

LIV. Deinde quarto fere post hoc bellum anno Marcius rex præter vrbanas legiones excito à sociis quanto fieri poterat maximo auxiliorum numero, Veientes aggressus, agrum eorum longe lateque populatus est. ipsi enim superiore anno irruptione in Romanum agrum facta

Veientibus.

magnas

magnas prædas abegerant, multaſque cædes perpetrauerant. Veientibus deinde cum magno exercitu profectis obuiam, & trans Tiberim caſtra prope Fidenas metatis, Marcius ſumptis quanta celeritate potuit copiis, primum vias eis in regionem interclusit, quod eſſet equitatu ſuperior; deinde in aciem prodire coactos vicit *egregie*, ita vt caſtris etiam eorum potitus ſit: confectoque hoc etiam bello ex animi ſententia, Diis victricem pompam & ſolennem triumphum in vrbem reuerſus egit. Altero poſt hæc anno Veientibus rurſum violantibus inducias, & repetentibus caſtella quibus ſub Romulo ex pacto exceſſerant, maiore quam ante prœlio cum eis ad Salinas conflixit; & victoriam facili negotio adeptus, cetera exinde oppida ſine controuerſia retinuit. Ex ea pugna primas ſtrenuitatis partes cepit equitum ductor Tarquinius: idemque vir fortiſſimus à Marcio iudicatus, tum aliis identidem honoribus eſt affectus, tum patriciorum & ſenatorum numero aſcriptus. Nec à Volſcis pacata fuerunt omnia. *Volſcis.* prædonibus etiam inde Romanum agrum infeſtantibus. quos rex cum exercitu alacriter adortus, magnam reportauit prædam: & vrbe illorum Velitris obſeſſa, foſſiſque ac vallo cincta, occupatis ſub dio campis, ſe ad murorum oppugnationem accingit. Sed cum grandæui ex oppido ſupplices progreſſi, pollicerentur ſe iuxta regis æſtimationem illata damna perſoluturos & ſontes dedituros ad ſupplicium, rebus per inducias recuperatis, in fœdus eos & amicitiam recepit.

Nouum inde bellum exortum eſt ab iis Sabinorum populis, qui nondum Romanorum virtutem experti nec vllis iniuriis laceſſiti, cum inuidia impulſi non poſſent ferre ſucceſſus eorum vix credibiles, viri alioqui bellicoſi, magnamque & opulentam incolentes vrbem, pauci primum è latronum receptaculis in agros excurſiones fecerunt: deinde lucris illecti, apertam in eos expeditionem ſuſcipiunt, magnamque finitimæ regionis partem prædationibus & aliis incommodis grauiter affligunt. Sed non licuit eis has opes aſportare, nec ſine noxa domum reuerti: nam Romanus magna feſtina- *LV. Sabinis iterum.*

tione ad opem ferendam effusus, castris prope hostes positis, ad pugnam eos prodire coegit: habitoque conflictu valido, & multis vtrinque cæsis, tandem Romani strenuitate & laborum tolerantia, quibus longo vsu assueuerant, vicerunt, & Sabinos longe superarunt; eosque sparsim & sine ordine in castra fugientes è vestigio insecuti, multis cædibus male mulctarunt. ipsis etiam castris varia opulentia refertis potiti, receptis item captiuis quos prædones interceperant, *victores* domum reuerterunt. Res igitur bellicæ quas ab hoc rege gestas Romani literarum monumentis & sermone celebrarunt, hæ fere memorantur: nunc quas in reip. administratione res gesserit, dicere aggrediar.

In rep. quæ gesserit.

LVI. Primum vrbem non exiguo additamento auxit, Auentinum complexus eisdem mœnibus: est is collis mediocriter altus, octodecim ferme stadiorum ambitu, siluis tunc obsitus varii generis, præcipue copiosa & pulchra lauro, vnde Lauretum pars eius à Romanis dicitur; nunc totus refertus est ædificiis; vbi inter alia multa & Dianæ templum visitur. dirimebatur is ab alteris duobus, vrbis ambitu cõprehensis collibus, *Cælio*, *&* eo qui nominatur Palatinus, (circum quem prima vrbis primordia fundata fuere) profunda quadam & angusta valle; sed procedente tempore tota collium intercapedo terra aggesta complanata est. Hunc igitur collem cum Ancus in vrbis exitium muniri posse cerneret, si quis eam exercitus inuaderet, muro & fossa circumdedit: traductosque è Tellena & Politorio ceterisque deuictis oppidis *inquilinos* ibi collocauit. Hoc vnum eius factum ad rempublicam pertinens narratur, præclarũ & industrium; quippe quo vrbs, tanquam alterius vrbis accessione, aucta sit, & siquando validus hostis ingrueret, minus expugnabilis reddita.

LVII. Est & alterum priore isto præstantius, quod vrbem non modo cunctis vitæ commodis locupletauit, sed etiam ad maiora capessenda incendit. cum enim Tiberis amnis ex Apennino præter ipsam vrbem defluens, & in importuosa ac contigua litora, quæ Tyrrhenum pelagus efficit, se exonerans, non magnopere vrbanis prodesset, (quod nullum haberet circa ostia castrum, quod naues tum è mari appellentes, tum per fluuium descendentes, acciperet pariter & redderet negotiantibus) alioqui vsq; ad fontes fluuialibus scaphis mediocribus peruius, vsq; ad vrbem

ad vrbem vero & magnis marinis onerariis nauigabilis; decreuit nauale ad eius ostia condere, pro portu vsus ore ipso fluuii. panditur enim in latum qua se cum mari coniungit, & sinus amplos capit, non secus ac marinorum portuum optimi. & quod maxime mireris, ostium eius non præcluditur nec obturatur aggesta è mari arena, vt multis etiã magnis fluuiis accidit: neque per paludes ac voragines oberrans absumitur prius quam ad mare perueniat: sed perpetuo nauibus est meabilis, per vnum natiuum ostium *in mare* se ingurgitans, & dorsa sub alto assurgentia diuerberans; quamuis vehemens ibi ventus crebro ab occidente spirare soleat. itaque remigio instructæ naues, quantumuis magnæ, & ex onerariis vel termillenariæ per ostium eius intrant, & vrbem vsque remigio ac funibus pertrahuntur: maiores autem ante os in salo firmantur ancoris, exonerãturq; nauigiis fluuialibus. Porro qua inter flumen & mare *prominens* litus curuatur in cubiti speciem, oppidum Ancus muniit, quod ex re Ostiam appellauit: (Θύραν nos diceremus) effecitque vt Roma non mediterraneis tantum, sed etiam marinis *hominibus* patens, transmarina quoque bona degustaret.

Muro cinxit & Ianiculum, montem excelsum, trans Tiberim situm; collocauitque in eo præsidium, vt ab Etruscis tutior esset fluminis nauigatio, qui totam Transtiberinam regionem tenentes, latrociniis infestabant negotiatores. Sublicium quoque pontem, quem solis lignis sine ære ac ferro contineri fas est, ille imposuisse Tiberi dicitur: qui vsque in hunc diem conseruatur, & sacer habetur *ab omnibus*: cuius siqua pars laboret, pontifices eam *reficiendam* curant, patria quædam in eius instauratione peragentes sacrificia. Hęc rex iste imperii sui tẽpore gessit memorabilia, vrbemque non paulo quam acceperat maiorem successoribus trãdidit; & imperio per viginti quatuor annos administrato decessit, superstitibus duobus filiis, altero etiamnum puero, altero iam pubescente. LVIII.

Post cuius mortem senatus, cum permissum ipsi à populo esset constituendæ reipublicæ arbitrium, præsenti statu cõtentus, creauit interreges: qui coacto in comitia populo regem elegerunt L. Tarquiniũ. Is, cum signa diuinitus ostensa populi suffragiũ approbassent, regnum auspicatus est anno circiter secũdo quadragesimæ LIX.

L. Tarquinius, Rom. rex V.

primæ Olympiadis, qua in ſtadio vicit Thebanus Cleonidas, principatum Athenis obtinente Heniochide. Huius Tarquinii parentes, patriam, & quibus de cauſſis *relicta patria* Romam venerit, quaque induſtria ad regnum peruenerit, dicam ita vt in Romanis commentariis reperi. Demaratus Corinthius ex Bacchiadarum genere, animo ad negotiationes applicato, nauigauit in Italiam, priuato ſumptu inſtructa & mercibus onerata naui. quas cum in Etruſcis vrbibus, totius tunc Italiæ florentiſſimis, diſtraxiſſet, magnumque lucrũ inde feciſſet, noluit poſthac alios portus petere; ſed idem perpetuo mare tractans, Græcanicas merces in Etruriam importauit, & *viciſſim* Etruſcas in Græciam reuexit: vnde magnis opibus auctus eſt. orta deinde ſeditione inter Corinthios, oppreſſis Cypſeli tyrannide Bacchiadis, homo prædiues & alioqui principe familia natus, parum tutum ſe ratus ſub tyranni imperio, conuaſatis (quantum potuit) rebus, *& in naues impoſitis*, Corintho abiit. cumque ob continua commercia multos bonos amicos haberet in Etruria, præſertim Tarquiniis, magna & florente olim vrbe, domicilium in ea ſtatuit, & nobilem genere vxorem ducit. ex qua duobus ſuſceptis filiis, Etruſca nomina indidit; alteri, Aruntis; alteri, Lucumonis. Vtrumque *liberaliter* inſtituit Græcis atque Etruſcis diſciplinis; & poſtquam virilem ætatem attigerunt, vxores ex ſummo loco natas coniunxit.

LXX. Nec ita multo poſt alter filiorum natu maior moritur, nullis (quod tunc ſciretur) relictis liberis; & paucis diebus poſt ſequitur ipſe Demaratus, præ luctu mortuus, hereditate Lucumoni ſuperſtiti ex aſſe relicta. qui tam luculẽtum patrimonium adeptus, cogitabat tractare rempublicam, & inter primarios haberi ciues. Sed cum vndique protruſus, ne inter mediocres quidem locum obtinere poſſet, nedum inter primarios, moleſte ferebat eam ignominiam: auditoque, Romam omnes exteros libenter excipere, ciuitateque donatos pro ſuo quemque merito honorare, migrare illo decreuit cum re familiari, vxore, &, quotquot ſequi vellent, amicis atque domeſticis; quorum magnus fuit numerus. vt vero ad Ianiculum peruenere, vnde Roma ex Etruria venientibus primum conſpicua eſt, aquila repente demiſſa pileum ei de capite rapuit; ac ſublime reuerſa, cum

penſile

pensile vehiculum, *cui Tarquinius insidebat*, volatu obiis-set, & deinde se in altissima aeris regione abscondisset, mox subito rursum delapsa capiti pileum apte reposuit. Ibi omnibus inopinato prodigii miraculo stupentibus, vxor ipsius Tanaquil, à parentibus Etruscam auspiciorum disciplinam docta mulier, seorsum abductum virum complexa, bene sperare iussit, euasurum à priuata fortuna ad potestatem regiam. monuit tamen, daret operã vt volentibus Romanis principatum acciperet, dignumque se præberet honore tam eximio. LXXI. Ille *cœlesti* prodigio lætus, cum portæ iam propinquasset, vocatis in vota Diis, precatus est ratum auspicium facerent, aduentumque suum fortunarent: atque ita vrbem inuectus est. Post hæc admissus ad Marcij regis colloquium, primum quis esset indicauit: deinde, se habitandi animo in vrbem venisse, cum toto patrimonio, quod, vt maius quam pro priuati hominis facultatibus, libenter se depositurum in vsum regis & reipublicæ. Cumque rex libenter eum suscepisset, & cum toto Etruscorum comitatu in tribum & curiam cooptasset, sortitus in vrbe spatium, quantum sat esset exstruendis ædibus, domum ædificauit, & agri portionem accepit. His ita dispositis ciuis iam factus, postquam didicit Romanorum cuique præter commune nomen, esse nomen alterum, gentilitium scilicet, & à paterna stirpe acceptum, vt hac etiam re ceteris fieret similis, pro Lucumone, Lucii commune nomen cepit, & Tarquinii nomen gentilitium, ab vrbe in qua natus & educatus fuerat. Regis etiam amicitiam breui sibi parauit, datis muneribus quibus eum maxime indigere sentiret, & suppeditatis ad bellicos vsus, quantis opus esset pecuniis. In expeditionibus etiam omnium & peditum & equitum fortissime dimicauit; ac si bono consilio esset opus, inter prudentissimos consiliarios est habitus. Cumque *hoc nomine* apud regem esset in pretio, ceterorum etiam Romanorum beneuolentiam est adeptus, deuinctis sibi plerisque patriciis, tum plebeiæ multitudinis fauore conciliato, benigna salutatione, comi alloquio, iucunda familiaritate, pecuniarum suppeditatione, aliisque humanitatis officiis. Talis igitur fuit Tarquinius; hasque ob caussas & viuo adhuc Marcio Romanorum omnium clarissimus fuit; & defuncto illo, vnanimi omnium consen-

LXXII. *Debellat Latinos.* su dignus regno iudicatus est. Inito imperio bellum primum cum Apiolis gessit, non obscura Latinæ gentis ciuitate. nam Apiolani & ceteri Latini omnes, Anci obitu solutas esse fœderis conditiones arbitrati, latrociniis & excursionibus Romanum agrum infestabant. quam iniuriam vlcisci volens Tarquinius, magno exercitu educto, optimi agri eorum partem deuastauit. quo cum è propinquis Latinorum oppidis magna confluxissent auxilia, duplici prœlio cum eis congressus, vtroque victor, tandem obsedit oppidum, & copias per vices ad muros oppugnandos admouit. oppidani contra, pauci resistentes pluribus, nullo ad interquiescendum relicto tempore, mature expugnati sunt. oppido vi capto maior pars in pugna confossa est: pauci traditis armis *sub hasta* cum reliqua præda sunt venditi; pueri & mulieres Romam in seruitutem abducti; oppidũ ipsum direptum, *prius mox* concrematum est. His gestis, mœnibusque funditus dirutis, rex domum reduxit exercitum. Secundam expeditionem suscepit aduersus Crustuminos. Hæc Latina *quondam* colonia, in Romanorum dicionem venit regnante Romulo: Tarquinio vero principatum adepto, rursus Latinis fauere cœperat. non tamen oppugnatione *alieve magno* negotio retrahenda fuit ad officium. Crustumini enim cognito quam ingens aduentaret exercitus, cõsiderantes quam parum sibi esset virium, cum nullæ à ceteris Latinis mitterentur suppetiæ, portas aperuerunt: progressique seniores & honoratissimus quisque, vrbem regi dediderunt, orantes vt clementia erga se ac moderatione vteretur. Cui cum ex voto hæc res offerri videretur, ingressus mœnia neminem Crustuminorum necauit; perpaucos tantum, defectionis auctores, mulctauit exsilio perpetuo. ceteris sua bona reliquit, & ius Romanæ ciuitatis, vt ante habuerant: ac nequid nouarent amplius, Romanos ibi colonos reliquit.

LXXIII. Horum consilium secuti Nomentani, eandem experti sunt fortunam. hi quoque Latinorum societate freti, apertis aduersus Romanos susceptis inimicitiis, latrones in eorum agrum emiserant. quam ob rem bello petiti à Tarquinio, tardantibus Latinorum auxiliis, impares ipsi tanto exercitui, cum ramis oliuæ obuiam egressi, se *ac sua* dediderunt. At Collatini repugnare conati, eduxerunt militem extra mœnia: sed cum ex omnibus

bus conflictibus inferiores discederent, & crebras acciperent clades, compulsi sunt intra oppidum refugere: moxq; dimissis nuntiis sollicitabant Latinorum auxilia. quibus cunctantibus, Romanis vero non vno loco muros impetentibus, tandem coacti sunt sese dedere. Verum non æque clementer ac Nomẽtani Crustuminique tractati sunt, sed post arma adempta mulctati pecuniis, imposito etiam iusto præsidio. quin & dictatorem eis Aruntem Tarquinium ex fratre nepotem, præfecit, quoad is viueret: qui patre Arunte & auo Demarato defunctis natus postumus, nec patrimonium vllum nec auitorum bonorum hereditariam partem cõsecutus erat; ob id cognominatus Egerius; quod pauperes & inopes ita Romani nominent. ex quo autem eius oppidi præfecturam adeptus est, tum ipse Collatini cognomen inuenit, tum eius posteritas. Post deditam Collatiam rex aduersus Corniculum expeditionem suscepit. id quoque Latini nominis oppidum. quorum agrum impune depopulatus, cum nemo illum propugnaret, copias ipsi oppido admouet, & ciues ad amicitiam inuitat. illis vero pacificationem aspernantibus munitionum fiducia, & spe vndique (vt putabant) affuturi auxilii, corona cinctos ab omni parte oppugnauit. Corniculani diu resistebant; fortiterque repugnantes, multis ictibus irruentes hostes male mulctabant: tandem continuo labore fessi, ac ne concordes quidem satis, (quando alii deditionem, alii constanter resistendum suadebant) ob eam ipsam dissensionem facilius expugnati sunt. potior pars in captæ vrbis propugnatione occisi sunt: ignaui autem, & hoc ipso *ignauiæ* nomine seruati, *sub hasta* pro mancipiis venierunt, cum vxoribus & liberis. oppidum post direptionem à victore incensum est.

Qua clade Latini exacerbati, decreuerunt collatis in vnum viribus Romanos aggredi: ac mox valido exercitu præcipuam hostilis agri partem inuaserunt: vnde captiuis multis abductis, præda quoque magna potiti sunt. contra hos Tarquinius cum expeditis qui tum ad manum erant profectus, non inuentis hostibus qui commodum abierãt, in agrum ipsorum irrumpens, talionem eis reddidit. hoc modo mutuis in finitimos agros excursionibus nunc accipiebant damna, nunc inferebant. Semel tantum ad Fidenas LXXIV.

in acie certatum est totis viribus: in quo conflictu multis vtrinque desideratis, penes Romanos fuit victoria: quæ clades Latinos desertis noctu castris in oppida sua discedere coegit. Post hoc prœlium Tarquinius cum instructo suorum exercitu Latinam regionem obiens, iam hoc iam illud oppidum sollicitabat ad amicitiam. Illi, quod nec cōmunem exercitum collectum esse scirent, nec propriis viribus satis fiderent, inuitanti obsequebantur; & nonnulli deditionem faciebant, cum vidissent ciuitates quæ vi captæ essent, dirutas & in seruitutem abductas esse: quæ verò certis conditionibus dederent, imperium tantum victoris recipere, aliud nihil pati durius. Primi ergo Fidenates, haud aspernanda ciuitas, certis quibusdam conditionibus se Romanis adiunxerunt: deinde Camerini. hos secuta sunt aliquot oppidula & castella munita. Terruit hoc Latinos, verentes ne vniuersam gentē suę dicioni subiiceret Tarquinius. Ergo in oppidum Ferentinum conuentu indicto, decretum est delectus oppidatim habendos esse, ciendas ad arma fortissimas propinquarum gentium; moxque legati ad Etruscos & Sabinos impetrandæ societatis caussa dimissi sunt. Sabini polliciti sunt simulatque audierint ipsos in Romanum agrum irrupisse, se quoque sumptis armis populaturos agrum illorum finitimum; Etrusci, summissuros se auxiliorum quantum opus fuerit. non tamen responsum est hoc de communi omnium sententia, sed à quinque tantum ciuitatibus. hi fuere Clusini, Aretini, Volaterrani, Rusellani, Vetulonienses. Hac spe Latini erecti parabant domi magnum exercitum; & assumptis quos Etrusci miserant, in Romanum agrum inuaserunt. eodemque tempore Sabinæ ciuitates, quæ belli eis societatem promiserant, adiacentes sibi agros populabantur. Ibi Romanus rex, qui & ipse interea se instruxerat, cū numeroso & valido exercitu in hostes properat; sed periculosum esse ratus, diuisis copiis, cum vtrisq; simul bellum gerere, maluit omnes vires in Latinos vertere, & castra metari castris illorum proxima ac primum neutris libuit rem totam aleę cōmittere, quod vtrinq; non ignotus esset alterorum apparatus alteris: sed leuia *tantum* prœlia commissa sunt identidem, descendente vtrinq; è munitionibus velitum manu: in quibus plerunq; ęquo marte pugnatum est. tandem cum

LXXV.

LXXVI.

ex huius-

ex huiuſcemodi rixis vtroſque depugnandi cupiditas inceſſiſſet, pauci primum ſuis opitulatum ierunt; mox vniuerſi coacti ſunt è caſtris procurrere: coortoque prœlio inter milites bello exercitatiſſimos, & propemodum pares tam pedeſtribus quam equeſtribus copiis, ad hæc pariter animoſos, vt in extremo diſcrimine, vtrinque pugnatum eſt vt dignum erat viris fortibus. contendentes ex æquo *vix* nocte ſuperueniente dirempti ſunt. poſtera demum luce diuerſus vtriuſque partis animus oſtēdit vtri pridiana pugna ſuperiores fuiſſent. Latinis enim intra vallum ſe continentibus, Romanus rex ſuos in apertum campum produxit, paratus iterum confligere; diuque militem in acie continuit: deinde non prodeuntibus ex aduerſo hoſtibus, ſpoliatis eorum cadaueribus, ſuorumque ſublatis, gloriabundus in caſtra reduxit exercitum. LXXVII. Sequentibus diebus Latini nouis Etruſcorum auxiliis aucti, depugnarunt multo quam ante acrius; ſed clariſſimam Tarquinius reportauit victoriā, cuius ipſe omnium cōfeſſione auctor perhibebatur. nam laborante iam Romana acie, ſiniſtro cornu non ſatis ſeruāte ordines, intellecto ſuorum periculo, dum ipſe in dextro pugnans verſatur, aſſumptas fortiſſimas equitum alas & vigentiſſimam partem peditum, duxit præter ſuorum terga: præteritoq; ſiniſtro cornu vltra aciē euectus, ad dextram ſe reflexit: equiſq; concitatis in obliquas hoſtium cohortes irruit: nā hæ dextrum hoſtilis agminis cornu tenentes, vrgebant oppoſitos. his tum ex improuiſo inuectus, metum ac trepidationem iniecit non exiguā. interea & pedites Romani recollecto animo in aduerſos impreſſionē faciūt. Fit magna Etruſcorum ſtrages, ac mox dextrum cornu totum in fugam vertitur. Ibi Tarquinius iuſſis tribunis cū peditibus militari gradu & incōfuſis ordinibus ſubſequi, ipſe cū equitatu citato curſu ad hoſtiū caſtra properat. quæ cū ante fugientes hoſtes attigiſſet, primo impetu capit. nam relicti præſidio, necdum cladem ſuorum reſciuerant; & quia irruentem tanto impetu equitatum non ſatis dignoſcebant, admiſerunt pro ſuo. capta Latinorum munitione, qui eā velut tutum refugium petebant, ab equitibus intercepti, cædebantur: & qui è caſtris in campum cupiebant euadere, in Romanas legiones incidebant cum certa ſui pernicie. bona pars ſe mutuo trudentes & conculcantes, circa val-

los aut fossas ignauo & miserando exitio perierunt. reliqui, quando aliter incolumes esse non poterant, coacti sunt sese dedere victoribus. Tarquinius opulentis castris potitus & magno captiuorum numero, hos sub hasta vendidit, castra

LXXVIII militibus in prædam concessit. His gestis ad oppida Latina admouebat exercitum, expugnaturus siqua se nollent vltro dedere. Sed oppugnandi labore non fuit opus. nam cuncti ad preces versi, publice legatos mittebant, deditionem facientes suppliciter, accepturi pacem quibus ipsi libêret conditionibus. Rex his fœderis conditionibus *tot* ciuitatum dominio potitus, summa in cunctas clemētia & moderatione vsus est. neminem Latinum nec occidit, nec in exsilium egit, nec mulctauit pecunia. agros etiam suos ipsis fruendos reliquit, & ciuitates suo quamque iure vti permisit. transfugas Romanis reddi iussit, & captiuos absq; pretio: famulos quoque restitui propriis dominis quotquot à prædatoribus intercepti fuerant, & rerum ereptarum agrestibus persolui pretium, & rependi siquod aliud in eruptionibus damnum exitiumue illatum esset. atque his cōditionibus in amicitiam ac societatem Romanorum recepti sunt, facturi eorū imperata in posterum. Hic fuit Latini belli finis; & Tarquinius triumphans in vrbem rediit.

LXXIX. *Sabinos.* Sequenti anno in Sabinos duxit exercitum, qui iam ante voluntatem eius & apparatum cognouerant. quamobrē ne bellum intra suos fines reciperent, comparato satis magno exercitu regi processerunt obuiam. congressique circa confinia, acerrime vsque ad noctem pugnauerunt, neutro inclinante victoria. per aliquot deinde dies neque Sabinorum imperator è castris eduxit copias, neque Romanorum rex: sed motis retro castris, intacto hostico, domum vtrique reuersi sunt, eo proposito, vt ineunte vere vtrique bellum redintegrarent maioribus copiis, interim appararent necessaria priores Sabini se mouerunt, cum non contemnendis Etruscorum auxiliis, & castra posuerunt prope Fidenas circa Anienis & Tiberis confluentes. ibi geminum excitarunt vallum, quorum alterum alteri & oppositum erat, & contiguum. nam communi fluminum alueo, qui interfluebat, superstructus erat pons ligneus, scaphis & ratibus fultus; qui efficiebat vt cito ex altero in alterum transiri posset, & vnum idemq; vallum esse videretur.

quo

quo cognito Tarquinius & ipse legionibus eductis locum castris cepit propter Anienem, paulum supra hostium castra, occupato colle quodam natura munitissimo. cumque vtrique essent pugnandi auidi, nullum tamen in acie commissum est vel magnum vel paruum prœlium. Tarquinius enim Sabinos stratagemate præuentos, vtrisq; castris eorum sublatis, graui clade attriuit: quod quidem commentum ita se habuit. Scaphas fluuiales & rates aridis lignis LXXX. sarmentisque refertas, sulfure quoque ac pice additis, præparauit in altero amne, ad quem castra habebat: obseruato deinde vento secundo, circa quartam vigiliam igne in eam materiam immisso, scaphas & rates siuit deferri prono flumine. hæ breui tempore per intermedium delapsæ spatium, hæserunt in ponte, eumque pluribus locis incenderunt. Ibi Sabinis ad emicantem flammam concurrentibus, & modis omnibus restinguere conantibus, Tarquinius sub diluculum cum instructo exercitu veniens, altera castra inuasit, maxima ex parte deserta à custodiis, quæ ad incendium se proripuerant: & cum pauci resisterent, castris illis facili negotio potitur. Interea altera quoque Sabinorum castra trans amnem sita, alia Romanorum manus aggressa occupat; quæ intempesta nocte à Tarquinio præmissa, amnes iam vno fluentes alueo, scaphis & ratibus traiecerat, qua parte id Sabini non erant sensuri. hæc alteris Sabinorum castris appropinquarat, cum pontis incendium conspiceretur: quod eis irruptionis datum erat signum. occupatis ergo castris, si qui Romanis obsisterent, in conflictu sunt occisi: qui vero se in confluentes præcipitarunt, cum vortices superare non possent, *ab aquis* sunt absorpti. bona pars, dum ponti succurrit, absumpta est incendio. Ita vtrisque castris potitus Tarquinius, reliquam prædam militibus diuidendam concessit; captiuos tam Sabini quam Etrusci generis Romam abductos in arcta custodia habuit; quorum magnus fuit numerus. Hac clade fractos Sabinos facti cepit pœnitentia: missisque legatis inducias impetrauerunt in sexennium. Etrusci iniquo animo ferentes se toties à Romanis victos, LXXXI. ac tum irritati quod Tarquinius captiuos legatis non reddiderat, sed obsidum loco retinuerat, decreuerunt vt omnes Etrusci nominis populi Romanis communibus au- *Etruscos.*

spiciis bellum inferrent: ac siqua ciuitas se huic expeditioni subduceret, ea è fœdere excluderetur. Quo decreto confirmato eduxerunt copias, & traiecto Tiberi prope Fidenas castra posuerunt: ac diffidentibus Fidenatibus, oppido per proditionem potiti, cum multis captiuis & prędà è Romano agro abacta, domum se receperunt, relicto Fidenis quantum sat esset præsidio. hæc enim belli aduersus Romanos optima illis sedes fore videbatur. At rex Tarquinius armatis in sequentem annum legionariis omnibus, & sociorum quantis potuit auxiliis, ineunte vere in hostes mouit, priusquam illi ex omnibus coacti ciuitatibus, ipsum vt ante impeterent: diuisisque in duas partes vniuersis copiis, ipse Romanos ducebat; sociis, quorum maxima pars Latini erant, præfecit cognatum suum Egerium, iussum Fidenas petere. hic socialis exercitus quum non longe ab eo oppido castra loco parum tuto posuisset, propter contemptum hostium, pene totus deletus est. qui enim in præsidio erant, clam accitis nouis ex Etruria auxiliis, obseruatoq; suo tempore, oppido egressi primo impetu ceperunt male custodita hostium castra; & eorum qui prædatum exierant, passim palantium magnam edidere stragem. Romani vero Tarquinii ductu vastato & populato agro Veienti, magnis onusti prædis, postquam Veiis ab omnibus Etruscorum populis multum auxiliorum submissum est, commisso cum hostibus prœlio, indubitata potiuntur victoria. deinde opulentos Etruscorum agros impune populati, & ingenti præda potiti, cum magno captiuorum numero, vergente iam æstate, domũ redierunt.

LXXXII. Veientes tanta clade accepta non audentes vrbem egredi, patiebantur in conspectu suo regionem deuastari: ac Tarquinius tribus irruptionibus effecit vt toto triennio nihil fructuum Veientes ex agris suis perciperent, desertis iam ex parte maxima. Quibus cum nullum damnũ dare posset amplius, ad Cære duxit exercitum; quæ olim, dum à Pelasgis teneretur, Agylla dicta est; post sub Etruscis Cæretis nomen accepit. vrbs erat viris & opibus florens, siqua alia Etrusci nominis: vnde magna multitudo procurrit ad arcendam ab agro vim hostium: multisque hostium occisis, sed pluribus suorum amissis, coacta est in vrbem refugere. Romani agro in potestatẽ suam redacto, multis diebus

diebus ibi morati sunt propter vberem rerum copiam: & postquam abeundi tempus visum est, cum præda quantam auehere poterant, domũ sunt reuersi. Veienti bello defunctus ex animi sententia Tarquinius, contra hostem Fidenis hærentẽ eduxit copias, vt præsidium inde eiiceret, & de oppidi proditoribus sumeret supplicium. primo cõtra hostem in aciem progressum pugnatum est acriter; secuta deinde æque acris oppugnatio mœniũ. tandem vi captis Fidenis, præsidiarii in vincula coniecti, cum ceteris Etruscis captiuis detenti sunt in custodia. E Fidenatibus qui defectionis auctores fuisse videbantur, pars cæsi virgis publice securi sunt percussi; pars missi in perpetuum exsilium. quorum bona sortiti sunt Romani, quos rex ibi colonos aut præsidiarios reliquit. Vltimus cum Etruscis conflictus in agro Sabino ad Eretum fuit. per Sabinos enim aduersus Romanos proficiscebantur Etrusci, quod eis quidam ibi *Romani nominis* hostes persuaserant, fore vt Sabini se expeditioni adderent socios. nam exactum erat sexennalium induciarum tempus, & multi è Sabinis superiores clades resarcire cupiebant, cum satis magnus iuuentutis numerus per ciuitates succreuisset. nec tamen is conatus successum habuit. nam priusquam ab vlla ciuitate publica Etruscis auxilia mitterentur, superuenit Romanus exercitus: pauci tantum magna mercede conducti, in castra eorum voluntarii se contulerant. Ex hoc prœlio superiorum omnium quæ inter se commiserunt, longe maximo, cum præclaram victoriam Romani reportassent, res illorum admiranda ceperunt incrementa. quare à senatu populoque decretum est vt triumphalis à rege pompa duceretur. Etruscis contra collapsi sunt animi, quod, cum omnes ex omnibus oppidis in eam expeditionem emisissent copias, paucos è tanto numero receperant incolumes. nam alii ceciderant in acie; alii, in inuiis locorum difficultatibus à victore deprehensi, deditionem fecerant. itaque tanta sua clade *Romanam virtutem* experti populorum principes, fecerunt quod viros prudentes decuit. cum enim nouas copias in eos eduxisset Tarquinius, in communi gentis concilio decreuerunt de pace cum eo agere: ac *mox* è singulis ciuitatibus viros ætate & honore præcellentes cum libera conditionum pote- LXXXIII

LXXXIV ſtate legatos mittunt. Hi cum multis regem hortarentur ad clementiam & moderationem, memorantes etiam cognationem quæ ei cum ſua gente intercederet, ait ſe vnum hoc ex ipſis ſciſcitari: vtrum adhuc de æqualitate ſecum diſceptent, & ad pacem certis conditionibus faciendam venerint; an ſe victos agnoſcant, & vrbes ſuæ poteſtati permittant. Quibus reſpondentibus, ſe & ciuitates ſuas in ipſius poteſtatem permittere, & pacem accipere quibuſcunque conditionibus, lætitia perfuſus; Audite nunc, inquit, conditiones, & quam vobis *pro iſta veſtra voluntate* repono gratiam. Ego neminem Etruſcum occidere cupio, aut exſilio boniſve mulctare; ciuitates ipſas ſine præſidiis, ſine exactionibus, permitto ſuis legibus viuere, ſingulaſque priſtinam reipublicæ formam retinere ſino. Pro his omnibus quæ vobis conceduntur, vnum mihi à vobis deberi cenſeo, vt me veſtrarum ciuitatum principem agnoſcatis; quod etiam nolentibus vobis futurus ſum, quamdiu ero armis ſuperior: malo tamen id à volentibus quam ab inuitis conſequi. hæc referte veſtris ciuitatibus: ego interim dum *huc* reuertimini, vobis inducias polliceor. Cum hoc reſponſo legati dimiſſi poſt paucos dies redeunt, non nuda verba tantum afferentes, ſed & principatus inſignia quibus ſuos reges ornare conſueuerant, coronam auream, & ſellam eburneam, ſceptrumque in ſummitate habens aquilam, & purpuream tunicam auro diſtinctam, purpureumq; amiculum varium, qualia Lydorum atque Perſarum reges geſtarunt; niſi quod non quadrata, vt illa; ſed figura erat ſemicirculi. hoc veſtimenti genus Romani togam, Græci τήβεννον appellant, neſcio vnde ſumpto vocabulo. non enim videtur Græcæ originis. Sunt qui prodant allatas ei etiam duodecim ſecures, ſingulas à ſingulis populis miſſas. Etruſcorum enim mos fuiſſe videtur, quamq; ciuitatem ſuo regi lictorem vnum addere, qui cum virgarum faſce ſecurim illi præferret: quoties vero communis duodecim populorum eſſet expeditio, duodecim ſecures ei traderentur, cuius eſſet imperium in exercitum. non tamen omnes ſcriptores his aſſentiuntur; quandoquidem *nonnulli* aiunt ante Tarquinii regnum duodecim ſecures regibus præferri ſolitas; fuiſſeque hoc inſtitutum Romuli mox ex quo principatum adeptus ſit. Nihil tamen vetat

Etruſco-

Etruſcorum id eſſe inuentum, primumque ab illis mutuatum Romulum: attamen Tarquinio quoque inter cetera inſignia regia allatas etiam ſecures duodecim; quemadmodum & nunc Romani ſceptra & diademata dono mittunt regibus, quando eis confirmant poteſtatem regiam; quibus vtuntur etiamſi ab illis non accipiant. Hos honores non ſtatim admiſit Tarquinius, ſi pleriſque ſcriptoribus Romanis credimus: ſed cum ad Senatum Populumque Romanum retuliſſet iuberent ne vt iſta ſumeret, volentibus & conſentientibus omnibus, tum demum illis vſus eſt: totoq; deinceps vitæ tempore amictus toga picta purpurea, geſtabat coronam auream, & cum ſceptro eburneo ſella *item* ſedebat eburnea. duodecim lictoribus cum ſecuribus & virgis iura redděti aſtantibus, & per vias eum præcedentibus. Idem ornatus manſit & ipſius ſucceſſoribus, & poſt pulſos reges annuis conſulibus, excepta corona togaque picta: nam hæc ſola eis adempta ſunt, quod inuidioſa viderentur & *libertati* grauia. attamen ſi quando victoria è bello reportata triumphus eis à ſenatu decernitur, tũc & aurea geſtant ornamenta, & picta amiciuntur purpura. LXXXV.

Bellum ergo quod Tarquinio cum Etruſcis fuit nouennale, hunc habuit exitum. Sabini ſoli ſupererant qui cum Romanis de principatu cõtenderent, viri pugnaces, regionẽ colentes amplã & fertilem, nec longe à Roma diſſitam. hos etiã ſubigere maximopere cupiens Tarquinius, bellũ eis indixit, incuſans quod depoſcenti ſibi ad ſupplicium noluiſſent dedere *ſuos populares* qui Etruſcos *ad bellum exciuerant*, polliciti ſi cum exercitu in regionẽ venirent, ſe patrias ſuas in eius belli ſocietatem pertracturos, & in Romanos concitaturos. Gratum id fuit Sabinis, iniquum exiſtimantibus ſi *tot* præpotentes ciues ſibi adimerentur: & nõ exſpectato Romanorum aduentu, ipſi in illorum agrum cum exercitu irruperunt. quos vbi Tarquinius cognouit ſuperato Aniene populari vicina caſtris omnia, aſſumptis Romanæ iuuentutis expeditiſſimis, quantum potuit properauit, vt palantes prædatores opprimeret. cæſiſq; plurimis & recepta omni præda, prope hoſtem caſtra poſuit. ibi paucis aliquot diebus exſpectato reliquarum ex vrbe copiarum & à ſociis auxiliorum aduentu, poſtquam his auctus eſt, in campum progreſſus pugnandi fecit copiam. LXXXVI. *Sabinos iterum.*

LXXXVII. Sabini vt viderunt Romanos alacriter ad certamen prodire, & ipsi copias eduxerunt, nec numero cedentes hostibus, nec virtute: & congressi, varia virtutis edidere specimina, tantisper dum res erat cum solis à fronte oppositis. deinde vt animaduerterunt aliam hostium manum à tergo in se decenti ordine tendere, desertis signis in fugam versi sunt. Tarquinius enim noctu delectos è Romanis equites simul & pedites opportunis locis in insidiis collocauerat, qui tum à tergo in Sabinos coorti sunt: ad quorum nec opinatum conspectum attoniti Sabini, nihil amplius fecerunt fortiter, sed velut arte ab hostibus superati, & ineluctabili clade icti, alii alia via salutem quæsiuerunt. tum vero ingens eorum strages est edita, persequente equite Romano, & obstante vndique; ita vt admodum pauci euaserint in propinqua oppida, & maior pars eorum qui non occubuerant in acie, in Romanorum manus venerit. nam qui [in vallo] erant reliqui, irruentium in se hostium impetum propulsare, aut pugnam experiri non sunt ausi; sed insperato euentu perculsi, sine pugna & se & munitionem dediderunt. Sabinæ ergo ciuitates hoc stratagemate superatæ, dolo sibi, non virtute victoriam ademptam censentes, maiorem rursus parabant exercitum sub imperatore *veterano & artium belli* peritissimo. Quorum voluntate cognita rex celeriter comparatis & in vnum collectis copiis, priusquam illi cōuenirent vniuersi, Anienem transiit. Id vbi Sabinorum imperator audiit, cum iis qui ex recenti delectu ad manum erant profectus, castra non longe à Romanis metatus est in excelso quodam & prærupto tumulo: & abstinendum à prœlio ratus donec ad se venirent ceteræ Sabinorum copiæ, tantum emissis subinde equitibus, & insidiis per siluas & nemora dispositis defendebat agrum à prædatorum excursionibus.

LXXXVIII. Dumq; ita bellum à Sabino ducitur, crebro consertæ manus, procursantibus paucis velitibus simul & equitibus; at totis viribus pugnatum est nunquam. tandem Tarquinius morarum ac iræ impatiens, oppugnanda hostium castra ratus, aliquoties in ea fecit impetum: deinde sentiens se nihil vi proficere, quod locus munitior esset quam vt expugnari posset facile, decreuit hostes inopia commeatus debellare. itaque custodiis per omnes vias eo ferentes dispositis, prohibens ne pabulum

pabulum equis, sibique ligna & alia vitæ subsidia ex agro congererent, *breui* ad tantam rerum omnium redegit inopiam, vt coacti fuerint obseruata nocte imbribus & procellis turbida, turpiter castra deserere, relictis *per trepidationem* iumentis & tentoriis, simulque sauciis, & omni apparatu bellico. Postero die Romani discessu eorum cognito, sine pugna castris potiti direptis tentoriis, iumentis, & pecuniis; captiuisq; abductis, in vrbem se receperunt. Id bellum quinque annos continuos durauit: in quo agri vtrinque vastati sunt mutuis excursionibus, & multa identidem commissa maiora minoraque prœlia, in quibus Sabini rarius, Romani sæpius prospera fortuna sunt vsi: sed vltimum prœlium supremam bello manum imposuit. Sabini enim non vt ante per vices, verum vniuersi quantum militaris ætatis fuit, in expeditionem sunt profecti: Romanæ quoque legiones omnes, accitis etiam Latinorum, Etruscorum, aliorumque sociorum auxiliis, obuiam iuerunt hostibus. Sabinus imperator in bina castra partitus est suas copias; Romanus rex tres exercitus in ternis castris habuit, non longe à se inuicem dissitis. ipse Romanis legionibus præerat, Aruntem fratris filium præfecit Etruscis auxiliis: Latinis & ceteris sociis præposuit virum bellica fortitudine ac debita rebus prudentia satis instructum, sed peregrinum, necdum ciuitate donatum, appellatiuo nomine Seruium, gentilitio Tullium: cui Romani post obitum Tarquinii, nulla superstite prole mascula, regnum detulerunt, admirati virtutem hominis tum belli tum reipublicæ negotiis administrandis idoneam. Huius genus, educationem, fortunam, & quod circa eum diuinitus apparuit prodigium, exponam cum ad illum historiæ locum peruenero. Ergo vtrinque ad decernendum parati, signa conferunt. læuum cornu Romani, dextrum Etrusci, mediam aciem Latini occupant. toto die pugnatum est acriter: tandem Romani vicerunt egregie, stratisque in pugna multis viris fortibus, in fuga multo maiorem ceperunt numerum: & vtrisque castris potiti, ingentique opum vi ditati, sine metu iam agris quam late patebant ferro flammaque & omni cladis genere peruastatis, cum exiret æstas, solutis castris domum redierunt: & Tarquinius tertium illũ imperii sui tempore

LXXXIX triumphum è pugnâ reportauit. Sequenti anno rege rursus expeditionem parante, & obsidione Sabinas vrbes capere cogitante, nulla se amplius generoso & iuuenili animo ciuitas opposuit; sed vno consensu priusquam subuersionis & seruitutis adirent periculum, de bello dirimendo agere decreuerunt. itaque venerunt singularum ciuitatum optimates ad Tarquinium aduentantem iam cum omni exercitu: dediderūtq; *tam se quam* sua oppida, orantes vt æquas pacis conditiones proponeret. Lætus ille sine periculo sibi oblatum gentis imperium, pace data in societatem & amicitiam eos recipit, eisdem legibus quibus Etruscos *aliquanto* ante receperat: captiuosque sine pretio restituit. Hæc sunt quæ rex Tarquinius bello gessisse memoratur: nunc exponemus quæ pacis tempore in reipublicæ administratione peregit; quando nec ipsa libet prætermittere silentio. Mox vt principatum accepit, ad conciliandum sibi plebis fauorem, sicut à prioribus regibus factum erat, hac beneficentia vsus dicitur. selectos ex omni plebeiorum numero viros centum, quibus bellicæ virtutis aut ciuilis prudentiæ testimonium ab omnibus perhiberetur, patricios fecit, & in senatorum numerum cooptauit: ac tum primum Roma trecentos habuit senatores, qui ducenti ante fuerant. Deinde sacris virginibus, à quibus inexstinctus seruatur ignis, cum quatuor essent, duas adlegit alias. cum enim plura iam à ciuitate peragerentur sacrificia, quibus opus erat interesse Vestales virgines, non videbantur quatuor *solæ* sufficere. hoc institutum Tarquinii secuti sunt reges ceteri, & vsque ad hanc nostram ætatem sex designantur ministræ Vestales. quin & supplicium quo in eas stupri conuictas animaduertunt pontifices, ipse videtur inuenisse primus: siue id *certo* consilio, siue (vt quidam opinantur) insomniis monitus instituit: quæ post illius obitum inter Sibyllina oracula reperta dicunt sacrorum enarratores. deprehensa enim est eo regnante sacerdos quædam Pinaria Publii filia, corpore non casto ad rem diuinam accedere. modus autem supplicii quo vitiatæ puniuntur, superiore libro à nobis indicatus est. Forum etiam vbi ius redditur, concionesque fiunt, & cetera ciuilia negotia peraguntur, ab illo *rege* ornatum est, officinis circumdatum, & ceteris ornamentis *publicis*

In republ. quæ gesserit. XC.

blicis. Vrbis quoque mœnia quæ ante extemporali ac friuolo opere condita fuerant, primus sectis ad regulam lapidibus *prægrandibus*, quorum singuli iustum plaustri onus conficerent, exstruere instituit. Cœpit & cloacas fodere, fossas scilicet quibus in Tiberim corriuatur quicquid aquarum è viis confluit: dici vix potest quam admiranda opera. Ego sane in tribus magnificentissimis vrbis Romæ structuris, ex quibus maxime apparet amplitudo imperii, pono aquæductus, viarum straturam, & cloacarum fabricam: reputans non solum vtilitatem operum, de qua suo dicetur tempore, verumetiam impēsarum magnitudinem: quam vel ex hoc vno licet coniicere, quod, vt affirmat Caius Aquilius, neglectas aliquando cloacas, nec amplius transmittentes aquam, censores mille talentis purgandas & reparandas locauerint. Idem Tarquinius circum maximum inter Auentinum & Palatinum montes situm adornauit, structis primum opertis circumquaq; sedilibus. nam ante super tabulatis stantes spectabant, ligneis fulcris tabulas sustinentibus. Locos *spectaculorum* in triginta curias distribuit, sua cuique curiæ assignata portione; vt *curialium* quisque suo loco spectaturus sideret: quod opus & ipsum procedente tempore vnum è pulchris & admirandis vrbis operibus futurum erat. longitudo enim eius circi, est trium stadiorum cum dimidio; latitudo, quatuor iugerum. à duobus maioribus lateribus, & vno minore, euripus circumcirca fossus est qui aquas recipiat, decempedali profunditate simul & latitudine. post euripum exstructæ sunt triplici tecto porticus. earum imæ habent lapidea paulum scandentia (sicut in theatris) sedilia; sublimiores vero, *sedilia habent* lignea. *duas* maiores *porticus tertia* minor coniungit, & formam, qua concluduntur, habent lunarem: ita vt ex tribus vna conficiatur porticus amphitheatralis octo stadiorum *amplitudine*, quę centum quinquaginta hominum millia possit capere. reliquum è duobus minoribus latus, quod subdiuale est, habet fornicatos carceres vnde equi emittuntur, qui omnes vno *clauduntur & aperiuntur* repagulo. externe circumambit alia simplici tecto porticus, habens officinas & superne cellas; per quam spectatores intrant & ascendunt per singulas officinas, vt nulla turba exoriatur inter tot millia tum intrantia tum abeuntia

N

XCI.

XCII. Aggressus etiam est ædificare templum Iouis & Iunonis ac Mineruæ, vt votum persolueret quod in postremo contra Sabinos prœlio Diis fecerat. Tumulum quidem, in quo exstructurus erat templum, quum multa & laboriosa egeret opera, quippe qui difficili erat aditu, nec *in summo* planus, sed præruptus & acuto vertice fastigiatus, multis ex partibus amplexus est celsis substructionibus: inter quas & verticem congesto aggere, planam effecit aream ad excipiendas sacras ædes aptissimam. fundamenta tamen *eius* ædis iacere fato præuentus non potuit, cum quadriennio *tantum* post eius belli finem superuixerit. Post multos deinde annos tertius ab hoc rex Tarquinius, is qui regno pulsus est, fundamenta iecit, & bonam partem confecit eius ædificii. ac ne is quidem absoluit hoc opus, sed sub annuis magistratibus, iis qui tertio *post* anno consulatum gesserunt, templum id absolutum est. Memorabile est & quod ante illius ædificationem accidit, *constanter* ab omnibus Romanis scriptoribus proditum. ædificaturus Tarquinius, conuocatis auguribus, iussit primum *Deos* consuli de loco, quisnam vrbis locus fano ædificando esset aptissimus, Diisque ipsis gratissimus. cumque ostendissent imminentem foro tumulum, qui tum Tarpeius dictus, nunc Capitolinus vocatur, iussit iterum consultis auspiciis respondere qua tumuli parte deberet fundamenta iacere. nam id erat non admodum facile; quod multæ in eo essent Deorum geniorumque aræ, modico à se inuicem disiunctæ interuallo, quas oportebat alio transmoueri, totamque aream ædificando Diis fano tribui. placuit auguribus de singulis aris ibi sitis *aues* consulere, & si Dii concederent, tunc eas *loco* mouere. ibi cæteri Dii & genii permiserunt eis aras in alia loca transferre: Terminus tantum & Iuuentus nullis (quamlibet crebris) augurum precibus & supplicationibus flecti potuerunt vt sustinerent locis suis cedere. quo factum est vt eorum aræ contineantur templi ambitu; atq; altera nunc in vestibulo Mineruę sita est, altera in ipsa æde prope puluinarium. hinc coniiciebant vates, nec mouendos vnquam vrbis terminos, nec *iuuenilem* vigorem ei defore. quorum neutrum vsque ad hæc nostra tempora per ætates iam vigintiquatuor vanum fuit.

Illu-

Illuſtriſſimus autem augurum, qui aras dicauit, fanumque Iouis deſignauit, & cetera per diuinationem populo prædixit, communi & appellatiuo nomine dictus eſt Neuius, gentilitio Attius: qui omnium eius artis ſectatorum diis fuiſſe fertur cariſſimus, clariſſimumque inde nomen conſecutus, quod vix credenda eius artis ſpecimina dedit. quorum vnum, quod maxime ſum miratus, in medium proferam, qua fortuna quaque occaſione à Diis oblata ad tantam nominis celebritatem peruenerit, vt ceteri eius ſeculi augures ad illum collati, in nullo pene honore fuerint. paupere hic patre natus exigui ruſculi colono, puer etiamtum iuuabat eum & aliis operis quas ætas ea fert, & paſtum agendis ſuibus. accidit aliquando vt cum *ruri* obdormiſſet, à ſomno experrectus deſideraret ſues aliquot, nec inueniens fleret, metuens ne plagas à patre acciperet. profectus deinde ad caſulam in eo rure ſacratam heroibus, rogabat eos vt ſe in reperiendis ſuibus iuuarent. quod ſi fieret, pollicebatur ſe oblaturum illis vuam eius ruris maximam. paulo poſt inuentis porcis, cum vellet votum heroibus perſoluere, non videbat viam qua vuam eam inuenire poſſet. quamobrem anxius animi, Deos comprecatus eſt vt quod quæreret indicarent ſibi auſpicio. cumque diuinitus in mentem ei veniſſet vineam in duas partes diuidere, dextram & ſiniſtram, obſeruabat vtriuſque partis auſpicia: conſpectiſque in altera auibus [quales ipſe vellet, rurſus eum quoque locum diuidebat, & aues eodem delatas diſcernebat. qua locorum diuiſione vſus, demum vitem vltimo ab auibus] oſtenſam ſubiens, inuenit vuam miræ magnitudinis; quam ad heroum caſulam deferens, à patre viſus eſt. cui admiranti botryonis molem, & vnde nactus eſſet ſciſcitanti, rem omnem denarrauit ordine. pater ſuſpicatus id quod erat, ingenio pueri quædam artis diuinatoriæ ſemina innata eſſe, adductum in vrbem commendauit literatoribus. deinde vbi triuiales iſtas diſciplinas perdidicit, tradidit eum Etruſcorum doctiſſimo, vt auguralem artem diſceret. ita Neuius ad innata diuinationis principia, Etruſcæ diſciplinæ præceptis additis, omnes diuinos ceteros, vt dixi, longo poſt ſe reliquit ſpatio. & quamuis non eſſet vnus è collegio, tamen ab vrbanis auguribus in omnibus auſpiciis publicis ad- XCIII.

habebatur propter prædictionum eius certitudinem; neq; pronuntiabant quidquam nisi ex illius sententia.

XCIV. Idem Neuius, cum aliquando Tarquinius ad veteres tribus è delectis à se recens equitibus tres nouas addere vellet, easque tribus addititias à se atque ab amicis suis denominare, solus fortiter cōtradixit, non sinens *hic* quidquam eorum quæ à Romulo instituta essent mutari. ob eam prohibitionem rex iratus Neuio, conatus est scientiam eius conuellere, vt hominis arrogantis nec veri quidquam dicentis. His animo agitatis, frequenti foro Neuium ad tribunal accersit. Ibi præmonitis circumstantibus qua ratione augurem vanitatis conuincere cogitaret, postquam is aduenit, comiter hominem salutans, Nunc, inquit, tempus est Neui, quàm artis tuæ peritus sis ostendere. concepi mente negotium arduum; id fieri ne possit, scire cupio. I, consultisque *auibus* responsum refer celeriter: ego in hac sede præstolabor *interim*. Fecit vates quod iussus erat, & mox reuersus ait faustum sibi oblatum auspicium esse, remque fieri posse. Risit ad hæc Tarquinius; simulq; promens è sinu cotem & nouaculam, Deprehensus es, inquit, Neui, falsissimo prætextu numinis nobis imponere, quando polliceri audes impossibilia. ego certe rescire ex augurio volui, possemne hanc cotem inflicta nouacula mediam diffindere. Tum risu exorto circumstantium, Neuius nil turbatus ludibrio & strepitu, exclamat: Confidenter cotem feri, Tarquini, vt animum induxisti: diuidetur enim, aut ego quiduis pati paratus sum. Miratus rex vatis confidentiam, nouaculam in cotem adigit; ferrique acies & cotem totam peruadens diuidit, & tenentis eam manus partem incidit. Ibi ceteri omnes, vt admirandum istum & incredibilem euentum conspexerunt, miraculo attoniti exclamarunt: at rex artis experimento confusus, & indecoram opprobrationem corrigere volens, primum ab augendis tribubus abstitit: deinde vt Neuio debitum honorem referret, velut Diis præ cunctis mortalibus carissimo, tum aliis eum humanitatis officiis demulsit, tum ærea statua hominem dignatus est, quæ memoriam eius sempiternam prorogaret ad posteros: eaque in foro à rege posita, vsque ad mea tempora etiamnum ante curiam prope sacram ficum spectatur, mediocris staturæ viro minor, & veste amictum

caput

caput habens. cotem quoque ac nouaculam non longe ab ista statua sub ara quadam in terram defossa fuisse perhibent: qui locus Romanis Puteal dicitur. atque hæc sunt quę de augure isto memorantur. Porro Tarquinius rex iam annis grauis & octogenarius, ob idque à bellicis laboribus feriatus, per insidias ab Anci Marcii filiis oppressus interiit: qui iam antea de principatu eum deturbare cogitauerant, idque sæpius machinati fuerant, sperantes illo eiecto principatum ad se deuolutum iri, ob paternam memoriam gratam etiamtum viris bellatoribus. Verum ea spe frustrati insidias illi struxerunt ineuitabiles: quod facinus non impunitum siuere numina. Libet & insidiarum modum narrare. Neuius ille quem regi tribuum numerum augere volenti intercessisse diximus, cum maxime commendatione artis & auctoritate floreret in vrbe, vt qui eximius esset augur: is siue æmulatione sui ordinis, siue inimicorum dolo, siue alio quocunq; casu, derepente sublatus nusquam comparuit: & neque mortem eius coniectare potuerunt ipsius necessarii, neque cadauer vsquam repertum est. Quem casum cum populus ferret iniquissime, ac multa de multis suspicaretur, Anci liberi videntes commotam multitudinem, per calumniam impingebant id scelus regi Tarquinio, nulla alia coniectura criminis, sed duobus his verisimilibus signis subnixi, quod quum multa in republica contra leges immutare statuisset, hunc, ne sibi aduersaretur, vt antea, è medio tollere voluerit: deinde, quod in tam graui casu non inquisiuisset auctores facinoris, sed factum neglexisset; quod neminem facturum fuisse, qui extra culpam esset. ita comparata factiosorum manu è plebeiis simul & patriciis, quos adiutabant de suis facultatibus, magnam regi faciebant inuidiam: hortabanturque populum, ne paterentur virum manus impuras admouentem sacris, & polluentem potestatem regiam, præsertim qui ne ciuis quidem esset, sed peregrini generis aduena. Talia in foro & concionibus declamitantes homines diserti, irritabant bonam partem popularium, & venientem in forum conati sunt velut impurum pellere: non tamen veritati præualere potuerunt, nec persuadere populo *reliquo* vt eum regno eiicerent. vt vero & ipse caussam pro se dicere exorsus, calumnias omnes egregie diluit, & gener eius Tullius, cui

XCV. *Tarquinii obitus.*

alteram filiarum nuptum dederat, multum apud populum pollens, Romanos flexit ad misericordiam ; improborum calumniatorum opinionem lucrati, è foro magno cum dedecore coacti sunt discedere.

XCVI. Is conatus vbi parum successit, reconciliatione per amicos quæsita regem inuenerunt facilem ad veniam ; qui ob paternorum beneficiorum memoriam , contentus fuit temere cœptorum pœnitentia : atque ita integro triennio manserunt in ficta amicitia. deinde occasionem nacti, tali dolo eum aggressi sunt. iuuenes duos coniuratorum audacissimos, pastorali habitu & falcibus lignatoriis instructos meridie miserunt in regiam , præmonitos quid eos dicere oporteret, quoque modo rem gerere. qui vt regiæ propi quarunt , maledictis se mutuis , velut ob illatam iniuriam incessebant, & ne manibus quidem temperabant ; ambo magna voce regis opem implorabant, præsentibus mul coniuratis æque rustico habitu , vtrinque paratis huic liue adesse ac testari de iniuriis. vocati intro ad regem, iu sique litem proponere , prætexebant se contendere de c pris, vociferando , agrestesque affectus exprimendo, & nihil ad rem dicendo, sic vt magnum risum mouerent omnibus. Inter hæc ludibria rati se idoneum aggrediendæ rei tempus esse nactos , falcibus regis caput impetunt : eoque facinore perpetrato, per ianuam se proripiunt sed conc matione facta multis accurrentibus à fuga retracti, to mentisque admoti, coacti sunt auctores insidiarum prod re, ac mox meritum dederunt supplicium. Ita rex Tarq nius fato concessit , cum per triginta octo annos, quibus regnauit, multa & magna in rempublicam contulisset beneficia.

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATUM Romanarum Liber quartus.



ARQVINIVS cum annos triginta & octo imperium tenuisset, multorumque ac magnorum Romanis bonorum auctor fuisset, talem sortitus est vitæ finem, relictis duobus nepotibus infantibus, & duabus filiabus in matrimonio *iam* locatis. Ei successit in principatum gener eius Tullius, anno quarto quinquagesimæ Olympiadis, qua in stadii cursu vicit Epitelides Lacon, principe Athenis Archestratide: de quo iam prosequenda est narratio quam supra distulimus, de parentibus eius, quidque priuatus ante acceptam regiam potestatem gesserit. Quæ igitur de genere ipsius dicuntur, mihique maxime verisimilia videntur, hæc sunt. Corniculanus quidam in Latio, vir regii sanguinis, nomine Tullius, vxorem habuit Ocrisiam præstanti forma & pudicitia inter Corniculanas fœminam. Is Tullius, cum Corniculum à Romanis caperetur, in pugna interit. Ocrisiam vero *iamtum* prægnantem Tarquinius sibi extra sortem è præda capit, vxorique suæ dono dat. quæ, omni eius fortuna cognita, paulò post eam manumisit, eique præ cunctis mulieribus maximam semper beneuolentiam & honorem exhibuit. Ex hac Ocrisia etiamtum ancilla natus est puer, cui mater enutrito proprium & gentilitium nomen imponit Tullium, à patre:

SERVIVS TVLLIVS *quibus natalibus ortus, & qua ratione ad imperium euectus.*

appellatiuum vero, Seruium, de præsenti conditione sumptum, quod in seruitute eum peperisset. quod nomen si transferre in Græcum sermonem velis, Seruius fuerit
II. Δοῦλιος. Circumfertur & alia de natalibus eius narratio, quæ ortum eius fabulosius effert. ea (si Diis & geniis tales placent fabulæ) in hanc sententiam apud multos Romanæ historiæ scriptores exstat. è foco regio, vbi à Romanis cum alia sacra solent fieri, tum cœnarum litari primitiæ, supra flammas exstitisse virilis membri speciem. id primã conspicatam Ocrisiam, quæ ex more liba eo tulerat, statim regibus indicasse. Ibi cum Tarquinius audito primum, deinde etiam viso prodigio in admirationem venisset, Tanaquilem vxorem, & alioqui sapientem, & diuinandi scientia nulli Etruscorum secundam, dixisse *solam soli*, fatale esse vt è foco regio maior homine proles nasceretur, ex ea fœmina quæ cum spectro illo concumberet. id cum confirmassent alii quoque prodigiorum interpretes, placuisse regi, eam cum spectro coire, cui primæ apparuisset: ac mox mulierem nuptiali ornatu exultam in ædem illam in qua portentum apparuerat, inclusam fuisse solam: congressamque cum quopiam Deo vel genio: siue is Vulcanus fuit, vt *vulgaris* est opinio, siue familiaris Lar: postquam is disparuit, grauidam factam, legitimis mensibus exactis peperisse hunc Tullium. Hanc fabulam, cum parum fidei habere videatur, aliud in eodem visum, mirabile & inopinabile, minus incredibilem efficit. cum enim aliquando circa meridiem in regio thalamo consedisset, somnoque oppressus esset, flamma è capite ipsius emicuit: idque non tantum mater eius, & regina, quæ per thalamũ inambulabant, inspectarunt, sed etiam omnes qui cũ mulieribus tum forte aderant: nec prius totum eius caput flãma collucere desiit quam à matre accurrente excitaretur. quo facto, flamma simul cum somno dispersa euanuit. Atque hæc sunt quæ feruntur de eius origine.

III. Quæ vero ante imperium gessit memorabilia, ob quæ & rex illum admiratus est, & populus ei secundum a rege honorem tribuit, sunt huiusmodi. *Pene* puer adhuc primo bello Etrusco, quod auspiciis Tarquinii gestum est, in equestribus pugnis tam insignem præbuit operam, vt statim exinde celebraretur, & primus omnium fortitudinis

præ-

præmia consequeretur. altera deinde in eandem gentem expeditione, cum acre prœlium commissum esset ad Eretum oppidum, fortissimus omnium iudicatus, rursus à rege fortitudinis corona decoratus est. anno autem ætatis ad summum vigesimo, præfectus auxiliis quæ socii Latini nominis miserant, in subigendis Etruscis multum adiuuit Tarquinium. Primo bello Sabino magister equitum profligauit equitatum hostium : & vsque Antemnam vrbem prouectus, ex eo quoque prœlio fortitudinis palmam reportauit. In aliis etiam multis cum hac ipsa gente conflictibus, nunc equitum nunc peditum dux, semper declarauit eximiam animi generositatem, & præ ceteris coronas assecutus est. ac demum perdomito hoc hoste, deditisque Sabinorum oppidis, visus Tarquinio fuisse potissima caussa huius quoque ad imperium accessionis, victricibus coronis ab eo redimitus est. In ciuilibus quoque negotiis intelligentia & prudentia fuit singulari : & concepta mente consilia oratione vt quiuis alius efferre poterat; nec minus sese cuiuis fortunæ & quibuslibet moribus accommodare. ac propterea suffragiis populi Romani è plebeio ascitus est in patriciorum ordinem, sicut ante Tarquinius atque ante hunc ipsum Numa Pompilius. Rex *ipse* generum sibi asciuit, iuncta ei filiarum altera : & siquid per se morbo senectaue impeditus obire non posset, huius opera vtebatur, non in domesticis tantum, verumetiam in publicis negotiis: in quibus omnibus fidem suam ac iustitiæ studiũ probauit: nec referre putabant ciues Tarquinius ne rempublicam curaret an Tullius. adeo deuincti erant eius beneficiis. Ergo cum & ingenium eius ad imperii gubernacula satis esset comparatum, & fortuna multas ei atq; amplas occasiones obtulisset, simulatque Tarquinius (vt superiore libro exposui) per insidias occisus est ab Anci Marcii filiis, paternum principatum recipere conantibus, visus est sibi ad regnum ab ipsa republica vocari; & vt vir industrius non emisit hanc occasionem è manibus. IV. Porro in asserendo imperio affuit ei, atque adeo omnium ei bonorum auctor fuit defuncti regis vxor, quæ genero fauebat, & è multis portentis cognouerat in fatis esse vt is vir ad regnum Romanum perueniret. erat autem iamdudum orbata filio iuuene; ac duo ex illo superstites erant infantuli.

quare desolatam familiam cogitans, & verita ne Marcii regno potiti pueros tollerent, omnemque cognationem regis exstinguerēt, primū regia clausa custodes adhibuit ne cui vel aditus pateret, vel exitus. deinde iussis reliquis omnibus excedere cubiculo in quo Tarquiniū seminecē deposuerāt, Ocrisia *tantum* cum Tullio coniugeque ipsius sua filia retentis, & accitis cum pueris nutricibus, sic eos affata est:
V. Vides Tulli regem nostrum Tarquinium, qui te alumnū suum præ omnibus amicis & cognatis in honore habuit, impiorum manibus adductum ad fatalem terminum, prius quam vel domesticas res disponere, vel prospicere publicis, vel nostrum cuiquam extremum vale dicere potuerit. supersunt hi misselli pueri, orbi & destituti: quorum incolumitas in maximo nunc versatur discrimine. nam si ad Marcios aui eorum interfectores peruenerint reipublicæ gubernacula, miseris modis eis pereundum est: ac ne vobis quidem vita in tuto erit, quibus Tarquinius maluit quam illis locare filias, si paricidas regno potiri patiemini; omnesque cognatos & amicos idem inuoluet periculum: ne nobis quidem parcetur miseris mulieribus, sed omnes nos clamque palamque conabuntur illi perdere. Hæc consideranda sunt nobis, nec negligendi qui & illum nefarie interemerunt, & nobis omnibus, si tanto potientur imperio, infensissimi futuri sunt hostes; sed obsistendum, & impediendum astu primum, quando præsens rerum status ita postulat: deinde postquam primus conatus nobis successerit, aperte iam & armis eos pro viribus adoriemur: si tamen his opus erit; modo ne pigeat nunc quæ facienda sunt facere.
VI. Quænam hæc? Ante omnia regis mortem occultemus, spargendo famam nullum acceptum esse vulnus letale: medici quoque promittant se intra paucos dies illum pristinæ sanitati restituturos; quo facto ego progressa, ad populum quasi regis nomine mandata referam: committere eum curā & custodiam tā propriæ domus quam reipublicæ, interim dum ipse e vulneribus conualescat, alteri generorum: tuumque nomen edam, Tulli: ac populus nō grauate, sed lubenter feret, tuæ curæ vrbem cōmitti, cuius fidei & ante sæpenumero commissa fuit. ita præsenti discusso periculo, (nihil enim amplius pollebunt inimicorum vires, si diuulgetur regem viuere) tu accepta cum fascibus

etiam

etiam armorum potestate, voca insidiatores Tarquinii vitæ in populi iudicium, primosque omnium Marcii filios, & ius in eos stringe. qui si comparuerint, plectito eos capite: sin, quod potius facturos arbitror, causam deseruerint, perpetuo exsilio & bonorum proscriptione mulctato. ac tum denique ad res imperii componendas versus, comitate atque *omnibus* humanitatis officiis conciliabis tibi fauorem multitudinis. præcipue vero cura nequid delicti committatur; egenosque ciues beneficiis & largitionibus demerere. post hæc vbi visum fuerit tempestiuum, dicemus regem defunctum, & palam funus ei faciemus. *Postremum est quod* mihi abs te licet meo iure petere, vt quando à nobis enutritus & institutus es, omniaque à nobis accepisti bona quę filii solent à parentibus, & vitam degis cum nostra filia, si ad regnum quoque peruenire tibi dabitur, mea gratia, quæ te hac in re iuui, pueris istis paternam exhibeas beneuolentiam: & cum ad virilem ætatem venerint, administrandæq; reipublicæ pares fuerint, maiorē natu Romanis præficias.

His dictis, puerisq; altero post alterum in generi ac filiæ vlnas impositis, & concitata ex vtrisque magna commiseratione, mature cubiculo egressa, domesticos iussit parare curationi necessaria, simulque conuocare medicos. cumq; per noctem superuenientem interquieuisset, mane, cum frequens ad regiam multitudo conflueret, prodiit in conspectum fenestris adstans quæ in viam fores prætereuntem spectabant: ac primum circumstantibus indicauit capitalium in regem insidiarum auctores, submissosque ab eis facinoris ministros vinctos produxit. atq; vt vidit multos eum casum lamentari, & in facinoris auctores concitari, tandem ait eos nihil infestis consiliis profecisse, quando *destinatam animo* Tarquinii cædem perpetrare nequiuerint. Ad hæc verba exhilaratis omnibus, commendat eis Tullium, quasi declaratum à rege omnium tum priuatorum tum publicorum negotiorum curatorem, tantisper dum ipse habeat melius. Itaque populus lætus abiit, ratus regi nihil accidisse mali; in qua opinione diu perstitit. Tum vero Tullius valida manu stipatus cum regiis lictoribus in comitiū progressus, Marcios per pręconē citauit in iudiciū; cūq; nō parerent, damnauit exilio perpetuo, bonis etiā eorum in fiscum relatis; atq; ita iā tuto regnabat pro Tarquinio. Nūc priusq̃ ad vlteriora narratio transeat, caussa mihi

Tarquinius an filios superstites reliquerit.

reddenda est cur à Fabio ceterisque historicis, qui hos Tarquinio superstites pueros, filios eius fuisse tradunt, dissentiam: ne quis lectis illorum monumentis credat me tumultuario stylo scribere, qui non filios sed nepotes fuisse dixerim. Omnino enim inconsiderate ac negligenter historiã hanc prodiderunt scriptores Latini, non excussis absurdis & impossibilibus quibus fides ipsorum eleuetur; quæ ego paucis conabor ostendere. Tarquinius ex Etruria cum tota familia migrauit ætate iam matura prudentiæ, cũ enim iam ad imperium & reipublicæ administrationem accedere cuperet, nec ad ullos in vrbe honores admitteretur, emigrasse illinc traditur. Alius igitur aliquis eum diceret tum fuisse vt minimum trigenarium, cum ex Etruria emigrauit; quod hanc ætatem leges magistratibus & negotiis publicis idoneam censeant: ego quinquennium integrũ detrahens, X X V. anno eum discessisse statuam. Venisse autem eum cum Etrusca vxore, quam viuo adhuc patre duxerit, omnes Romani scriptores consentiunt: quorum Gellius, aduentum eius refert in annũ Anci Marcii iã regnantis primum; Licinius, in octauum. Sit ita vt scribit Licinius. nam si non prius, certe posterius non venit: quandoquidem nono Anci anno ad bellum Latinum magister equitum ab ipso rege missus est, si vtrique scriptori credimus. Quod si viginti quinque annos natus Romam venit, & in Anci amicitiam circa octauum regni eius annum receptus septemdecim reliquos cum eodem exegit, qui *in totum* regnauit annos viginti quatuor, ipse vero *successor* triginta octo, vt omnes consentiunt; sequitur vt octogenarius sit mortuus is enim numerus ex hac supputatione colligitur. Habuisse autem eum vxorem quinquennio se iuniorem probabile est, hoc est, cum ipse moreretur, natam annos septuaginta quinque. quæ si nouissimum filiorum peperit anno ætatis suæ quinquagesimo (vlterius enim nõ fert vterum fœmina, sed hic eis est partuum terminus, vt scribunt quibus curæ fuit perscrutari talia) oportet eum filium minimum vigintiquinque annorum fuisse quando patre orbatus est: Lucium vero non minus vigintiseptem, qui natu erat grandior. Ergo Tarquinius nullos infantes reliquit filios ex hac muliere susceptos. Ad hæc si virilem ætatem habuissent filii, nec pater fuisset occisus, nec mater

adeo

adeo misera & mente capta, vt liberis relictum à patre imperium ademisset,& homini alieno è serua nato tradidisset; nec ipse se filii fraudari paterno regno per ignauiam & socordiam siuissent in ipso ętatis flore, qui vel ad exserendam eloquentiam, vel ad rem manu gerendam est aptissimus. nec enim illos vel generis nobilitate præcellebat, vel ætatis prærogatiua multum superabat Tullius, quippe qui triennio tantum eorum alterum antecederet. nequaquam ergo sponte regni iure cessuri fuissent. Quin & alia quædam insunt in hac opinione inconuenientia; quæ omnes historiæ Romanæ conditores parum animaduertisse videntur, vno excepto quem paulo post nominabimus in confesso enim est Tullium in occupato post Tarquinii mortem regno attigisse annum quadragesimum. igitur si, quando successione fraudatus est grandior Tarquinius, viginti septem annorũ fuit, septuagenario maior fuit quando interfecit Tullium. at scriptores tradunt eum tunc fuisse ætate vigentissima: adduntque arreptum ab eo Tullium *medium*, elatumq; è curia & per gradus deturbatum: post quod facinus vigesimoquinto demum anno regno pulsus est: atque illo ipso anno, suscepto in Ardeates bello, expeditioni dicitur interfuisse, omniaque *imperatoria* munia per se obiisse. quod incredibile est de eo qui nonagenario sex annis sit grandior. Exactus etiam regno bellum cum populo Romano gessit annis non minus quatuordecim, ipseque (vt perhibent) res administrauit: quod communi omnium opinioni repugnat; ac vitæ spatium ei centum & decem excedit annos: quam vitæ longitudinem hæ nostræ regiones non ferunt. Has absurditates cum quidam Romani historici animaduertissent, aliis eas absurditatibus diluere sunt conati, pro Tanaquile matrem liberorum substituentes quandam Geganiam, nusquam nominatam in historiis. Certe hoc coniugium Tarquinio non conuenit pene octogenario; nec ea ætate liberorum procreatio est credibilis. neq; enim prole carebat, vt ardenti eius desiderio teneretur; sed duæ illi erant filiæ eæque iā nuptæ. Quare tot simul absurda & impossibilia reputans, pueros istos non filios sed nepotes Tarquinii fuisse scribo, Lucium Pisonem Frugi secutus, qui solus hoc in Annalibus memoriæ prodidit. nisi forte natura nepotes, adoptione filii regis IX.

facti sunt: quod fallere potuit rerum Romanarum scriptores ceteros. Nunc à diuerticulo repetamus institutum narrationis ordinem.

X.

Tullius e vicario vt rex factus.

Tullius vicaria reipublicæ administratione suscepta, pulsa factione Marcia, firmatas iam imperii habenas ratus, regem Tarquinium quasi recens tum ex vulneribus mortuum magnifico funere extulit, insignique monumento condidit, & aliis ornauit honoribus: ac deinceps regiorum puerorum tutor habitus, simul patrimoniũ eorum & negotia reipublicæ curabat. id molestum fuit patriciis, indignantibus quod ipse sibi callidis machinis asseruisset potestatem regiam, non à senatu decretam, nec acceptam ritu legitimo. quamobrem sępe potentiores eius ordinis *occultis* cœtibus agitauerunt de abrogando illi principatu vt illegitimo: placuitque vt cum primum Tullius senatum indiceret, cogerent eum fasces & reliqua imperii insignia deponere; ac mox creatis interregibus, per illos legitimum regem eligerent. Quo cognito Tullius ad promerendum plebis fauorem & subleuandos inopes adiecit animum, sperans se illorum ope retenturũ imperium. Conuocato igitur populo & productis in suggestum pueris, talem orationem habuit. Magna mihi necessitas incũbit, Quirites, curandi pueros hos teneros. Nam auus eorum Tarquinius orbum me larisque egenum exceptum educauit, nec minus curauit quam suos ipsius liberos, & matrimonio etiam iunxit mihi filiarum alteram; totoque vitæ suæ tempore me, vt scitis, non secus ac filium amauit & honorauit. tandem post *infelicem* illum insidiarum casum, siquid humanum sibi accideret, mihi curam nepotum credidit. quis ergo me religionis erga Deos & iustitiæ erga homines oblitum non diceret, si desererem & proderem pupillos quibus tam ingentes debeo gratias? verum nec meæ fidei deero, nec horum deseram solitudinem; quantum equidẽ potero.

XI.

Æquum autẽ est vos quoq; meminisse beneficiorum ab ho[illegible] auo collatorum in rempublicam: qui tot Latinorum vrbes imperium sibi vindicantes vestræ subiecit dicioni, Etruscos quoque vniuersos vicinarũ gentium potentissimos subiugauit, & Sabinos imperata facere coegit: atque hæc omnia confecit non sine multis magnisque periculis. Quapropter quãdiu ipse vixit, illi vos decuit pro beneficiis habere gratiam: nunc vero postquam fato

fato functus est, illa posteris eius referenda est, ne cum benefactorum corporibus, simul beneficiorum memoriam defodere videamini. Sic igitur cogitate, quasi vniuersi curatores relicti sitis his pueris; & confirmate eis relictum ab auo imperiũ. non enim æque illis prodesse potest mea vnius tutela, atque commune totius ciuitatis auxiliũ. Hæc dicere coactus sum, quia sensi quosdam in eos conspirare, aliisq; imperium tradere conari. Meorum quoq; vos laborum meminisse velim, Quirites, quos pro rep. sustinui nec paucos nec exiguos: quos apud scientes vos recensere, necesse non habeo. pro his gratiam quæ mihi debetur, istis reponi cupio. non enim mihi regnum astruo, quo tamen non indignus videor: sed Tarquinii posteris opem ferens, accepi rerum gubernacula. quamobrem vos supplex oro ne destituatis pupillos qui nunc de principatu periclitãtur, & mox, si primus conatus inimicis successerit, ex vrbe quoque propellentur. Verũ de his, cum facienda & scitatis ipsi, & pro vestro officio facturi sitis, nihil addã amplius. Superest vt audiatis quid excogitauerim in vestrum commodum, & cuius rei caussa vos in concionem aduocauerim. XII.
Quotquot vestrum ære alieno grauati, non sunt soluendo propter inopiam, his ego succurrere paratus, quoniam ciues sunt & multos labores exantlarunt pro patria, ne libertatem amittant propriam qui publicã stabilierunt, de meo pecuniam dabo qua satis fiat creditoribus. Si qui autem in posterum à fœneratoribus mutuum acceperint, eos ob æs *in neruum* duci non sinam: caueboque lege ne fœneratoribus ius sit in libera corpora, sed cõtenti sint debitoris facultatibus. Et vt tributorum in ærarium collationẽ, quibus pauperes grauati æs alienum facere coguntur, leuius in posterum feratis, volo censeri bona omnium, & pro suo quenque censu conferre, sicut in magnis & bene institutis ciuitatibus fieri audio. Iustum enim existimo & reipublicæ vtile, vt qui multum possident, multum conferant; parum vero, qui sunt in re tenui. Placet etiã mihi agrum publicũ, armis vestris quæsitum, non ab impudentissimo quoque vt nunc fit, occupari, nec gratis acceptum, nec comparatum pretio; sed ab iis teneri qui *adhuc* inter vos exsortes sunt; ne mercede seruiatis cum sitis liberi, vtque non alienos fundos colatis, sed proprios. nihil enim generosum potest sapere qui

quotidiani victus penuria premitur. Præter hæc omnia decreui æquabilem & communem efficere rempublicam, & cunctorum ciuium ius æquare. quoſdam enim tantum ſibi arrogare audio, vt non vereantur plebeios contumeliis afficere, & vos pauperes pro ſeruis habere. itaque vt tenuioribus quoque contra potentiores iure agere liceat, leges feram quæ pariter omnibus conueniant, prohibentes violentiam, & tutantes iuſtitiam: neque ipſe vnquam

XIII. huic æqualitati proſpicere deſinam. Hæc oratio vehementer concioni placuit, aliis fidem eius & gratitudinem erga bene meritos laudantibus, aliis benignitatem & liberalitatem in pauperes, aliis moderationem & populare humiliorum ſtudium; omnibus vero iuſtitiam & æquitatem viri complectentibus atque admirantibus. Dimiſſa concione, ſequentibus diebus obæratos iuſſit dare nomina, qui fidem ſuam apud creditores liberare nequirent, ſimulque aſſcribi quantum quiſque deberet: quibus recognitis menſas in foro poſuit, & in omnium conſpectu debitam creditoribus pecuniam dinumerauit. His peractis edictum regium propoſuit, vt omnes qui publicum agrum priuatim vſurpaſſent, intra certam diem eo decederent; & ciuium qui nulla ſortiti eſſent prædia, deferrentur ad ſe nomina: legesque Romuli & Numæ Pompilii vetuſtate neglectas in vſum reuocauit, & nouas ipſe tulit alias.

XIIII. Hanc eius adminiſtrationem moleſte ferebant patricii, videntes diminui ſenatus potentiam; *ſtatim*q; mutauerunt conſilium. qui enim prius principatum vt illegitimum abrogare illi voluerant, creatiſque interregibus per illos declarare *alium* regem legitimum, iam contenti præſenti ſtatu nil ſatagendum putabant amplius. Subibat enim eos cogitatio, ſi ſenatus aliquem à ſe electum admoueret regni gubernaculis, fore vt plebs in ferendo ſuffragio aduerſaretur: ſi vero plebi permitteretur libera regis electio, Tullium habiturum omnium ſuffragia, iamque futurum regẽ legitimum. Viſum eſt igitur cõſultius, ſinere eum in principatu ſurreptitio, quẽ deceptis magis quam perſuaſis ciuibus non aperte datum obtineret. Sed nihil profecerunt huiuſmodi rationibus. adeo callidis artibus occurrit eis Tullius, vt vel inuitis eis regnare pergeret. Sparſis enim iam ante rumoribus de patriciorum contra ſe inſidiis, mæ-

ſtus

stus & sordidatus in forum prodiit, comitantibus matre Ocrisia & socru Tanaquile, totaque cognatione regia. ad quod inopinatum spectaculum multis confluentibus, aduocata concione, conscenso tribunali talem orationem habuit. Non de Tarquiniorum puerorum securitate modo agitur, Quirites; sed iã meæ ipsius saluti timere cogor, ne triste aliquod iustitiæ feram præmium. Appetor enim patriciorum insidiis, & indicatum est mihi coniurasse aliquot eorum in meam perniciem, nulla vel magna vel parua læsos iniuria; sed quia in plebem fui & esse porro volo beneficus, id vero eos male habet, quasi indignum facinus: fœneratores, quia vos pauperes libertate priuari & ab eis *in neruum* duci non sum passus; alios, quod cum publica sibi vsurparint, & agrum vestro sanguine partum occuparint, ea nunc relinquere coacti, veluti paternis bonis exuî videntur. hi dum aliena iam reddere coguntur, ægerrime ferunt quod, cum *prius* à bellicis contributionibus fuerint immunes, iam censum subire, & pro suis quisque facultatibus contribuere tenebuntur. communis autem omnium dolor est quod iuxta leges scriptas assuefient æquo iure vobiscum viuere, nec tanquam emptitiis abutentur pauperibus, vt *nunc* faciunt. His de caussis communicato consilio coniurauerunt reductis prius exsulibus, *mox* ad Marcii filios regnum deferre: quibus vos ob necatum regem vestrum Tarquinium, virum bonum & amatorem reipublicæ, vt qui conscientia tanti sceleris deserta caussa vltroneo sese damnarint exsilio, igni & aqua interdicendum iudicastis. reduxissentque intempesta nocte stipatos cateruis externorum militum exsules, nisi mature fuissent indicio proditi. cetera ipsi vel me silente intelligitis, quod Marcii, si patriciorum auxilio tam facile rerum potiti fuissent, primum me tutorem regiorum puerorum, qui *debitis* eos pœnis sum persecutus, arripuissent; deinde hosce pueros & ceteros cognatos atque amicos Tarquinii cunctos interfecissent: vxores autem & matres ac filias nostras, reliquasque fœminas, habuissent in mancipiorum numero, homines belluini & tyrannico spiritu. XV. Igitur si etiam vobis Quirites placet homicidas illos reductos regno præfici, benefactorum vero vestrorum posteros auito principatu fraudatos eiici, feremus fortunam quamlibet. oramus ta-

men per quicquid vſquam eſt Deorum atque geniorum, qui res mortalium inſpectāt, ſupplices vobis vna cum vxoribus & liberis, vt pro plurimis Tarquinii puerorum iſtorum aui officiis, quibus vos demereri perpetuo ſtuduit, proque non paucis quibus ego ipſe, quantum mihi fuit virium, prodeſſe laboraui veſtris commodis, reponatis nobis vnicam hanc gratiam, videlicet patefaciatis veſtram ſententiam.

XVI. Si enim alios quoſpiam digniores quibus hic honor deferatur quàm nos ducitis, pueri quidem iſti & reliqua Tarquiniorum cognatio, relicta patria proficiſcentur in exſilium; ceterum ego mihi ipſi aliter conſulam. iam enim ſatis & ad virtutem & ad gloriam vixi: neque ſuſtinuerim, fruſtratus veſtra beneuolentia, qua nihil habeo carius, turpiter apud alios quoſcunque viuere. Accipite igitur hos faſces; &, ſi ita videtur, date patriciis. ego vobis *amplius* moleſtus non ero mea præſentia. Hæc dicentem & de tribunali deſcendere parantem clamor vndique ingens excipit, mixtæque lacrimis preces, maneret rerumque habenas retineret timore poſito. deinde ſubornati quidam, paſſim turbæ inſerti, vociferabantur creandum eum regem, poſtulantes vocari ad ſuffragia curias. à quibus initio facto, mox plebs vniuerſa in eandē inclinauit ſententiam. Id animaduertens Tullius, occaſionem oblatam non dimiſit: vero gratias illis maximas habere profeſſus, ꝙ beneficiorū eſſent memores; maiora inſuper pollicēdo ſi rex ab eis declararetur; ſimulque diem indicit comitiis, quib. agreſtium quoq; multitudinem vniuerſam intereſſe voluit. Coit curiatim populus, & diſtribuuntur per ſingulas curias calculi. Itaq; omnium curiarum conſenſu dignus regno iudicatus, valere iuſſis patribus conſcriptis, qui nolebant ratā habere plebis voluntatem, vt eis mos erat, principatum obtinuit.

XVII. *Tullius in republ. quæ geſſerit.* Ad hunc modū regno aſſumpto, præter alia multa quę domi *præclare* inſtituit, bellū etiam cū Etruſcis geſſit magnū & memorabile. Sed prius acta eius dicentur quæ ad reip. ordinationem attinent. Mox vt regnum adeptus eſt, agrū

Agri publici diuiſio. publicū diuiſit ciuibus qui ob egeſtatē mercede ſeruire cogebantur. deinde curiatis comitiis leges ſanxit de cōtractibus & iniuriis. erant autem illæ quinquaginta quas nūc nō eſt neceſſe vt enumerē.

Vrbis ampliatio. Vrbi duos colles Viminalē & Eſquilinū addidit, ſingulos iuſta oppidi magnitudine: atq; ibi

loca

locá ciuibus lare carentibus ad ædificandum distribuit. ipse quoq; Esquiliis domicilium statuit, loco regionis eius cõmodissimo. Hic regum vltimus vrbis pomœria protulit, duobus ad quinq; colles additis, consultis auspiciis ceterisq; Deorum ceremoniis ex legum præscripto peractis. Vlterius non processit vrbis exædificatio, religionibus (vt fertur) non permittentibus. Suburbia quam late vrbi circumfusa sunt, multa illa & magna, immunita sunt & hostium incursibus valde obnoxia. *Quæ adeo vrbi coniuncta sunt, vt* si qui oculis in ea conuersis, Romæ exquirere magnitudinẽ velint, longe fallantur, nec certo dignoscere queant quousq; se vrbs extendat, & vbi vrbs esse desinat. ita vrbanis ædificia suburbana perpetuo nexu cohærent, in infinitam longitudinem porrectæ vrbis existimationem spectantibus præbentia. quod si quis mœnibus, inuentu quidem difficilibus propter vndiq; coniunctas ędes, vestigia tamen veteris structuræ multis in locis seruantibus, metiri ambitum eius voluerit, & conferre cum eo quo Atheniensis vrbs cõtinetur, non multo capacior apparebit Romæ ambitus. Verũ describendæ eius magnitudini ac pulchritudini, quæ mea est ætate, alius locus erit commodior. Ceterum Tullius postquam septem colles vno muro complexus est, vrbem in quatuor partes diuisit à collibus cognominatas, Palatinam, Suburanam, Collinam, Esquilinam; & quatuor vrbis tribus esse fecit quæ ad id temporis tres fuerant; cõstituitque vt qui in quatuor istarum tribuum vna qualibet habitarent, ceu vicani, nec alium habitandi locum caperent, nec alibi nomina in delectu militum darent, nec tributa in res bellicas *alibi* conferrent, aliaue munia quæ singuli reipublicæ impendere tenebãtur, *alibi obirent*. nec iam iuxta tres illas tribus per gentes, vt antea, sed iuxta has quatuor per locos à se digestas, ordinabat militiam, tribunis in singulas præpositis, ceu φυλάρχους aut κωμάρχας: quos scire iussit quam ciuium quisque domum incoleret. Deinde per omnia compita mandauit vt viciniæ sacella lignea dedicarent Geniis compitalibus, & quotannis eis sacra facerent, conferentibus liba singulis domibus. Sacrificis qui compitalium tempore pro vicinis sacra facerent, non ingenuos sed seruos adesse ac ministrare voluit; quasi Geniis illis gratum esset seruorum ministerium. quod festum no-

XVIII. *Vrbis partes, & tribus.*

ſtra quoque ætate Romani agitant paucis diebus poſt Saturnalia, ſumma cum veneratione ac magnificentia. compitalia ipſi à compitis appellãt. (compita nos στενωπούς; & compitalia, προνώπια diceremus) duratque mos ille priſcus in ſacris placandi Genios per ſeruorum miniſteria; qui omni ſeruitutis nexu per eos dies iberantur, vt humanitate iſta cui magnum quid & venerandum ineſt, manſuetiores redditi, dominos cariores habeant, & leuius ferant ſuæ fortunæ inclementiam.

XIX. Diuiſit etiam vniuerſum agrum (vt Fabius auctor eſt) in partes viginti ſex; quas & ipſe tribus nominat, & quatuor vrbanis ad illas additis, triginta ex vtriſque tribus *conflat*. Cato certe tot eas fuiſſe dicit iam tũ regnante Tullio. Ego libentius acceſſerim Venonio, qui triginta & vnam tribus numerat, non limitato *agri* partiũ numero. Ceterum Tullius, agro in quotcunque portiones diuiſo, in montanis & *natura* munitis tumulis tuta agreſtibus parauit refugia, quæ pagos dixit Græco vocabulo. eo ſe omnes ex agris recipiebant ſub aduentum hoſtium, & ibidem plerunque pernoctabant. his quoque ſui magiſtratus præerant; ad quorum curam pertinebat ſcire agreſtium, qui in vnum eundemque pagum contributi eſſent nomina; & ex quibus ſe alerent prædiis: tum quoties opus eſſet ruſticos ad arma vocare, aut tributa viritim exigere, hi milites contrahebant, & colligebant pecunias. Vt autem etiam ruſticanæ multitudinis facilius iniri poſſet numerus, per ſingulos pagos aras iuſſit dedicari Diis tutelaribus, quos frequenti cœtu & communibus ſacrificiis quotannis coli voluit, inſtituto cum primis religioſo feſto; quæ vocant paganalia; ſimulque ſacrorum iſtorum leges, quæ nunc quoque ſeruantur, conſcripſit. ad id ſacrificium eumque conuentum omnes paganos iuſſit in ſingula capita conferre certum numiſmatis genus; ſed aliud viros, aliud mulieres, aliud impuberes. quibus nummis per ſacrorum prȩſides connumeratis, apparebat hominum numerus per ſexus ac ætates diſtinctus. *Pagi.* Tradit Lucius Piſo in primo Annalium, voluiſſe eum & vrbanæ multitudinis ſcire numerum, tum naſcentium, tum moriẽtium, tum eorum qui virilem togam ſumerent: ſtatuiſſeque quanti pretii nummos pro ſingulis inferre deberent cognati; in ærarium Ilithyiæ, (Romani Iunonem Lucinam vocant) pro naſcentibus;

bus: in Veneris *ærarium* in luco situm, quam Libitinam appellant, pro defunctis: in Iuuentutis, pro togam virilem sumentibus: vnde poterat nosse annis singulis quantus esset in vniuersum numerus ciuium, tum quam multi ex his essent per ætatem idonei militiæ. His *ita* institutis iussit omnes ciues dare nomina, suaque bona censere, addito iuramento legitimo, se vere illa & bona fide æstimasse; adscriptis etiam ætatis annis, & parentum nominibus, atque adeo coniugum etiam ac liberorum; adhæc quam quisque vrbis regionem quem ve agri Romani pagum incoleret: ei qui censum neglexisset, pœna proposita, vt bonis in fiscum redactis, virgis cæsus, *sub hasta* veniret: diuque lex ea Romanis seruata est. Peracto censu cum ex scripto & numerum ipsorum & opes cognouisset, commentus est institutum longe prudentissimum, & reipublicæ saluberrimum, vt res docuit. id fuit tale. vnam selectam ex omni numero partem, cuius census erat maximus, nec minor centum minis, in octuaginta centurias digestam, arma habere imperauit, clypeum Argiuum, loricam & galeam ex ære, & ocreas; *tela*, hastam & gladium. ex his bipertito diuisis, quadraginta centurias fecit iuniorum, qui foris bella gererent; totidem seniorum, qui manerent ad vrbis custodiam. hæc prima classis fuit: cuius iuuentus primum semper locum tenebat in acie, totumque agmen propugnabat. E reliquis deinde aliam exemit classem, cuius census erat intra decem milia drachmarum vsque ad minas septuagintaquinque. ex his conscriptæ viginti centuriæ: eadem arma gestare iussi, nisi quod loricæ illis ademptæ, & scuta pro clypeis data. hic quoque nati supra quadragesimum quintum annum, à militari ætate diuisi; centuriæ decem iuniorum, qui pro republica pugnarēt; totidem seniorum, ad seruanda mœnia. huic secundæ classi post propugnatores locus dabatur in acie. Tertiam classem conflauit è reliquis, quorū census vt ad septies mille & quingentas drachmas non perueniebat, ita quinquaginta minis haud erat inferior. horum armaturam non modo thorace minuit, vt secundæ classis; sed etiam ocreis. In hac etiam classe viginti constituit centurias, & facto eodem quo in superiori, ætatis discrimine, decem centurias iunioribus, totidem assignauit senioribus. ii locum & stationem in acie tuebantur

Census.

XX.

Classes pro censu.

XXI. post proximam propugnatoribus classem. Ex reliquis rursus cum detraxisset qui minus quinque milibus drachmarum in bonis possiderent, vsque ad viginti minas, quartam classem fecit, æque viginti constantem centuriis; decẽ, ætate vigentium; totidem, maturitatem iam egressorum: quemadmodum & priores distinxerat. arma his imperata, scuta, hastæ, & gladii; locus assignatus in postrema acie. In quintam classem reiecti sunt quorum facultates censerentur inter viginti quinque minas & duodecim cum dimidia. In hac triginta erant centuriæ pro ætatis ratione diuisæ pariter; quindecim seniorum; iuuenum, totidem, his imperatum vt cum iaculis & fundis militarent extra ordines. Iussæ etiam armatos sequi quatuor inermes centuriæ; duæ ad armorum & machinarum, aliarumque bellicis vsibus inseruientium rerum fabricationem: totidem tubicinum & tympanistarum, quique aliis instrumentis accendendi belli signa canerent. opifices, secundi census ordini addebantur, factoque ętatis discrimine, senior illorum centuria seniores *secundæ classis centurias* sequebatur, iunior, iuniores. tubicines & tympanistæ, quartę classis pars erant; quorum itidem vna centuria, seniorum erat; altera, iuniorum. Centuriones è singulis delecti, vt quisque erat virtutis in bello spectatissimæ; qui suas quique centurias imperatis

XXII. peragendis assuefaciebant. His ordinibus explebatur pedester exercitus legionariorum pariter & leuis armaturæ militum. ceterum equitum delectum habuit è maximi census ciuibus & genere nobilibus. quos in octodecim digessit centurias, easque primis illis legionariorũ octoginta centuriis attribuit. his quoq; illustrissimi centuriones præerant. Reliquos ciues quorum cẽsus minor fuit duodecim minis cum dimidia sed numerus quam superiorum maior, omnes in vnum ordinem congestos immunes fecit à tributis simul & militia. Ita sex fuerunt συμμορίαι, quas Romani classes vocant, nomine ad Græcas appellationes alludente. nam quod verbum nos imperatiua forma κάλει, ipsi cala proferunt: & καλέσεις olim vocabant κλήσεις. Hæ classes continebant centum nonaginta tres centurias. prima enim classis centurias continebat XCVIII. annumeratis equitibus: secunda, XXII, cũ opificibus: tertia, XX: quarta, rursum XXII, cum tubicinibus & bucinatoribus: quinta,

quinta, XXX. vltima pro vna censebatur, egenorum centuria. His ita ordinatis delectus militum faciebat pro cẽturiarum discrimine; tributa imperabat pro fortunarum censu. quoties enim opus haberet decem aut (ita fors ferret) viginti milibus militum, diuisa multitudine in centum nonaginta tres centurias, earum quamque competentem sibi numerũ præbere iubebat. pecuniis vero quantæ ad cõmeatus militares ceterosque bello impendendos sumptus suffecturæ essent ponderatis, diuiso itidem in CXCIII. centurias populo, pro suo cuique censu tributum imperabat. quo fiebat vt opulẽtissimi, cum pauciores essent, sed in plures diuisi centurias, & sæpius militarent, (nunquam scilicet interquiescentes) & plus pecuniæ contribuerẽt quam ceteri: qui vero exiguas aut mediocres facultates possiderent, cum viginti centuriis ab illis superarentur, & rarius (idque per vices) militarent. & parum tributorum conferrẽt; ceterum quibus non satis facultatum in censu esset, immunes haberentur ab omnibus oneribus Nec sine caussa hæc ita digessit singula; sed quia persuasum habebat omnibus hominibus bellorũ præmium esse pecunias, & pro his conseruandis omnes fatigari, ęquum putauit vt qui de maioribus periclitarentur pręmiis, hi plus ærumnarum sustinerẽt & corporibus & opibus: qui vero de minoribus *subirent aleam*, minus in vtroque grauarentur: ceterum quibus nullũ immineret iacturæ periculum, prorsus à bellicis ærumnis immunes essent, vt qui à tributis liberarentur ob inopiam. nec enim tunc stipendia Romani accipiebant ex ærario, sed suo sumptu militabãt, itaque nec tributi nomine aliquid extorquendũ putabat ab his qui vnde id cõferrent, non habebant, & vix quotidianũ sibi victum cõparare poterant: neque militandũ eis qui nihil contribuerent; ne tanq̃ mercenarii alieno sumptu in castris viuerent. Porro cũ sic toto periculorũ simul & impẽdiorum onere diuitibus imposito, videret eos ęgre ferre, alio modo tristitiam eorũ solatus est & irã leniit, pręrogatiua quadã totius reip. potestate illis data, summotisque à rerum administratione pauperibus; quod tamen eius factũ *tum* à plebe animaduersum nõ fuit. Ea pręrogatiua sita erat in comitiis, vbi de maximis negotiis decernit popul⁹. Dixi vero & antea, quod triũ rerũ, maximarũ illarũ & sũme necessariarũ, penes populũ ex prisco instituto XXIII. XXIV.

arbitrium fuerit, creandi magistratus tam domi quam militiæ, leges confirmandi vel abrogandi, bellum pacemue decernendi. de his rebus à populo disceptabatur & decernebatur latis curiatim suffragiis; & tantumdem valebat pauperrimi quantum ditissimi calculus: cumque (vt par est) pauci essent diuites, pauperes in ferendis suffragiis illos numero longe superabant. Quo animaduerso Tullius ad diuites vim suffragiorum transtulit. quando enim magistratus creare, aut de lege cognoscere, aut bellum inferre volebat, pro curiatis centuriata indicebat comitia. primæ ad suffragia vocabantur maximi census centuriæ, in quibus præter octodecim equitum, octuaginta erant centuriæ peditum. hæ quia tribus *centuriis* plures erant quam reliquæ, si consentirent, vincebant, & definiebatur sententia: sin minus, viginti duæ centuriæ è secundi census ciuibus conscriptæ, vocabantur ad suffragia. quod si ne tum quidem conuenirent calculi, tertia classis vocabatur, ac deinceps quarta: idque tamdiu fiebat donec nonagintaseptem centuriarum consentirent suffragia. id si ne post quintam quidem vocationem contingeret, centum nonagintaduabus centuriis pari vtrinque numero diuisis in duas sententias, tum demum vltima vocabatur centuria, in qua inopum, ideoque à militia & tributis immunium ciuium erat turba: & vtricunque parti hæc accederet, eam reddebat potiorẽ: quod perrarum erat & pene impossibile. plerunque enim prima vocatione absoluebantur comitia, raro ad quartam perueniebatur: quinta & sexta erant superuacaneæ.

Comitia centuriata.

XXV. Hoc institutum tanto potiores diuitum partes efficiens, fefellit plebem, vt diximus, deceptamque amouit à tractatione reipublicæ. omnes enim putabant se in republica æquari, dum viritim suffragia ferebant in sua quisque centuria. sed in hoc decipiebantur quod *non animaduerterent* vnum esse totius centuriæ suffragium, siue ea paucos ciues contineret, siue plurimos; & quod primæ suffragia ferrent quæ essent maximi census, plures quidem ceteris, sed minorem habentes hominum numerum: maxime vero quod pauperes, licet multi essent, vnicum haberent suffragium, & vltimi vocarentur. Hoc pacto diuites, qui multa insumerent, & in continuis bellorum periculis versarentur, æquiore animo id onus ferebant, cum maximam auctori-

ctoritatem nacti essent, omnemque potestatem ab immunibus in se transtulissent: & pauperes, qui multesimam haberent publicæ administrationis partem, moderate ac leniter se hac re minutos ferebant, cum à militiæ ac tributorum oneribus essent liberati. quin & reipublicæ *satis hac ratione prospectum est*, cum penes eosdem essent & consilia publica, & consiliorum sua potissimum opera atque periculo exsecutio. Is ordo reipublicæ multis seruatus est ætatibus. nostra vero tempestate per quorundam violentiam redactus est in magis plebeiam speciem, non quod centuriæ non maneant, sed quod à prisca illa sinceritate nonnihil discesserint; quod mihi, cum sæpe comitiis interfuerim, perspectum est & cognitum. verum de his rebus differere non est præsentis temporis.

Peracto censu iussit ciues omnes in campo qui omnium ante vrbem est maximus, cum armis adesse. ibi equitibus turmatim dispositis, & peditibus in aciem directis, velitibusque per suos item ordines digestis, lustrauit eos tauro, ariete, & hirco. Eas hostias ter circum castra duci iussas mactauit tenenti campum Marti. Hoc modo vsque ad meam ætatem post censum lustrantur Romani ab iis qui sanctissimum magistratum gerunt: quod lustrum *sua voce* nominant. Fuerunt autem vniuersorum ciuium Romanorum quorum fortunæ *tunc* censæ sunt, octogintaquinque millia, minus trecentis, vt in censoriis tabulis legitur. Quin & augendo ciuium numero non mediocriter prospexit, commentus rem à nullo regum animaduersam antea. illi enim quosuis exteros sine natalium conditionisve discrimine in ius ciuitatis recipientes, augebant populi frequentiam: Tullius etiam seruis manumissis, nisi mallent redire in patriam, communicauit ius ciuium. iussos enim cum ingenuis bona in censum referre, in quatuor vrbanas tribus distribuit; in quas & nostro tempore mos est referri quidquid est libertini generis: eosque omnium munium, quorum & ceteros plebeios, fecit participes.

XXVI. *Lustratio.*

Libertorum ad ius ciuiũ admissio.

Id suum factum cum videret improbari patriciis, aduocata concione mirari se dixit, primum si natura, non fortuna, putarent seruos differre à liberis: deinde, si honesto loco dignos metirentur conditione potius quam moribus, præsertim cum viderent quam instabilis & versatilis res sit

XXVII.

felicitas;ac ne beatissimorum quidem vllus facile possit dicere quamdiu talis sit futurus. *exemplis* deinde *propositis* considerare eos iussit quam multæ Græcæ barbaræque ciuitates è seruitute in libertatem vindicatæ, ac *rursum* è libertate in seruitutem sint redactæ. addebat stultissimum esse, quibus libertatem concessissent, eis inuidere ciuitatis ius.aut enim non manumittendos, si mali videantur: aut si sint boni, nō habendos pro exteris. Absurde vero & imperite eos facere, cum quoslibet exteros admittant ad ius ciuium, nil inquirendo in eorum fortunam, nec curiose scrutando sintne è seruis facti liberi; si eos qui apud se seruierunt,non eadem dignentur gratia.& qui sapientia sibi ceteros superare videntur,ne illa quidem quæ vulgo passim obuia sunt, & hebetissimi cuiusque oculis plana, perspicere, fore *scilicet hac ratione*, vt & heri facile aliquem manumittere, maximumque inter homines beneficium temere conferre caueant, & serui esse frugi herisque placere magis studeant, si sciant se ipsorum iudicio libertatem meritos, mox in amplæ florentisque ciuitatis ius ascitum iri, & vtrumque bonorum genus herorum suorum beneficio consecuturos esse. postremo aiebat id ciuitati esse vtile,scientes admonens, ignarosque docens,vrbi ad imperium & res magnas gerendas aspiranti nulla re æque opus esse ac numerosa ciuium multitudine, quo possit ad omnia bella domesticis armis sufficere, nec conducto externo milite se vna cum ærario exhauriat: & hanc esse caussam cur priores reges nemini extero ciuitatis ius negauerint, Sique hanc etiam legem sanxerint,fore vt *in tribus* asscribantur multi manumissi iuuenes; nec vnquam ciuitati domestica arma defore, sed habituram sufficientes copias etiamsi bellum suscipere cogeretur cum vniuerso hominum genere. Nec publice tantum id vtile futurum, verum etiam priuatim opulentis ciuibus, si liberti admittantur ad comitia. nam in comitiis, in ferendis suffragiis, ceterisque ciuilibus negotiis, gratiam, vbi maxime opus sit, reportaturos, nepotibusque suis libertorum clientelas relicturos. Talia disserente rege, permiserunt patricii vt is mos reciperetur in rempublicam; seruatusque est vsque ad nostram ætatem æque ac vlla è sacrosanctis & immotis legibus.

Et

Et quia in seruorum mentionem incidimus, necessarium mihi videtur *hoc loco* dicere quænam circa seruitia tunc temporis Romanorum fuerint instituta, ne vel rex ipse qui primus aggressus est è libertis ciues facere, vel qui hanc legem receperunt, reprehensionem cuiuspiam incurrant, quasi bona temere profundant. Parabantur ergo serui modis iustissimis, aut sub hasta empti è præda publica; aut ab ipsis dominis bello capti, & imperatoris permissu detenti cum ceteris militiæ commodis; aut empti ab his qui talibus modis eos sibi comparassent. Non inhonestum igitur aut inutile ciuitati putauit Tullius, & qui eius institutum sunt secuti, si, qui belli iure patriam & libertatem amisissent, ab heris suis, vel iis qui primi eos mancipassent, vel iis qui ab aliis eos emissent, vtrunque *istud bonum* recuperarent. Assequebantur autem libertatem plurimi gratis, honestatis ac probitatis merito: (atque hæc manumissionis optima erat ratio) pauci autem numerato pretio quod labore per ius & fas conquisissent. At non ita nostro tempore; sed talis est rerum confusio, & sic ad sordes & ignominiam degenerauit Romanorum probitas, vt nonnulli è latrociniis, parietum perfossionibus, prostitutionibus, omnibusque aliis sceleribus pecunia collecta libertatem redimant, statimque se Romanos faciant: alii conscii dominis & socii veneficiorum, homicidiorum, facinorumque tum cõtra deos tum contra rempublicam *susceptorum*, eam ab illis gratiam recipiant. quidam *ideo manumittũtur*, vt acceptum è publico frumentum menstruum, & siquæ aliæ liberalitates in egenos ciues conferuntur à principibus, dent his à quibus facti sunt liberi: alii per herorum leuitatem, gloriam inde captantium. scio qui tota seruitia *testamento* libera esse iusserunt, vt benignitatis laudẽ ferrent post obitum; & in funeris elatione lecticam eorum magna pileatorum prosequeretur frequentia: in qua pompa quidam erant, vt à scientibus audiui, recens dimissi è carcere malefici mille supplicia commeriti. Istos impuros vrbis pileos plerique cum stomacho aspectant, & respuunt eorum consuetudinem, indignum facinus clamitantes, populum rerum dominum, & vsurpantem sibi orbis imperium, talibus contaminari ciuibus. Sunt & alia multa re-

prehensione digna, quibus, licet recte instituta sint à maioribus, hæc ætas non abutitur. Ego tamen hanc legem non tollendam censeo, nequod grauius malum reipublicæ inde proueniat: sed corrigenda, quæ possunt corrigi, non negauerim; nec dissimulandum tantum dedecorum & macularum incluibilium in ciuitatem inuehi. quæ cura maxime ad censores attinet. aut certe ad consules. opus enim est magistratu magna potestate prædito; vt eos qui singulis annis manumittuntur examinet, qui sint, qua de caussa & quo modo libertatem assequuti sint; quemadmodum in equitum & senatorum mores inquiritur. deinde qui digni ciuitate comperti fuerint, in tribus adscriptos sinant vrbem incolere; scelestam vero & impuram multitudinem honesta specie ablegent aliquo in coloniam. Hæc sunt quæ postulante argumento iustum & necessarium existimaui apud eos dicere qui Romanorum mores carpunt.

XXIX. Ceterum Tullius in constituenda republica non eo tantum ad plebem fouendam visus est procliuior, quod senatus ac patriciorum potentiam moderatus est, verum etiam quod de regia potestate detraxit dimidium. *Litium cognitio.* cum enim priores reges ad se reuocarent iudicia omnium litium, & de omnibus criminibus tam ad priuatas iniurias quam ad rem publicam pertinentibus suo more decernerent, ille separauit hæc, læsæque reipublicæ criminum se fecit iudicem, priuatarum personarum querelas ad alios relegauit iudices, quibus leges à se conditas ceu limites ac regulas præscripsit, *quas sequerentur in iudiciis*. Ordinatis quamoptime rebus vrbanis, cupido eum cepit illustri quopiam opere sempiternam sui memoriam transmittere ad posteros. Id animo agitans, & considerans priscorum regum & clarorum in rebuspublicis virorum monumenta, quibus nomen suum & gloriam illustrarunt, nec Assyriam illam mulierem mactam putauit muris Babyloniis, nec Ægyptios reges pyramidibus Memphiticis, aut siquis alius princeps *insigni quopiam opere* diuitias suas & operarum multitudinem ostentauit; parua hæc omnia, temporaria, nec æmulatione digna existimans, non ad vitę vtilitates inuenta, sed tantum ad conditorum felicitatis prædicationem, & oculorum illecebras.

XXX. Ille vero laude ac æmulatione digna credens mentis opera,

opera, quorum vtilitas ad plurimos manat & longissimo tempore, præ cæteris Amphictyonis Hellenis filii talibus in rebus admiratus est industriam; qui cum animaduerteret gentem Græcam infirmam esse, ideoque à finitimis barbaris exhauriri facile posse, coegit eos in concilium quod Amphictyonicum ab ipso denominatum est; legesq; tulit, quæ præter illas quas quæq; ciuitas haberet proprias, communes essent omnibus, quas vocant Amphictyonicas: vt earum vinculo mutuam amicitiam conseruarent, cognationemque colentes non tam verbis quam factis, barbaris essent graues & formidabiles. quorum exemplum imitati & Iones, qui ex Europa in maritimam oram Cariæ demigrauerant, & Dorienses his contigui, templa construxerunt impensis communibus; Iones Dianæ fanum Ephesi; Dorienses, Apollinis, Triopii: quo statis temporibus cum vxoribus & liberis conuenientes, vna sacris dabant operam & mercimoniis: institutisque equestribus, gymnicis, & musicis certaminibus variis, Deos quoque communibus donariis honorabant, peractis spectaculis ac negotiationibus, ceterisque humanitatis officiis vltro citroque exhibitis, siqua inter ciuitates intercessisset offensio, considebant iudices qui litem componerent: tum de bello contra barbaros gerendo, deque mutua gentis concordia consulebatur in medium. Horum & his similium exempla secutus Tullius, animum & ipse adiecit ad constituendum velut vnum corpus ex Latinorum populis, ne intestinis bellis & dissidiis debilitati subiugarentur à finitimis barbaris. Id postquam apud se statuit, optimates conuocauit XXXI. è singulis vrbibus, denuntians se consultaturum cum eis de magnis rebus & ad communem vtilitatem pertinentibus. Qui cum aduenissent, conuocatis Romanis senatoribus & his Latinarum vrbium legatis, verba fecit de concordia, docens quantopere ciuitates consensus deceat, quamque fœdum visu sit cognatorum inter se dissidium. ostendebat etiam, infirmas res concordia potentes fieri, ceterum vel potentissimas pessum ire vbi laboratur inuidia mutua. atque ita docebat eos, oportere Latinos finitimis imperare iuraque reddere, nimirum Græcos barbaris: Romanorum autem principatum esse in reliquo Latio; vt qui habeant vrbem magnitudine ac rerum gestarum gloria præcipuam,

& a Diis magis propitiis ad tantum claritatis fastigium sint euecti. In hanc sententiam longa oratione suasit eis, vt templum cum inuiolabili refugio communibus impensis Romæ construerent, quo ciuitates quotannis conuenientes priuatim simul & publice sacra facerent, forumque rerum venalium exercerent, quibus id decerneretur temporibus: & si qua offensa populis incideret, inter ista Deorum sacra conciliarentur ex aliorum populorum arbitrio. Hæc & alia multa commoda proponens quæ consequerentur si communem curiam Romæ statuerent, omnibus persuasit qui tum in consessu aderant. Collatis deinde oppidatim pecuniis, Dianæ templum ædificauit in Auentino eminentissimo vrbis tumulo, & fœderis leges conscripsit ciuitatibus, ritusque celebrandi festi & fori constituit. Et ne vlla iniuria temporum abolerentur, in ærea columna incidit decreta concilii, & ciuitates eius conuentus participes. Ea columna permansit vsque nostram ætatem in Dianæ templo dedicata, inscripta literarum characterib. Græcanicis, qualibus olim vtebatur Gręcia. quod & ipsum non leue argumentum est, Romam non esse conditam à barbaris. nunquam enim vsi fuissent Græcis literis si fuissent barbari. Hæc sunt quæ hic rex domi in constituenda republica maxima & clarissima gessisse memoratur: præter quæ & alia multa, minora illa & obscuriora, celebrantur. Bello autem cum vna Etruscorum gente conflictatus est, de quo nunc narraturus sum.

Panegyris Latina.

Bello quæ gesserit Tullius.

XXXII.

Defuncto Tarquinio ciuitates quæ se illius imperio submiserant, nolebant amplius stare fœderis conditionibus, dedignatæ parere Tullio homini obscuris orto natalibus, & sublatæ ad nouas spes patriciorum cum rege dissidio. Initium defectionis à Veientibus ortum est. hi legatis à Tullio missis responderunt, se nec vllum ei principatum concessisse, nec amicitiæ societatisque fœdus cum eo pepigisse. Hos auctores secuti sunt Cæretani & Tarquinienses; postremo in armis fuit vniuersa Etruria. Hoc bellum continuatum est annis viginti: & alteri alterorum agros non semel cum magno exercitu inuaserunt, collatisque signis alia super aliis iniere prœlia. è quibus omnibus victoriam reportauit Tullius, quotiescunque vel cum singulis ciuitatibus, vel cum tota gente dimica-

tum

tum est. ac tandem tribus clarissimis triumphis decoratus, coegit eos vel inuitos imperii frenum accipere. Vigesimo demum anno coactæ rursus in concilium duodecim *gentis* vrbes, consumptis bello tum viris tum pecuniis, decreuerunt Romanis principatum tradere, eisdem quibus antea conditionibus: *mox*que ab omnibus populis legati venerunt supplices committentes *se & sua* in fidem Tullii, deprecantesque ne sæuius in se consuleret. Respondit rex, illos quidem ob vesaniam & contemptum Deorum, quos testes nil veriti violarint fœdera, multas & magnas pœnas commeritos: verum Romanorum æquitatem ac clementiam, quandoquidem agnita culpa cum supplicum insigniis iram deprecatum venerint, ipsis in præsens non defuturam. His dictis pacem eis dat, ceteris quidem impune (posita ira & omnium iniuriarum memoria) permissis suo iure viuere & bonis suis frui, saluis Tarquinii regis conditionibus; sed tribus populis qui primi defecerant, ceterosque ad bellum Romanum concitauerant, Cæretanis scilicet Tarquiniis, & Veientibus, parte agri mulctatis; quem his diuisit qui recens tum Romæ ciuitatem adepti fuerant. His pace belloque gestis, & duobus fortunæ ob perpetuum eius fauorem, templis institutis: altero, *Bonæ fortunæ*, in foro boario; altero, Fortunæ virilis, (sicut hodieque cognominatur) in ripa Tiberis; prouectus iam ætate propinquusque naturę termino, insidiis Tarquinii generi filiæque suæ periit: quas narraturus, rem paulo altius repetam. Erant Tullio duę filiæ ex vxore Tarquinia, quam ei rex Tarquinius in matrimonium collocauerat. Has puellas iam nuptiis maturas iunxit consobrinis earum, Tarquinii nepotibus, maiorem maiori, iuniorem iuniori, bene ita comparatos existimans: sed forte fortuna vterque gener moribus suis dissimilem nactus est. Lucio enim natu maiori, audaci, arroganti, naturaque tyrannico, proba, modesta, & erga patrem pia vxor contigit: *contra* Arunti iuniori, miti & moderato ingenio prædito, scelesta, infensa patri, nihil non ausura fœmina. vterque maritus, cum innatos sequeretur mores, ab vxore traducebatur in contrarios. alter, improbus, socerum regno pellere cupiens, & cuncta huc conducentia moliens, flecte-

XXXIII.

Exagitatus a Tarquinio genero.

batur vxoris precibus & lacrymis. alter, moderatus, nunquam læsurus socerum, sed exspectaturus eius è vita exitum, fratris quoque scelestos impetus cohibens, à nefaria vxore in contraria sollicitabatur, hortante vt vir esset, *quotidiano*que iurgio exprobrante ignauiam. cumque nec modestæ illius preces quicquam proficerent ad honesta consilia reuocantis iniustum mariti animum; nec alterius scelestæ hortatus, ad sceleratum facinus virum natura non malum exhortantis; sed vterque obsequeretur suo genio, molesteque ferret diuersum coniugis animum, illa quidem dolenter ferebat suum infortunium; ceterum altera ferox indignabatur, & quærebat quomodo se liberaret à *molesto* coniuge. tandem naturæ peruersitate ad desperatam audaciam prouecta, & putans sororis virum maxime conuenire suis moribus, accersit eum in colloquium quasi de rebus necessariis. qui vbi venit, semotis arbitris, vt sola cum solo colloqueretur.

XXXIV. Ecquid, inquit, Tarquini, libere mihi licet tutoque proloqui omnia quæ sentio de communibus *nostris* commodis? & continebisne audita; an tacere præstat, nec in medium proferre silenda consilia? Illo iubente quicquid vellet eloqui, & in ipsius verba iurato de fide silentii, mulier ad eum posito iam pudore, Quousque Tarquini fraudatum te regno ferre cogitas? an quia humilibus & obscuris natus es parentibus, ideo non vis de teipso sentire magnifice? atqui omnibus notum est, priscos primogenitores vestros Græci generis, & à florentissimo illo Hercule oriundi, dominatos Corinthiis aliquot (vt audio) seculis. auus vero tuus Tarquinius, translato ex Etruscis in hanc vrbem domicilio, regnum hic virtute quæsiit; cuius non bonorum tantum, verum etiam regni tibi debetur hereditas, cum sis nepotum *alter* natu grandior. An forte inualidum te & deformem corpus parum felix destituit obeundis muniis regiis? atqui & robur tibi sat firmum superest, & forma regiis digna natalibus. An forte horum neutrum, sed iuuentus imbecilla & immatura consiliis te trahit ab administratione reipublicæ? cum sis quadragenario maior; quæ ætas in hominibus maxime pollet consiliis. At forte iste qui *nunc* regno potitur, homo nobilis, & apud primarios ciues gratiosus, à nouandis rebus te absterret

vtroque

vtroque nomine? atqui horum vtroque destituitur; quod
nec ipsum fugit. Sed & audacia periculorumque contem-
ptus inest tuis moribus; regnaturo cum primis necessaria:
& diuitiarum atque amicorum tibi satis est; aliæque occa-
siones multæ ac magnæ, quæ te inuitent ad aggrediendum
negotium.

XXXV. Quid igitur adhuc cunctaris, & tempus exspectas for-
tuitum, quod tibi otioso regnum in manus afferat? post
obitum Tullii scilicet. quasi vero fortuna exspectare soleat
procrastinationes hominum, aut obitus contingant natu-
ræ ac ætatis ordine, & non in incerto sint omnemque con-
iecturam effugiant cunctæ res mortalium. Dicam libere
(etiam si temeritatis nota incurrenda sit) quid mihi videa-
tur omnem tibi ambitionem & gloriæ cupiditatem exi-
mere. vxor tecum degit prorsus moribus tuis dissimilis,
quæ de suis illecebris & incantamentis emolliuit; teque
imprudentem ex viro reddet hominem nihili: quemadmo-
dum mihi quoque vir est meticulosus & nihil virile habes,
qui me deprimit ampla fortuna dignissimam, & tabefacit
pulchritudine alioqui florentem. quod si tibi licuisset me
vxorem ducere, mihique te habere maritum, non tam diu
vixissemus vitam priuatorum hominum. Quin igitur nos-
metipsi erratum fortunæ corrigimus permutato coniugio,
& tu vitam vxori adimis? ego vero *mox* pari modo mari-
tum meum tractauero. quibus exstinctis coniuncti, secure
conficiemus quod superest, è medio sublatis tam molestis
obstaculis. etenim, etiamsi ceteris in rebus iniuste agere ve-
rearis, certe regni caussa audenda sunt omnia.

His auditis libenter conditionem accepit Tarquinius, XXXVI.
moxque data & accepta fide, ac delibato incestarum nu-
ptiarum fructu, abiit. Nec ita multo post, eodem fato ma-
ior Tullia minorque Tarquinius absumpti sunt. Hic rur-
sum mihi Fabii facienda est mentio, & eius in temporum
exquisitione redarguenda indiligentia. deductus enim *nar-
rationis ordine* ad Aruntis interitum, non in vno tantum la-
psus est, de quo ante monui, quod Aruntem Tarquinii fu-
isse filium prodidit; sed & alterum *erratum adiudit*, sepul-
tum à matre Tanaquile; quam consentaneum non est su-
perfuisse illo tempore. ostendimus enim à principio, exa-
ctum ei annum septuagesimum quintum, quando fato cō-

cessit rex Tarquinius. quod si ad septuaginta quinque addas quadraginta alios, (quandoquidem in annalibus inuenimus anno regis Tullii quadragesimo defunctum Aruntem) erit Tanaquil annorum centum ac quindecim. adeo parum laboris hic scriptor impendit perquirendæ veritati historicæ. Tarquinius deinde sine mora duxit Tulliam, ipsius tantum voluntate, nec patre nec matre connubium probantibus. Vt vero coniuncta sunt ingenia duo nefaria nataque paricidiis, regno pellere Tullium, si sponte nollet cedere, machinati sunt, pertractis in partes suas ea patriciorum factione quam popularis administratio à rege alienauerat; & pecuniis coempto fauore plebeiorum, qui in extrema inopia nulla iuris cura tangebantur: atque hæc omnia fecere propalam. Quæ vt vidit Tullius, moleste quidem tulit, etiam sibi timens ne imparatus opprimeretur: ceterum vehementer indignum videbatur cum genero & filia bellu suscipere, & pœnas quasi de inimicis sumere. Itaque sæpe coram amicis accitum in colloquium Tarquinium incusando & monendo ab inferenda sibi iniuria dehortatus est. cumque ille animum non attenderet, sed se coram senatu ei respondere & caussam suam agere velle diceret; conuo-
XXXVII. cato senatu, Patres, inquit, conscripti, Tarquiniũ factionem sibi contra me asciuisse, & regno me pellere conari, compertum mihi est. volo igitur omnibus vobis præsentibus ex ipso cognoscere, ob quam meam iniuriam, vel in se priuatim admissam, vel in rempublicam, moliatur in me talia. Responde Tarquini iam, nihil dissimulans; quid habes quod me incuses? quandoquidem ab his te audiri postulasti. Ad hæc Tarquinius: Pauca, Tulli, & iusta sunt quæ habeo dicere. ideo coram his eloqui volui. Tarquinius auus meus Romę regnum adeptus est multis & magnis pro republica exhaustis laboribus. eius defuncti ego successor sum iure communi omnium tam Græcarum quam barbararum gentium. & vt ceteros qui in auita bona succedunt, ita me quoque non modo fortunarum, sed etiam regni eius heredem esse conuenit. Tu vero bona quidem ab illo relicta mihi tradidisti; sed regno me fraudas, idque iniuste occupatum tam longo iam tempore detines. nam neque interreges te regem declararunt; neque vel senatus suffragiis creatus es, vel legitimis comitiis potestatem hanc

tem hanc consecutus, sicut auus meus, & omnes reges qui eum præcesserunt tempore: sed mercede conducta, modisque omnibus corrupta, vagorum, inopum, & ob crimina vel æs alienum honore mulctatorum turba, nihil rempublicam curantium; ac professus tunc te non tibi ipsi potestatem quærere, sed te nobis pupillis & paruulis seruaturum fingens, ad gubernacula rerum admissus es, *prius* omnibus audientibus pollicitus, quum primum virilem ætatem attigissemus, traditurum te principatum mihi *ætatis merito*, vt qui fratre essem natu grandior.

Debueras igitur, si voluisses iusti viri fungi officio, XXXIIX. cum aui domum mihi traderes, vna cum facultatibus etiam regnum reddere, proborum tutorum exemplo, qui regiis pupillis suæ fidei commendatis *mox* adulta ætate relictos à patribus ac progenitoribus principatus recte ac iuste tradiderunt. quodsi nondum tibi per ætatem satis sapere videbar, nec ob iuuenilem ætatem par esse tantæ vrbis regimini, saltem quando perueni ad corporis robur & vim animi, te iam trigenario cum filia nupta etiam vrbis administrationem committere oportebat. ea certe ætate ipse cum domus nostræ procurationem, tum regni gubernationem suscepisti. quod si fecisses, primum pii iustique viri laudem tulisses: deinde omnium consiliorum & honorum mihi particeps, benefactoris, parentis, seruatoris, aliasque honestissimas, quæ pro egregiis meritis retribui solent, appellationes audisses; non fraudatoris, qui me iam quadragesimumquartum annum à mea hereditate arceat, nec mente vitiosum nec corpore. Et postea rogare audes, cur te accusem, quave lacessitus iniuria pro inimico habeam?

Imo tu mihi responde Tulli, qua de caussa non vis me in auitos honores heredem succedere? aut quam decentem fraudationis caussam potes vel fingere? an me germanam illius prolem non putas, sed adulterinam & suppositiam? cur igitur procurabas res alieni à familia, & adulto domum *cum facultatibus* reddidisti? an tibi etiam nunc pupillus & puer reipublicæ curandæ parum idoneus videor, iam pene quinquagenarius? Mitte igitur simu-

latarum istarum interrogationum impudentiam, & iam tandem improbus esse desine: & siquod ius habes contra hæc quę diximus, paratus sum rem committere horum iudicio, quibus non potes alios meliores viros in hac vrbe ostendere. alioqui si hos fugiens, vt tibi perpetuus mos est, ad obnoxiam tibi turbam voles confugere, non patiar. paratus enim sum & dicere quod iustum est, &, si persuaderi nolis, facere.

XXXIX. Eius orationem sic excepit Tullius: Apparet, Patres cõscripti, omnia exspectanda esse homini, quantumuis inopinata; nihilque absurdum putandum, quãdo & me Tarquinius iste regno parat pellere: quem ego paruulum *in tutelã* receptum, & insidiis inimicorum appetitũ seruaui, & alui, educatumque à me, postquam virilem ætatem attigit, affinitate dignatus optaui generum; & siquid *humanitus* mihi accideret, successorem destinaueram. Nunc quoniam præter opinionem euenerunt omnia, & iniuriarum postulor: aliâs tempus erit deplorandi meum infortunium. nunc de iure contendendum est. Ego tutelam vestrum, Tarquinii, ætate pupillari patre orbatorum, suscepi, non sponte, sed rebus me cogentibus. auum enim vestrum affectatores regni propalam occiderant: vobis vero & ceteris eius cognatis dicebantur clam insidias struere: confessumque erat apud omnes propinquos vestros, si illi rerum potirentur, ne scintillam quidem Tarquiniorum generis relictum iri. Qui vos curaret ac seruaret nemo alius erat nisi vna mulier, paterna auia vestra; quæ propter senium ipsa potius opus habebat curatoribus. supereram ego solus destitutorum custos, quem nunc alienum vocas nulla vobis coniunctum necessitudine: cum tamen eo rerum statu & de aui vestri interfectoribus sumpserim suppliciũ, & vos ad virilem ætatem eduxerim; ac cum mascula prole caream, rerum mearum dominos facere decreuerim. Habes tutelæ rationem, Tarquini; nec dicere queas me *hic* quidquam fingere.

XL. Ceterum de regno, quando id criminaris, audi quomodo eo potitus sim, curve nec vobis nec cuiquam velim cedere. Quo tempore suscepi curam reipublicæ, cum sensissem parari mihi insidias, volebam administrationem populo reddere; & aduocatis in concionem vniuersis, reddebam eis im-

eis imperium, inuidiosam hanc & plus molestiæ quam voluptatis habentem potestatem secura quiete permutaturus. Non tulerunt id Romani, nec voluerunt alium reipublicæ creare principem; sed me retinuerunt, suisque suffragiis regnum mihi dederunt, in quod ipsis ius est, non vobis, Tarquini: quemadmodum & auo vestro commiserant rerum habenas, extero & prorsus alieno à cognatione regis cui successor ipse datus est: quãuis liberos mares Ancus Marcius rex reliquerit ætate florentes, non nepotes & paruulos, sicut vos Tarquinius. Quodsi communis omnium lex esset, eos qui defunctis regibus in familia & bonis succedunt, simul etiam regnum accipere, non accepisset id Tarquinius auus vester post Anci obitum, sed eius filiorum alter natu grandior. verum populus Romanus non patris heredem, sed virum principatu dignum reipublicæ moderandæ præposuit; sic existimans, pecuniam deberi propriis dominis, regnum vero non nisi probatis suo iudicio: & illas, vbi quid earum dominis *humanitus* acciderit, ad propinquos aut *alios* testamento institutos heredes migrare; regni vero ius post defuncti obitum ad eos redire qui regnum olim dederunt. nisi forte huiusmodi rationem afferre potes, auum vestrum accepisse regnum certis conditionibus, vt & ipse nunquam eo priuari posset, & integrum ei esset vobis posteris id relinquere, nec populo liberum fuisse id vobis ablatũ mihi tradere. Quodsi tale quid habes, quin profers eas conditiones in medium? sed non facies. Quodsi non bono modo id assecutus sum, nec ab interregibus electus, nec à senatu rerum administrationi præfectus, neque ceteris legitimis ritibus creatus, his fit iniuria, non tibi; & horum est à me principatum reposcere, non tuum. sed nec his, nec aliis à me fit iniuria. Quod vero iuste & tunc acceperim hanc potestatem, & nunc habeam, testantur anni quadraginta: quo temporis spatio nemo Romanus de me questus est: nec vnquam vel plebs vel senatus me regno pellere cogitauit.

Verum vt his omissis ad tua verba respondeam, si te auito deposito fraudaui, & præter omne humanum ius regnũ tuum occupaui, debueras adire eos qui mihi hanc potestatem dederunt, & indignabundus accusare, tum me, qui aliena detineam; tum largitores ipsos, qui non de suo liberales XLI.

in me fuerint. facile enim eis persuasisses, siquid iuris pro te afferre potuisses. Quodsi in tali ratione non habebas fiduciam, attamen existimabas me non regnare legitime, teque administrandæ reipublicæ magis idoneum, debueras potius propositis & examinatis meis erratis, enumeratisque tuis *præclaris* facinoribus, iudicio mecum contendere: quorum neutrum fecisti, sed tanto post tempore, quasi è diuturna crapula experrectus, nunc demum accusatum me venis, ac ne nunc quidem vbi oportuit. non enim hoc loco te ista dicere conuenit: quod dico Patres conscripti, quæso ne grauate feratis: non enim vobis cognitionem hanc adimo; verum huius refello calumniam) sed aduocato in concionem meo iussu populo, ibi me accusare. Quod cum tu reformides, ego pro te faciam, & aduocato populo, iudicem tibi dabo criminum quæ obiectare mihi volueris, eiusque cognitioni denuo permittam vter nostrum *hoc* regno sit dignior: & quod omnes hi de me statuerint, id facturus sum. atque hæc dixisse sufficiat. quoties enim res est cum iniquis aduersariis, perinde est vel multa vel pauca dicere; quandoquidem non patiuntur se corrigi.

XLII. Vestrum autem, Patres Conscripti, demiror siqui sunt, qui me imperio priuatum cupiant, & cum illo contra me conspirent. ac libenter audiuero quanam iniuria læsi me impugnent, quidue illis in me displiceat. Suntne conscii multos me regnante indemnatos perditos, aut alia quapiam iniqua calamitate oppressos? an nihil tam tyrannicum possunt obiicere, sed illusam matronarum pudicitiam aut constupratas filias virgines, aliaue flagitia non toleranda ingenuis? Siquid tale perpetraui, non deprecor vitam cum regno perdere. At superbus sum & morosus, neminique ferendus ob insignem in imperio arrogantiam? Imo quis regum ante me tam moderate vsus est potentia? quis tam comiter versatus in populo? non secus quam pater inter filios, quippe qui ne eam quidem potestatem quam vos seruato more maiorum mihi tradidistis, integram retinere volui: sed latis præcipuarum rerum legibus, quas cuncti ratas fecistis, ex earum præscripto reddi iura institui; primusque vitæ meæ rationes sic comparaui, vt quæ aliis præscripsi iura, ipse, quasi vnus è priuatis, obseruarem. Criminũ quoque non omnium vsurpaui mihi iudicium, sed priuatas causſas

caussas ad vestram cognitionem relegaui; quod nemo regũ ante me fecit. At fortasse nullum quidem crimẽ male quosdam habet, sed erga plebem beneficentia; licet immerito; cuius rei non semel vobis à me reddita est ratio. Sed quid opus est nunc his verbis? Si Tarquinius videtur melius prospecturus reipublicæ, non inuideo populo Romano potiorem principem. Imperio in populi manus, à quo accepi, reddito, in priuatorum ordinem redactus, conabor declarare, scire me & bene regere & modeste ferre imperium. XLIII.

Hæc locutus, iniecto conspiratis magno pudore, senatũ dimisit. deinde per præcones iussit tota vrbe vocari in concionem populum. cumque in comitium factus esset concursus multitudinis, progressus in tribunal, longam & plenam affectibus orationem ad populum habuit, enumerans *egregia* sua facinora, quæ vel viuo Tarquinio vel mortuo diuersis bellis edidisset: simulque instituta sua singula, è quibus multæ magnæque ad rempublicam vtilitates redundasse viderentur. cumque ad singula *ferme* plauderetur affatim, omnibus scire cupientibus quorsum ea tenderent, tandem ait à Tarquinio se accusari, quod regnum iniuste obtineret illi magis debitum. auum enim morientem ei reliquisse principatum vna cum *priuatis* opibus, nec populo ius esse aliena donare alteri. Ad quæ coorto cum indignatione vniuersi populi clamore, postquam silentium eis imperauit, postulabat ne his commouerentur nec tumultuarentur sed siquod ius pro se haberet Tarquinius, vocato eo caussaque cognita, siue affectus iniuria, siue principatu dignior videretur, regimen vrbis illi traderent. se enim regnum deponere, ipsorumque potestati, à quibus accepe rit, reddere. Post hæc verba descendere à tribunal paranti acclamatum est vndique cum precibus & lacrymis necui principatu cederet: nec deerãt qui clamarent, Feri Tarquinium. Ille igitur metuẽs ne versis in se turbæ manibus impeteretur, domum refugit cum sociis: Tullium vero plebs vniuersa gaudens ac plaudens domum deduxit cum faustis acclamationibus. XLIV.

Postquam hic quoque conatus parum successit Tarquinio anxius se plane destitutum à senatu, in quo plurimum habuerat fiduciæ, aliquantisper domi se continuit, amicos tantum admittens: deinde consulente vxore non

esse molliter nec segniter agendum amplius, sed omissis verbis aggrediendum ad opera, conciliato prius per amicos Tullio, quo minus vt amicum iam caueret, probauit eius monita: simulansque pœnitentiam, multis precibus per amicos à Tullio petebat delictorum veniam. Itaque recōciliatus viro natura facili, & abhorrenti ab infidis cum filia & genero simultatibus, obseruato suo tempore, cum plebs passim per agros intenta esset colligendis frugibus, prodiit cum amicis gladios sub veste occultantibus; ministris quibusdam secures capere iussis, ipse regio amictu sumpto, cetérisque principatus insigniis. vt ventum est in comitium, fixo ante curiam gressu, iussit patres in senatum vocari à præconibus & iam ante præparati aderant in foro conscii patrandi facinoris, nonnullique è patriciis adhortantes *ad rem gerendam intrepide*. dum hi conueniebant *in curiam*, Tullio domi tum agenti quispiam renuntiat, Tarquinium progressum cum veste regia senatum cogere. Ille admiratus eius audaciam, procurrit ex ædibus celerius quam prudentius, paucis aliquot comitatus. Ingressus in senatum, ac Tarquinium in regio solio cum reliquis ornamentis regiis sedentē cōspicatus, Quis, inquit, scelestissime hominum, hunc habitum te permisit sumere? Ille contra, Tua Tulli audacia & impudentia; qui cum ne ingenuus quidem sis, sed seruus è serua natus, quam meus auus è captiuorū turba nactus est, ausus es te Romanorum regem facere. His verbis Tullius exacerbatus plus quam expediret, impetum in eum fecit velut deturbaturus solio. Tarquinius occasione lætus, è sede prosilit, senemque corripit, & vociferantem ac frustra opem ministrorum inuocantem effert: ac *mox* è curia protractum, ætate viribusque validior, *medium* arripit, & sublimem per curiæ gradus in comitium ferentes deiicit. Senex cum è casu ęgre se collegisset, vt vidit circumquaque plena omnia Tarquinii fautoribus, & circa se magnam amicorum solitudinem, abiit gemens, paucis eum multo cruore circumquaq; manantem & toto corpore grauiter afflictum sustinentibus ac deducentibus

XLV. Post hæc graue auditu impię filiæ facinus traditur. cognito enim patrē iuisse in curiā, rescire cupiens quem res habitura esset exitū, carpento in forū inuecta est, ibi rem totam edocta, cōspicataque stantē in *summus* curię gradibus

gradibus Tarquiniũ, prima regem magna voce salutauit, Deos precata vt regnum eius faustum ac felix esse vellent reipublicæ. consalutatum deinde etiam à ceteris, quorum opera in asserenda regia dignitate vtebatur, seorsum abducens, Primus, inquit, Tarquini, conatus successit sicut debuit: ceterum firmiter retinere principatum non poteris, si superstes maneat Tullius, concitabit enim denuo suis concionibus in te populum, si quantulacunque vltra hodiernum diem protracta fuerit mora. & scis quàm apud totam plebem gratiosus sit. At tu prius quam domum se recipiat, tolle ipsum immissis percussoribus. His dictis rursum conscenso carpento abiit. Tarquinius autem, ratus hoc quoque recte monere scelestissimam coniugem, quosdam è ministris cum gladiis in eum mittit: qui magna celeritate præuentum in via non procul regia iugulant. Recenti cadaueri & adhuc palpitanti superuenit filia: cumque admodum angustus esset vicus qua carpentum agendum erat, mulisque ad cadaueris conspectum territis, ipse quoque auriga commotus esset; & inhibito ad *tam* miserabile spectaculum progressu, oculos in dominam reflexisset; illaque sciscitante quin pergeret, respõdisset, Non vides Tullia patrem tuum iacentem mortuum, nec alium nisi per cadauer patere transitum? mulier exacerbata, scabello pedum arrepto petit aurigam, inclamans, Non ages sceleste *iumenta* vel per mortuum? Ille ad spectaculum magis quam ad ictum ingemiscens, vi mulos per cadauer agit. is vicus Cyprius ante dictus, ex atroci isto & abominabili casu Sceleratus Romana voce dictus est. Hunc finem sortitus est Tullius post exactum in regno annum *quartum supra* quadragesimum. Romani hunc regem aiunt primum contra mores & ritus patrios imperium accepisse, non ex consensu senatus populique, vt ante illum reges ceteri; sed fauore solius plebis, delinita largitionibus & aliis blanditiis inopum turba. nec falsum id *crimen* est. nam superiori tempore populus defuncto rege senatui deferebat potestatem constituendæ ad quam placeret formam reipublicæ. senatus interreges creabat. illi virum eligebant optimum, quem, siue ex indigenis esset, siue ex ciuibus, siue ex peregrinis, regem constituerent. Si ergo electum ab eis regem senatus pro-

Occiditur.

XLVI.

basset, populusque approbasset, & auspicia confirmassent, assumebat is imperium. quodsi horum *trium* aliquid deesset, alter nominabatur; & *post hunc* tertius, nisi in secundum liquide hominum pariter & deorum suffragia consensissent. Tullius vero primum regii tutoris assumpta persona, vt iam ante diximus, deinde conciliato sibi omnibus humanitatis officiis populo, ab eo solo rex creatus est. ceterum cum esset vir æquus atque modestus, crimen illud quo non omnia è legum præscripto peregisse arguebatur, aboleuit actis posterioribus, hancque in multorum animis opinionem excitauit, ni præuentus fuisset *intestino* scelere, voluisse regium imperium in popularem reipublicæ formam transmutare: & hanc præcipue ob caussam patricios quosdam insidiarum in eum comparatarum fuisse participes; cumque alia ratione potentiam eius labefactare non possent, assumpsisse in consiliorum societatem Tarquinium, eumque in acquirendo principatu iuuisse, vt premeretur plebs, cuius vires sub Tullio non mediocriter creuerant; ipsique dignitatem pristinam reciperent.

XLVII. Porro cum ob regis cædem magnus tumultus vrbem haberet, omnibus fere mortem eius lamentantibus, veritus Tarquinius ne si per forum funus duceretur, vt mos Romanis est, cum regiis ornamentis aliisq; funebribus ceremoniis, plebs forte impetū in se faceret, nondum satis confirmato imperio, consuetos sepulturæ ritus adhiberi non est passus: sed defunctum vxor, Tarquinii Prisci filia, vt vulgaris hominis cadauer, noctu ex vrbe paucis amicorum prosequentibus extulit: multisque lamentis suum & illius fatum prosecuta, innumeras genero & filiæ diras imprecata, corpus humo condidit. à monumento domum reuersa, vnam non amplius diem superstes funeri, sequenti nocte obiit; incertum quo leti genere, quibusdam dicentibus illam abiecto præ mœrore vitæ desiderio, manus sibi intulisse; aliis, exstinctam à genero & filia, quod cari mariti obitu vehementius afficeretur. Etsi autem regali funere ac splendido monumento has ob caussas fraudatus est Tullius, operibus tamen suis sempiternam consecutus est memoriam. Quin & alio quodam prodigio carum superis fuisse apparuit; quod etiam fabulosæ & incredibili de natalibus eius opinioni, de qua supra diximus, fidem

dem apud multos fecit. In templo Fortunæ ab ipso condito dedicata eius effigies è ligno inaurato, sola incendio superfuit integra, omnibus ceteris igni absumptis: & hodieq; templum & quicquid in eo post incendium ad veteris ornatus normam reparatum est, apparet esse noui artificii; statua, qualis prius, antiqui est operis. durat enim adhuc, & *magnam* apud Romanos venerationem habet. Atque hæc de Tullio produntur ab auctoribus. Post hunc imperium Romanum capessit Lucius Tarquinius, non legitime, sed armis partum, anno quarto sexagesimæprimæ Olympiadis, qua in stadio vicit Agatharchus, principe Athenis Heraclio. Hic contempta plebe, contemptis etiam patriciis per quos ad regnum prouectus fuerat, confusisque legibus ac moribus patriis, & omni decoro corrupto quo ciuitas sub prioribus regibus floruerat, principatum in manifestam vertit tyrannidem. ac primum satellitio se stipauit audacissimorum hominum, gladios & lanceas gestantium, exterorum & ciuium: qui noctu excubantes circa regiam, & interdiu prodeuntem, quocunque iret, comitantes, tutum reddebant ab insidiis. deinde progrediebatur non sæpe nec statis temporibus, sed raro & ex improuiso: tum negotia publica domi plerunq; tractabat, & quidem cum amicis intimis; pauca vero in foro: nec admittebantur qui vellent, nisi ab ipso vocati essent. ac ne his quidem benignũ ac mitem se præbuit, sed tyrannico more iracundum & grauem, vultu ad terrorem magis quam hilaritatem composito. controuersias quoque litium non ex iure dirimebat, sed ex suis moribus: vnde Superbus vulgo cognominatus est; quod nostra lingua sonat ὑπερήφανος. auus vero eius Priscus vocatus est: nostro sermone diceretur πρεσβύτερος. nam vtrumq; nomen cum iuniore commune habuit. Porro cum iam firmatas imperii habenas existimaret, nequissimo quoque sodalium subornato, eorum opera multos illustres viros inuoluit criminibus capitalibus, primum eos qui alienum ab illo gerebant animum, & Tullii casum ægre ferebant: post etiam alios quibus putabat molestam mutationem *status publici*, præcipue diuites. at delatores arripiendo alium post alium falsis criminibus, maxime insidiarum in caput regium, accusabant eos apud ipsum iudicem. ille alios morte damnabat,

XLVIII. L. TARQVINIVS SVPERBVS *septimus Romanorũ rex, in rep. quæ gesserit.*

XLIX.

alios exsilio; tam occisorum quam pulsorum bona occupans; vnde paruam quandam portionem decidebat accusatoribus, maiorem sibi retinebat. quapropter multi potentiores, priusquam calumniis opprimerentur, non ignari cur appeterentur insidiis, sponte vrbem tyranno relinquebant; quorum maior quam reliquorum fuit numerus. Fuerunt & qui clam ab eo interficerentur, ex ædibus & villis abrepti, viri non contemnendi, quorum ne cadauera quidem vsquam reperta sunt. Ita sublata per mortes exiliaque parte senatus potissima, senatum alium ipse constituit, amicis suis in vacua loca suppositis. ac ne his quidem permisit quidquam iniussu suo vel facere vel

L. dicere. Ergo quotquot supererant ex allectis sub Tullio senatoribus, cum prius simultatem exercuissent cum plebe, sperantes mutationem reipublicæ futuram suo commodo, (nam talibus eos Tarquinius pollicitationibus lactauerat) tum *demum* sentientes nullam sibi publicæ administrationis partem superesse amplius, seque ipsos etiam vna cum plebeiis loquendi libertate exutos, dolebant quidem & grauiora etiam suspicabantur in posterum; cogebantur tamen præsentem statum boni consulere, quod vires ad impedienda quæ agebantur non suppeterent. Id videntes plebeii, existimabant hæc eos pati merito, & stulte gaudebant alieno infortunio, quasi illis solis tyrannide pressis ipsi futuri extra periculum. Superuenerunt tamen & ipsis paulo post mala grauiora etiam. nam leges à Tullio scriptas, quæ ius æquum faciebant vtrique ordini, nec sinebant à patriciis (vt ante) plebeios circumueniri in cõtractibus, omnes sustulit: ac ne tabulas quidem, quibus erant inscriptæ, reliquit; sed & has foro summouere iussas aboleuit. deinde antiquata tributorum pro cuiusque censu conferendorum lege, pristinum eorum morem restituit: & quoties ei opus esset pecuniis, tantundem conferebant diues & pauperrimus. id institutum vehementer exhausit plebeiam multitudinem, cum prima statim exactione denas drachmas in singula capita pendere cogerentur. præterea cœtus omnes paganorum, curialium, vicinorum, vel in agris vel in vrbe antea sacrorum caussa fieri solitos, vno edicto in posterum vetuit; ne multis in vnum locum conuenientibus arcana de conuellenda tyrannide inirentur

tur consilia. habebat autem passim speculatores & inquisitores tam dictorum quam factorum; qui vulgo ignoti, confabulantibus se immiscentes, & interdum tyranno male loquentes, pertentabant singulorum ciuium animos: deinde quos sensissent præsentem rerum statum moleste ferre, deferebant ad principem. conuicti autem pœnas dabant acerbas & ineuitabiles. Nec his contentus plebem vexare, selectis ex tota multitudine fidis & idoneis militiæ, reliquos cogebat ad opera publica; ratus nihil esse monarcharum potentiæ periculosius, quam si praua & egena ciuium turba sineretur in otio viuere: cupiens etiam opera semiperfecta ab auo relicta, in principatu suo absoluere; cloacas nimirum, quas egerendæ colluuiei fodere ille cœperat, vsq; ad fluuium perducere; & circum amphitheatralē, qui nihil præter gradus habebat, circumdare tectis porticibus. His omnibus adhibebātur pauperes, quibus exigua dabat cibaria eorumq; pars cędebant materiē, pars onera subuehebāt humeris, pars subterraneos rimabantur cuniculos, & fingebant in eis fornices; pars excitabant porticus, aut opificibus in opere versantibus subministrabant. ærarii quoque, *ferrarii*, materiarii, cæmentarii, abstracti à priuatis operibus, detinebantur in opere publico. His laboribus attrito vulgo nulla concedebatur requies; ita vt patricii has illorum ceu alienas calamitates intuentes, vicissim gauderent, & propriorum malorum obliuiscerentur: neutri tamen impedire quæ fiebant conabantur. Ceterum Tarquinius cogitans, vi, non iure partam potentiam, opus habere non solum domestico, verum etiam externo præsidio, illustrissimum Latinorum & potentissimum sibi iunxit amicitia, data in matrimonium filia. is vocabatur Octauius Mamilius; genusq; referebat ad Telegonum Vlixis & Circes filium; Tusculum incolebat, reique militaris inter paucos habebatur peritissimus, & bellis gerendis imperator idoneus. per hunc cōciliatis oppidatim procerum res publicas tractantium animis, tum demum foris bellare aggressus est, & copias in Sabinos educere, detrectātes imperium, & Tullii morte liberatos se putantes ab icto cum eo fœdere. Hisque animo decretis, per nuntios indixit vt qui Latinæ reipublicæ nomine in Ferentinum concilium solerent conue-

LI. (margin, beside "dabant acerbas & ineuitabiles. Nec his contentus ple-")

LII. (margin, beside "nabantur. Ceterum Tarquinius cogitans, vi, non iure")

nire, die quem ipse præfiniuerat adessent; quasi de communibus & arduis tractaturus esset negotiis. Conuenere ceteri; *solus* Tarquinius, qui eos conuocarat, non adfuit in tempore: cumque diu à consessu exspectatus esset, plerisque factum hoc in suam contumeliam interpretantibus, Coriolanus quidam, vir opibus pollens & amicitiis, strenuus in bellis, & ciuili facundia præditus, nomine Turnus Herdonius, Mamilio per ambitionem *semper* æmulus, eoque infensus Tarquinio, quod in affinitate alteri esset posthabitus, prolixe in Tarquinium inuectus est, enumeratis cum aliis eius factis quibus arrogantia & superbia in esse videretur; tum quod conuocator eius concilii, ceteris præsentibus, *solus* non comparuisset. Ceterum excusante Mamilio, & moras imputante necessariis quibusdam caussis, postulanteq; in crastinum diem differri concilium, persuaderi sibi passi sunt Latinorum præsides. Postera die Tar-
LIII. quinius affuit; coactoque concilio pauca de sua tardatione præfatus, verba fecit de prorogando sibi imperio; quippe quod iure ad se pertineret, cum id Tarquinius auus suus bello partum tenuerit: protulitque fœderis ab auo cum *Latinis* ciuitatibus initi conditiones. cumq; multa disseruisset de suo iure ac fœderis conditionibus, & magna ciuitatibus beneficia promisisset, si permanerent in fœdere, tandem eos in belli contra Sabinos gerendi societatem pertrahere conatus est. Cumq; perorasset, progressus in medium Turnus, multisque serum eius aduentum calumniatus, non sinebat consessum principatu illi cedere, qui nec vllo ei iure competeret, nec esset in rem Latinorum publicam; vtrumque confirmans multis rationibus. nam fœdus quod post traditum principatum cum auo eius icerint, iam cessare, irritum post illius obitum; quandoquidem non adscriptum sit conditionibus, eandem gratiam deberi etiam Tarquinii posteris. atque adeo eum qui auitas gratias postulet esse hereditarias, esse omnium hominum iniquissimum & improbissimum. commemoratisq; facinoribus quæ ad obtinendum Romæ imperium perpetrarat, multisque & atrocibus in eum criminibus congestis, tandem docuit ne regnum quidem legitime accepisse à volentibus, sicut reges ante eum ceteri; sed extortum armis & violentia: eoq; in tyrannicam monarchiam verso, ciues

ciues ab illo partim interfici, partim pelli patria, partim exui facultatibus: omnibus ita libertatem ademptam, vt ne mutire quidem audeant. nec quenquam nisi extreme fatuum, menteq; mulctatum à superis, sperare posse quidquam benignitatis aut humanitatis ab improbo & nefario ingenio; nec fore vt alienis parcat, qui ne coniunctissimis quidem necessitudinibus pepercerit. monebatq; vt cùm seruitutis frenum nondum receptum esset, in eo admittendo repugnarent; quid ipsis immineat conicientes ex aliorum calamitatibus. Ad hanc inuectionem Turni vehementer commotis multorum animis, Tarquinius postulata & impetrata in sequentem diem respondendi copia, post dimissum consistorium accitis amicorum intimis, vna consultabat quid facto opus foret. Illi rationes quibus se contra criminationem defenderet suggerebant, & modos excogitabant quibus conciliaret sibi Latinorum beneuolentiam. ipse vero nihil istis opus esse aiebat, suam præferens sententiam, qua non dilueretur crimina, sed ipse accusator interimeretur. Omnibus consilium probantibus, rem ex composito sic aggressus est, vt nulla humana præcaueri posset prouidentia. nam è seruis Turni qui iumenta eius & impedimenta vehebant, improbissimos exquisiuit, auroq; corruptos adduxit vt sub noctem acceptorum à se gladiorum magnam vim inferrent in eius diuersorium, & inter impedimentorum sarcinas abderent. Sequenti deinde luce in concilium progressus, ait se ad obiecta crimina breui vsurum defensione, nec se vel ipsum accusatorem refugere iudicem. Nam Turnus, inquit, omnibus istis criminibus, quæ mihi nunc impingit, me suo iudicio liberauit, cum filiam meam ambiuit coniugem. qua non impetrata, vt par erat, (quis enim sanus Mamilio Latinorum nobilissimo fortissimoq; repulso istum asciuisset generum, qui ne tritauum quidem nominare potest) nunc præ indignatione accusatum me aduenit. Atqui si talẽ me sciebat, qualem nunc haberi vult, debuerat tunc meam affinitatem non expetere. sin virum bonum me tum iudicabat cum filiam à me petebat, ne nunc quidem vt improbum accusare debebat. atq; hæc pro me dicta sint. Vobis vero, proceres in summo vestro discrimine non de me nũc dispiciendũ est, bonus an malus sim: (id enim etiã postea LIV.

licebit facere) sed de vestra incolumitate, deque ciuitatum vestrarum libertate. nam egregius iste concionator molitur insidias principibus ciuitatum & rectoribus, paratus occiso nobilissimo quoque inuadere Latinorum imperium: & in hoc aduenit. Nec coniectura est quod dico; sed exacte rem teneo, hac nocte compertam indicio coniuratorum vnius. argumentum veritatis repræsentabo vobis indubium, modo sequi velitis ad eius diuersorium; occul-
LV. tata inde arma proferens. Ad hæc verba exclamāt omnes; sibique metuentes, argui rem poscunt, non verbis ludi. Turnus, ignarus doli, se vero libenter inquisitionem ait admittere, vltro proceres ad perscrutandum diuersorium prouocans, & è duobus alterum postulans, vt aut ipse necaretur, si aliis se quam viatoriis armis instruxisse comperiretur; aut in falsorum delatoris caput *ea* pœna conuerteretur. Placuit hoc omnibus: *confestim*que missi ad diuersorium, deprehendunt inter sarcinas abditos à seruis illis gladios: ac mox Turnus non permissus amplius pro se dicere, in voraginem quandam proiectus, viuus terra est obrutus. Tarquinium collaudatum in concilio, quasi ob seruatos tot optimates de cunctis populis bene meritum, Latinorum principem faciunt, iisdem conditionibus quibus *quondam* auum ipsius Tarquinium fecerant, ac deinde Tullium. incisoque in columnas fœdere, & iu-
LVI. reiurando addito, solutum est concilium. Tarquinius Latinæ gentis imperio potitus, legatos misit ad Volscos & Hernicos; eorum quoque amicitiam & societatem expetens. Volscorum duo tantum populi assenserunt, Ecetrani & Antiates: Hernici vniuersi societatem decreuerunt. Vt autem sempiternum maneret id fœdus, Tarquinius proposuit designare commune fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, & Volscorum qui sociorum numero adscripti essent; vt quotannis ibi solemnem cœtum agitantes, vna epularentur, & communia sacra participarent. Quod cum æquis animis acceptarent omnes, locus conuentui præstitutus est in meditullio ferme harum gentium, mons altus Albæ imminens, vbi singulis annis feriæ celebrarentur, & *eo temporis spatio* propter *loci religionem* legem*que* de hoc latam ab omni vi temperarent omnes: sacraque communiter Ioui Latiari facerent & vacarent epu-

epulis, constituto *prius* quid quisque populus in ea sacra præbere, quamque portionem recipere deberet. Earum feriarum eiusque sacrificii participes fuerunt tribus minus quinquaginta populi; quas nostra quoque ætate Romani agitant, Latinas vocatas: conferuntque in eas populi sacrorum participes, quidam agnos, quidam caseos, quidam lactis certum modum, quidam consimile liborum genus. Communis omnium victima est taurus vnus, de quo cuique populo sua *certa* portio tribuitur. Sacrificant autem pro omnibus, & sacrificio præsunt Romani. Postquam his quoque societatibus constabiliuit regnum, decreuit in Sabinos exercitum ducere, delectis è Romana gente iis quos, si arma nacti essent, minus libertatem asserturos suspicabatur. his longe maiores sociales copias cum adiunxisset, peruastato hostico & profligatis qui ausi essent acie cõgredi, contra Pometinos duxit, qui Suessam incolebant, omnium vicinorum populorum florentissimi, eoque molesti ceteris. belli causa fuit, quod legatis rapinarum & latrociniorum nomine pœnas repetentibus superbe responderant, & erant parati hostem armis excipere. Quos cum inito in confiniis prœlio magna ex parte strauisset, ceterosq; in fugam versos & *intra mœnia* conclusos, non amplius prodire videret, obsessos fossa & vallo cingebat; crebris interim assultibus tentãs mœnia, oppidanis aliquamdiu fortiter oppugnationis ærumnas sustinentibus. sed cõmeatu deficiente, viribus quoque destituti, cum nec auxilia subuenirent, nec requies daretur, fracti nocturnis pariter & diurnis laboribus, *tandem* vi expugnati sunt. Potitus vrbe armatos occidit, vxores eorum cum liberis, & eos qui se maluerunt dedere, mancipiorumque ingentem numerum, in prædam permisit militi: cetera quoque bona, quãtum cuique obtingeret, vel ex vrbe vel ex agris ferre & agere: argentum etiam aurumque, quod inueniri potuit, vnum in locum collatum, decimis in templi fabricam sepositis, reliquum diuisit victoribus. Tantum autem argenti aurique repertum est, vt quinæ argenti minæ obuenerint singulis militibus; sacratæ vero argenti decimæ explerint quadringentorum talentorum numerum. Nondum Suessa discesserat cum ei nuntiatum est Sabinorum lectam iuuentutem fines egressam duobus agminibus in

Feriæ Latinæ.

LVII. *Bello quæ gesserit Tarquinius.*

LVIII.

agrum irrupisse,& prædas inde abigere; atq; alteram manum ad Eretum castra metatam, ad Fidenas alteram: actum esse de illa regione, ni *mature* eatur obuiam. His auditis reliquit Suessæ modicam partem exercitus ad prædæ impedimentorumque custodiam: ceteras copias expeditas raptim duxit in hostes ad Eretum castra metatos; relictoque modico interuallo castra loco edito muniit. cumque Sabinis ducibus visum esset accitis suis à Fidenis *sequenti* mane decernere prœlio, Tarquinius hoc cognito ex interceptis litteris quibus illi accersebantur, ex re nata consilium sumpsit huiusmodi. Bifariam diuiso exercitu, alteram partem sub noctem clam hoste misit in eam viam quæ Fidenas fert; alteram diluculo instructam è castris produxit in aciem. Sabini audenter processerunt, cum & hostium viderent paucitatem,& suos iamiam à Fidenis affuturos putarent. collatis signis æquo marte diu pugnatum est,donec manus noctu à Tarquinio emissa conuerso itinere Sabinis à tergo se ostenderet. quibus visis & ex armis signisq; agnitis, amentes *metu* abiectis armis conabantur fuga salutem quærere: sed plerisq; ab hoste circumuentis nullum patebat effugium: nam Romanus equitatus vndique imminebat & *elabendi vias* præcludebat. quo factum est vt perpauci ex ea clade incolumes euaserint, maiorque pars ab hoste interempti sint, vel in deditionem recepti. ac ne castris quidem tutandis relicta manus obsistere potuit; sed primo impetu capta est munitio: vbi præter Sabinorum bona,captiui etiam Romani cum cetera præda recepti sunt
LIX. adhuc integra. Hoc primo successu Tarquinius alacris, militem ducit in eam Sabinorum manum quæ ad Fidenas castra habebat, etiamtum cladis suorum inscios. & forte fortuna illi quoq; iam è vallo progressi, erant in itinere. vt vero appropinquarunt,ducumq; suorum capita hastis præfixa viderunt, quæ Romani præferebant ad terrorem hostium, cognita internecione alterius exercitus,nullum moliti generosum facinus,sed ad supplices deprecationes versi, deditionem fecerunt. Itaq; segniter ac turpiter amisso vtroque exercitu Sabini ad angustas spes redacti,& timentes expugnationem vrbium, legatos de pace miserunt, qui se ac sua Tarquinio dederent, tributaq; in posterum pendenda promitterent. Pace his data,receptisq; in fidem quadixi

dixi conditione populis, Suessam reuersus est: inde assumpto præsidio quod reliquerat, prædaque cum impedimentis ceteris, Romam ditatum exercitum reduxit. Fecit etiam postea multas in Volscos expeditiones, nunc totis viribus, nunc parte copiarum educta: prædaque potitus est numerosa. Tandē plurimis successibus aucto bellum natum est finitimum: quod cum septem annis continuis gestum sit, diuturnis eum laboribus, difficilibusque & inopinatis casibus inuoluit. Id quibus ex caussis cœptum sit, & quemnam habuerit exitum, (vaframento enim, militariq; ducis arte, preter opinionem confectum est) dicemus breuiter. Vrbs erat Latini nominis, Albanorū colonia Gabii, via Prænestina ad centesimum à Roma stadium. nunc ea tantum parte habitatur quæ ad *publicam* viam obuersa frequentatur diuersoriis; tunc populosa, nulliq; amplitudine aut splendore inferior, sicut coniecturam sumere licet è ruinis ædium passim exstantibus & mœnium ambitu, quæ hodieq; supersunt parte sui maxima. Eo cōfluxerāt Pometinorum pars, qui è Suessa, cum dirueret eam Tarquinius, profugerant; præterq; hos multi Romani exsules. Hi Gabinos orando obtestandoq; vt vlciscerentur suas iniurias, multaque dona pollicendo si *ope ipsorum* restituerentur in patriam, facileq; opprimi tyrannū posse ostendendo, vrbanis quoq; *libenter* consociaturis secum operā, *tandem* persuaserunt vt arma contra Tarquiniū sumerent; *præsertim* cum Volsci quoq; promptis *ad id* essent animis, qui & ipsi per legatos inuitarant eos ad societatē, *bellumq; tyranno inferendū*. Post hæc igitur magnis copiis in hosticū vtrinq; irruptiones factæ sunt & strages: atque, vt credere par est, nunc exigua manu, nunc totis viribus est cōcursum: *fortuna sæpe variante*, dum modo Gabini profligatos Romanos vsq; ad portas persequuntur, multisq; captis agros populātur intrepide; modo *vice versa* Gabini propulsati & in vrbē suam conclusi, captiuos & prædas ex agris suis abactas spectare coguntur è mœnibus. Quod cum sine intermissione fieret, necesse habuerunt vtriq; cōmunitis per agros locis opportunis præsidia disponere ad agrestiū refugia: vnde si quos prædones obseruassent, aut paruā manum à magno exercitu auulsā (vt fit in populationib.) sine ordine per cōtēptū hostiū *palātes* cōspexissēt, facta cateruatim eruptione

LX. (margin, at "Vrbs erat")

LXI. (margin, at "ctare coguntur")

oppressos contrucidabant. Cumque repentinos hostium incursus vtrique metuerent, *si qua* vrbis partes facile oppugnari scalisque admotis capi posse viderentur, eas exædificabant & fossis muniebant. occupatior tamen in hoc negotio fuit Tarquinius; contractaque operarum multitudine, partem vrbis quæ ad Gabios vergit, emuniuit, fossa dilatata, murisque altius eductis, & crebrioribus per eam partem structis turribus, quod vrbs ea parte videretur infirmior, reliquo ambitu satis tuta, neq; accessu facilis. Itaque quod in diuturnis bellis solet, tum quoque accidit, vt dum continuis hostium irruptionibus agri vastantur, nec vllos fructus ferunt, ambo populi laborarent annonæ penuria, nec in futurum spes esset melior. maior tamen caritas Romæ fuit quam Gabiis; & pauperes ea maxime pressi, clamitabant componendam esse cum Gabinis pacem, & bellum quibuscunq; finiendũ conditionibus. Quamobrem cum anxius Tarquinius, & neque ignominiosam pacem admittere, neque longiores belli moras sustinere valens, multa commenta tentaret, dolosque varios necteret, Sextus natorum eius maximus communicato cum solo patre consilio, quamuis videretur conatus audax & valde periculosus, sed qui tamen posset succedere, si pater eum quæ vellet facere sineret, fingit se offendisse patrem quòd bellum finiendum contenderit: virgisque in foro à patre cæsus, & aliis affectus contumeliis, quo latius se fama spargeret, primum fidissimos amicorum sub transfugarum specie ad Gabinos misit, qui clam indicarent, velle eum ad ipsos transire, & contra patrem bellum gerere, si fidem ab illis acciperet sicut ceteri Romani exsules, eos nunquam in Tarquinii potestatem ipsum tradituros, spe consequendæ pacis & vtilitatis propriæ. Quæ cum Gabini libenter audirent, ac promitterent se nihil in eum contra *hospitum & supplicum* iura delicturos, venit magnum amicorum & clientum transfugarum post se trahens numerum, quo facilius crederetur vere à patre defecisse; & insuper multum argenti aurique afferens: confluebantq; ad illum postea multi ex vrbe, simulantes se fugere tyrannidẽ; ita vt breui circa se haberet manum validam. Tum vero Gabini crediderunt magnam suis rebus accessionem contigisse *tam* multis ad se conuenientibus; breuiq; Romam in sua

LXII.

in sua potestate futuram sperabant; quam spem magis ac magis alebat ille patris desertor, cum continuas in agros excursiones faceret,& multa inde reportaret emolumenta. nam pater cum præsciret in quæ loca ille irrupturus esset, efficiebat vt ea & præsidiis nuda essent,& prædæ copiosam præberent materiam: identidem etiam eo mittebat quos occidi ab illo vellet, selectis è ciuium numero iis quos haberet suspectos. Atque ita *ab omnibus* amicus fidus & dux egregius habitus, redemptis etiam nonnullorum fauoribus, imperator Gabinorum eligitur. Ea potestate LXIII. per dolos & præstigias potitus, vnum è famulis occulte ad patrem misit, qui & significaret quam nactus esset potestatem, & rogaret quid fieri à se vellet. Hunc famulum quia rex nolebat scire quæ filio facienda præciperet, ex ædibus secum duxit in hortum ante regiam situm. in eo cum forte sata essent papauera fructu iam plena & collectioni matura, inambulans inter hæc papauera, eminentissimi cuiusque papaueris caput baculo decutiebat. quo facto, quamuis sæpius interrogatus, sine responso remisit nuntium; Thrasybulũ Milesium, vt mihi videtur, imitatus. nam & ille olim à Periandro Corinthiorum tyranno per nuntium rogatus, quomodo firmissimum tenere posset imperium, nihil voce respondit; tantum hominem qui ab eo venerat sequi se iussit per aruum frumento consitum; & spicas quæ supra ceteras eminerent defringens, humi abiecit; innuens *sic* eum spectatissimos quosque ciuitatis truncare atque exstinguere debere. Ex simili Tarquinii facto Sextus mente patris tum intellecta, iuberi se eminentiores Gabinorum tollere, concionem aduocat. vbi cum prolixe exposuisset, se, qui cum sociis in fidem ipsorum confugisset, in periculo esse ne à quibusdam comprehensus patri dederetur; ait se paratum deponere imperium, & abire priusquam patiatur aliquid grauius: simulque lacrymabatur, sortem suam deplorans, non aliter quam qui vere in extremo capitis versantur discrimine. Ita concitata multitudine, ac studiose sciscitante quinam essent illi proditores, illustrissimũ Gabinorum Antistium Petronem nominat, qui, quod & pacis tempore multa in republica præclare gessisset, & in aliquot bellis ducis munere functus esset, gloriæ claritate cũctis anteibat. Infitiante illo, & (vt erat LXIV.

pura conscientia) ad omnẽ inquisitionẽ sese offerente, ait se missis arbitris ædes eius perscrutari velle, atq; interim cum illo in concione manere, donec perscrutatores reuerterentur. & iam subornauerat pecunia corruptos quosdam eius seruos, qui patris sigillo obsignatas literas, quibus Petroni parabatur exitium, domi deponerent. Qui missi ad perscrutandum erant, (nec enim Petro reclamabat, sed perquiri domum facile patiebatur) repertas vbi depositæ erant epistolas in concionem attulerunt, cum alias multas obsignatas, tum eam quæ Antistio erat inscripta. quam cum Sextus è patris signaculo se agnoscere dictitans aperuisset, scribæ *publico* recitandam tradidit. continebantur in ea mandata, vt viuum omnino, si posset, filium sibi traderet: sin minus, saltem caput eius abscisum mitteret. id si perfectum sibi redderet, tum vero daturum se ipsi eiusque adiutoribus præter ceteras mercedes iam ante promissas, ciuitatem Romanam; ascripturumque omnes ordini patricio; additurum domos, agros, aliaque multa & magna munera. His lectis irritati Gabini Antistium inopinato casu attonitum, ac ne vocem quidem præ infortunio rumpere valentem, immissis lapidibus obruunt: in ceteros consilii socios inquisitionem & animaduersionem Sexto committunt. Ille amicis tradita portarum custodia, ne qui reorum possent effugere, missis ad illustriorum domos satellitibus, multos bonos viros de medio sustulit.

LXV. Interim tumultu Gabiis (vt in tantis malis par erat) exorto, Tarquinius per literas monitus iter ingressus est cum exercitu, & cum intempesta nocte peruenisset ad mœnia paratos inuenit qui apertis portis se admitterent, atque ita ingressus, vrbe sine labore potitus est. Id vbi cognitum est, omnibus vicem suam deplorantibus, cædesque & captiuitates, atque reliqua mala quæ captis à tyranno imminent, exspectantibus; vel, si optime res caderet, seruitutem, bonorum direptionem similiaque animo præcipientibus, Tarquinius nihil horum quæ metuebant fecit; improbus alioqui & in puniendis inimicis implacabilis. neminem enim Gabinum interfecit, aut expulit patria; neminem pecuniis mulctauit, aut honoribus: sed vocato in concionem populo, regioque pro tyrannico ingenio sumpto, ait se & ciuitatem eis reddere, & omnia bona habenda permit-

permittere. quod eo fecit, vt horum opera imperium Romæ firmius teneret: optimam sui suorumque liberorum custodiam fore ratus eorum fidem quibus & vita præter spem seruata esset, & omnia sua bona restituta. Ac nequis eos de futuris metus aut dubitatio incesseret, sed hæc eis certa manerent, scriptis legibus quibus in fidem & amicitiam reciperentur, fœdus id statim pro concione iureiurando super *ardentes in aris* victimas sanciit. estque huius fœderis monumentum Romæ dedicatum in templo Iouis Pistii, (*id est Fidii*: quem Sancum Romani nominant) clypeus ligneus inductus eius bouis corio qui tum in confirmationem fœderis mactatus est; in eoque antiquis literis inscriptæ sunt fœderis inter ipsos initi leges. His *ita* gestis, Sextoque rege Gabinis imposito, reduxit exercitum. atq; hunc finem habuit bellum Gabinum. Post hæc Tarquinius data populo bellorum & expeditionum requie, vertit se ad templorum fabricã, vt aui sui vota persolueret. nam ille vltimo bello cum Sabinis dimicans, si pugna illa vinceret, Ioui, Iunoni, Mineruæq; templa vouerat: & rupem quidem sacro ædificio destinatam ingenti sumptu aggeribus *in areæ formam* complanauerat, vt superiore libro dictum est: ceterum templorum structuram morte præuentus non potuit absoluere. Hoc igitur opus Tarquinius ex decimis Suessanæ prædæ perficere cogitans omnes artifices ad operandum adhibuit. quo tempore fertur mirum quoddam sub terra exstitisse prodigium: fundamentis opera fossorũ ad magnam profunditatẽ perductis, inuentum recens occisi hominis caput, quod & facie viuo erat simile, & calido etiamtum recentiq; sanguine manabat. Hoc viso Tarquinius operas iussit fossionem intermittere, accitisque regionis eius vatibus, scitabatur quid sibi vellet hoc prodigium. Quibus nihil explicãtibus, & ad Etruscos eius scientiæ professores regem relegantibus percontatus ex eis quisnam apud Etruscos clarissimus esset ostentorũ interpres, vbi id didicit, legatos ad eum mittit ciuium lectissimos. Hi cum ad coniectoris domum venissent, forte fortuna incidunt in adolescentem quendam egredientem: cui cum exposuissent se Romanos esse legatos qui vatem cõuenire cupiant, rogassentque vt se ad illũ deduceret: respondit adolescens, Pater, inquit, meus est quem cõuenire

LXVI. *Templa ædificat.*

LXVII.

cupitis: nunc occupatus est nonnihil: sed licebit vobis post modicam dilationem eum accedere. interim mihi qua de causa veniatis dicite. ita fiet vt à me præmoniti caueatis, ne quid in rogando peccetis per imperitiam. est enim non minima diuinationum pars recta interrogatio. Placuit id legatis; & indicauerunt prodigium. ille interposito breui silentio; Audite, inquit, Romani. Prodigium hoc pater vobis interpretabitur, nihil mentiens. id enim vati nefas est. ceterum quæ dicenda vobis sint, & quæ ad interrogationes respondenda, ne quid peccetis aut fallatis, (id enim vestra interest prænosse) ex me discite. Post denarratum prodigium dicet se non *satis* exacte percipere quid dicatis, & circumscribet certum terræ spatium baculo: deinde dicet, Hic est Tarpeius tumulus; & pars eius hæc orientalis est, hæc occidentalis; hæc septemtrionalis, hæc opposita. Quibus baculo demonstratis scitabitur ex vobis, in quanam harum partium caput inuentum sit. Quid igitur vos respondere moneo? In nullo eorum locorum, quos ille interrogans indicarit baculo, inuentum prodigium; sed Romæ visum apud vos in Tarpeio tumulo. Hanc responsionem si obseruaueritis, nec ab illo seducti fueritis, intelligens fata transferri non posse, quid sibi velit prodigium interpretabitur vobis, nihil dissimulans.

LXVIII. Hæc edocti legati, postquam à sene otium nacto accersiti sunt, introgressi exposuerunt vati prodigium. Quo argutante, & circulares *primum*, deinde rursus alias rectas lineas in terra describente, & per singulas regiones de inuentione rogante, nihil perturbati legati eandem obseruabant responsionem, vt erant à vatis filio præmoniti; semper nominantes Romam & Tarpeium tumulum, & postulantes ne interpres sibi vsurparet id signum, sed quam rectissime atque iustissime *rem* edissereret. Tum vates non valens signum interuertere, nec sibi vsurpare augurium, *sic* eis locutus est: Referte Romani vestris ciuibus, esse in fatis vt locus in quo id caput inuenistis, fiat caput totius Italiæ. (ex illo tempore locus is vocatur Capitoliũ, ab inuento ibi capite; caput vero nostra lingua dicimus

LXIX. κεφαλήν.) His ex legatis cognitis, Tarquinius structuræ adhibuit opifices, magnamque templi partem perfecit: sed totum opus absoluere non potuit, quod ante regno pellere-

pelleretur. tertio demum consulatu *libera iam* ciuitas operi supremam manum imposuit. Fūdatum est in alta crepidine octo iugerum ambitu, ducentis ferme pedibus patens per latera singula, exigua longitudinis & latitudinis differentia: *quas si exacte metiaris*, latitudinem à longitudine non totis quindecim pedibus superari comperies. nam quod post incendium, patrum nostrorum memoria instauratum est, super iisdem repertum est fundamentis, & materiæ solum magnificentia differt à vetere. ex ea parte qua frons eius meridiem spectat, triplici columnarum ordine circumcingitur; à lateribus, duplici. intus tria sunt fana, quæ æquali distantia, communibus continentur lateribus: medium, Iouis: à lateribus, alterum, Iunonis; alterum, Mineruæ; sub eodem laqueari, eodemque tecto.

Quin & alia Tarquinio regnante miranda felicitas vrbi contigisse dicitur, siue Deorum alicuius siue dæmonum munere, quæ non ad breue aliquod tempus, sed in omne ęuum multoties eam è grauissimis periculis seruauit. Venit ad tyrannum externa quædam mulier, nouem libros Sibyllinorum oraculorum venales offerens: cumque Tarquinius nollet eos tanti emere quanti illa indicauerat, abiit & tres exussit ex eo numero: nec multo post reliquos referens, tantidem obtulit: derisaque pro delira, quod tantum pro paucioribus peteret, quantum pro pluribus obtinere non potuisset, rursum discedens reliquorum cremauit dimidium: relatisque tribus qui supererant, auri quantum antea petiit. Tum rex miratus mulieris consilium, accersiuit augures: reque denarrata quæsiuit quid facto opus esset. illi signis quibusdam edocti, auersatum eum rem missam diuinitus; magnamque noxam admissam esse quod non omnes libros emisset, iusserunt numerari mulieri quantum auri peteret, & reliquum oraculorum redimi. mulier datis libris diligenter eos seruari monuit; & mox ex hominibus disparuit. Tarquinius duos è ciuibus viros illustres elegit, additis duobus ministris publicis; quibus istorum librorum custodiam tradidit. horum duumuirorum alterum Marcū Attilium, visum non bona fide rem gerere, & ab vno ministrorum delatum paricidii, in bubulum culeum insutum proiecit in mare. Expulsis *postea* regibus ciuitas suscepta Sibyllinorum cura, clarissimos viros custodes eorum creat;

LXX.

Sibyllinos libros emit, & custodibus tradit.

qui per totum vitæ tempus funguntur eo munere; liberi ab omnibus militaribus atque ciuilibus muniis: & publice illis addit *alios* sine quibus Sibyllinos libros ab illis inspici non sinit. & vt compendio dicam, nihil Romani seu religiosum seu sacrum tam diligenter custodiunt quam Sibyllina oracula. Vtuntur autem eis ex senatusconsulto, siquando seditionibus turbetur status reipublicæ, aut in bello insignis aliqua clades accepta sit, aut prodigia & ostenta, quæ difficili coniectura magnum aliquid portendant appareuerint qualia multa contigere. Hi libri manserunt incolumes vsque ad bellum Marsicum, in templi Capitolini cella subterranea, inclusi arcæ lapideæ, asseruati à decem viris. post exactam vero tertiam supra centesimam & septuagesimam Olympiadem, cremato Capitolio siue per insidias, vt quidam autumant, siue fortuito incendio, cum aliis donariis Iouis, hi quoque igne absumpti sunt. nam qui nunc exstant, è multis locis comportati sunt, partim allati ex Italicis vrbibus, partim ex Erythris Asię ex Senatusconsulto, legatis illuc ad transcribendum missis; partim ex aliis vrbibus, & à priuatis hominibus descripti; in quibus inueniuntur quædam supposititia, quæ deprehenduntur acrostichidum quas vocant discrimine. Sequor autem hic Terentii Varronis auctoritatem, qui ista prodidit in commentariis theologicis, *seu libris Rerum diuinarum*.

LXXI. *Colonias deducit.* His pace belloque gestis, deductisque duabus coloniis, (è quibus alteram, Signiam nomine, non de industria, sed casu fortuito deduxit, cum in eo campo milites hibernantes castra ita communissent vt nihil ab vrbe differret: Circeios vero data opera, quod in Pometino campo totius Latii maximo, locus is opportune ad mare situs esset. est autē terrenus tumulus mediocri altitudine, infero mari imminens; vbi Circe habitasse fertur, Solis filia) & vtrique condendæ duobus è filiorum suorum numero præfectis, Circeiis Arunte, Signiæ Tito, cum nihil amplius imperio metueret, ob violatam à Sexto natorum maximo matronæ pudicitiam, vrbe simul & regno pulsus est, diuinitus de domestico infortunio præmonitus, cum aliis prodigiis, tū vltimo hoc. par aquilarum non lōge à regia verno tempore nidum construxerant in proceræ palmæ cacumine. hūc nidum vultures magno agmine aduolantes disturbauerunt, pullosq;

Prodigiis de imperii amissione monetur.

pulloſq; adhuc implumes enecauerunt: ipſas aquilas à paſtu redeuntes roſtris & *crebro* alarum verbere de palma depulerunt. Hoc auſpicio animaduerſo Tarquinius, tametſi magnopere ſibi caueret, ſortemque *fatalem* auertere conaretur; fatum tamen vincere non potuit: ſed coortis in eum patriciis, & conſpirante plebe, imperio excidit. Qui autem fuerint eius tumultus auctores, & quomodo ad ſummum magiſtratum euaſerint, dicam quantum potero breuiter. LXXII.

Cum Ardeatibus bellum gerebat Tarquinius cauſſam prætexens quod Romanos exſules excepiſſent, eoſque in obtinendo reditu adiuuarent: ſed re vera inhiabat eorum diuitiis, quod eſſent omnium Italorum fortunatiſſimi. cũque hoſtis fortiter reſiſteret, & diu duraret obſidio, pariter & in caſtris milites lentum bellum fatigauit, & ciues in vrbe continua tributa penitus exhauſerunt: ſpectabatque res ad defectionem, ſi modo quis præberet initium. Interea Sextus Tarquinius, fratrum natu maximus, Collatiam à patre miſſus ad exſequenda quædam negotia militaria, diuertit ad cognatum ſuum Lucium Tarquinium cognomine Collatinum. Hunc Fabius filium prodit Egerii, *eius ſcilicet* quem ſupra dixi fuiſſe Tarquinii Priſci è fratre nepotem; ab eoque præfectum Collatiæ, Collatini cognomen à loco in quo commorabatur, accepiſſe, idemque in poſteros ſuos propagaſſe. Ego vero hunc quoque nepotem Egerii crediderim, quando æqualis fuit Tarquinii liberis, vt idem Fabius & plerique ſcriptores tradiderunt. nã hanc coniecturam meam confirmat ratio temporum. Aberat tum domo Collatinus, agens in caſtris *ad Ardeam*. Vxor eius, Lucretii nobilis Romani filia, hominẽ, vt viri cognatum, excepit benigniſſime. Eam matronam, eximiæ inter Romanas formæ ac pudicitiæ, Sextus vitiare animum induxit: cuius facinoris & ante libido eum ceperat, cum apud cognatum diuerſaretur: ſed tunc percommoda videbatur oblata occaſio. Poſt cœnam deductus cubitum, magnam noctis partem *in lecto* ſe continuit: vbi vero cunctos ſopitos exiſtimauit, ſurrexit, & in cubiculum in quo Lucretiam dormire norat, non ſentientibus iis qui ad cubiculi fores excubabant, cum gladio penetrauit.

Ad lectum vt peruenit, cum mulier ad primum ſtrepitum experrecta ſcitaretur quiſnam eſſet edito ſuo nomine, LXXIII.

tacere illam & in cubiculo manere iussit: cædem minitans si aufugere aut vocem tollere conaretur. Sic perterritæ fœminæ optionem proposuit, vtrum mallet, mortem cum turpitudine, an vitam cum felicitate coniunctam. nam si sustinueris, inquit, tui corporis copiam mihi facere, in legitimum thalamum recepta mecum regnabis, nunc quidem in vrbe quam patris munere teneo: vbi vero ille obierit, imperabis mecum Romanis, Latinis, Etruscis, & quotquot aliorum ille nunc tenet imperium. scio enim me in paternum regnum successurum ætatis priuilegio. quanta autem sit regum felicitas, quæ tibi mecum communis erit, quid opus est apud non ignaram dicere? Quodsi amore castitatis reluctari volueris, *primum* te interficiam; deinde iugulato insuper *vno* è famulis, componam vestra corpora, & fingam vos in stupro deprehensos pœnas mihi dedisse, non ferenti gentilis iniuriam: vt præter probrosum interitum, etiam sepultura ceterisque solennibus caritura sis. Cum itaque diu multumque minis pariter & precibus institisset, addito iureiurando, serio à se dici omnia, effecit vt Lucretia metu ignominiosæ mortis territa, coacta fuerit cedere perferreque quæ illi patrare libuisset. Vbi dies illuxit, iuuenis exsatiata improba & perniciosa cupidine, ad exercitum abiit. at Lucretia casum hunc moleste ferens, confestim carpento conscenso Romam properabat amictu atro, & cultro sub vestem abdito; obiter nec alloquens appellantes, nec respondens quidquam de casu aduerso scitantibus; cogitabunda interim, & vultu demisso lacrymis suffusa oculos. vt vero in paternas ædes ventum est, (& forte aderant cognati aliquot) genua patris complexa diu fleuit tacita: tandem ab ipso subleuata, quærente quid accidisset: Supplex, inquit, venio pater, indignis modis tractata; vt vlciscaris illatam mihi contumeliam, neque despicias morte grauiora passam filiam.

LXXIV. Mirante illo & ceteris omnibus, & quodnam esset iniuriæ genus, quisue auctor, percontante: Audies, inquit, meas calamitates pater in tempore. primum, mi pater, concede mihi hanc gratiam; conuoca quotquot potes amicos & cognatos, vt ex meipsa, cui facta est iniuria, audiant, non ex aliis. vbi vero didiceris ad quam turpem atrocemque necessitatem adacta sim, deliberabis cum eis quonam modo vindi-

vindicanda sit mea tuaq; iniuria. nec longa interposita mora. simulatque nobilissimi viri cito propereque conuocati, in ædes (vt postulauerat) confluxere, denarrat eis rem omnem ordine: deinde complexa prius patrem, multisque tum ipsum obtestata tum ceteros, comprecataque Deos & dæmonas vt se cito è vita eximerent, stricto cultro, quem sub veste absconderat, & præcordiis vno ictu perfossis, cor sauciat. coorto deinde clamore ac eiulatu planctuque muliebri totis ædibus, pater moribundam complexus vocabat nomine, curamque vt recollecturæ se ex vulnere, impendebat. illa vero in vlnis eius palpitans, luctantem emisit animam. Id omnibus qui aderant tam graue ac miserandum visum est, vt vno ore vociferarentur, satius esse pro libertate vel millies emori, quam tales à tyrannis dissimulanter perferre iniurias. in his erat Publius Valerius, ab vno Sabinorum qui cum Tatio Romam venerant oriundus, vir prudens & industrius. Is ad exercitum ab eis mittitur, indicaturus viro casum Lucretiæ, & cum illo ad defectionem à tyrannis sollicitaturus militarem multitudinem. vix portam egressus erat Valerius cum ei Collatinus forte fortuna è castris in vrbem tendens fit obuius, domesticæ calamitatis inscius; & cum eo Lucius Iunius, cognomine Brutus, quod in Græcam linguam versum sonat ἠλίθιον: de quo paucis, priusquam *reliquum narrationis attexamus*, dicendum est, quando ad hunc potissimũ auctorem tyrannorum expulsio refertur à Romanis; quis fuerit, à quibus *ortum duxerit*, & quomodo appellationem ab ingenio suo tam alienam nactus sit.

Pater ei fuit Marcus Iunius, ab vno Æneæ sociorum oriundus, inter nobilissimos Romanorum ob virtutem habitus: mater vero Tarquinia, Tarquinii Prisci filia. ipse cum more patrio ad omnis generis honestas disciplinas institueretur, ingenii promptitudine facile honestissima quæque arripiebat. Verum postquam occiso Tullio Tarquinius inter alios multos & bonos ciues patrem quoque illius occulte de medio sustulit, non ob delictum vllum, sed diuitiarum cupidine, quas antiquæ ac opulentæ familiæ heres, à maioribus congestas sibique relictas acceperat; cum eoque filium natu grandiorem, quod generosam præferret indolem, patrisque interitum non inultum laturus videre- LXXV.

tur. Brutus etiamtum adoleſcens, planeque cognatorum auxilio deſtitutus, rem aggreſſus eſt longe prudētiſſimam, fatui ſpeciem fictitiam aſſumere; eamque ex illo tempore conſtanter retinuit, donec opportuna videretur oblata occaſio; fatuum interim agens; ex quo cognomē adeptus eſt. Idque vnicum ei tutamen fuit contra tyranni ſæuitiam debacchantis in multos ciues optimos. Tarquinius enim vere, non ficte ſtultum exiſtimans, contempſit hominem; ademptoque toto patrimonio, exiguis tantum ad victū quotidianum ſuppeditatis ſumptibus, vt parentibus orbatum & curatoribus egentem, in ſua cuſtodia retinebat, verſarique inter liberos ſuos patiebatur, non honoris cauſſa, vt videri voluit, quaſi cognatum: ſed vt ridiculis dictis factiſque oblectamento eſſet adoleſcentibus, quemadmodum ſolent veri fatui. Eo etiam tempore quo inſolitum peſtilentiæ genus ſub eius imperio graſſabatur, quod non modo puerorum & virginum magnam tollebat multitudinem, ſed etiā prægnantibus infeſtiſſimum, matres vna cum ipſo fœtu paſſim per vias ſternebat; cum Aruns & Titus à Tarquinio patre Delphos ad oraculum ſuper hac peſte mitterentur, vt morbi cauſſam & remedium ex Deo cognoſcerent, Tarquinius illum rogantibus adoleſcentibus addidit comitem, vt haberent cui petulanter dictis & factis illuderē. Qui cum ad oraculum perueniſſent, acceptoque cuius cauſa miſſi erant reſponſo donariis Deum honoraſſent, multū riſerunt Brutum, quod baculum ligneum Apollini obtuliſſet. at ille auream *Deo* virgam obtulerat, quam nemine conſcio in perforatum fiſtulæ more baculum inſeruerat. *priuatim* deinde rogauerunt Deum, quemnam fata deſtinarent Romanis futurum principem reſponſum eſt, eū qui primus matrem oſculatus eſſet. adoleſcentes non percipientes ſenſum oraculi, pacti ſunt inter ſe vt ſimul matrē oſcularentur; communibus auſpiciis regnum adminiſtraturi at Brutus intelligens quid Deus vellet ſignificare, cū primum Italiam contigit, prolapſus terram oſculatus eſt; quod hęc ſit *communis* mater omnium. Et ad id quidē temporis talis fuerat.

LXXVI. Tunc vero vt ex Valerio cognouit caſum & necem Lucretiæ, protenſis ad cœlum manibus: Iupiter, inquit, Diiq; omnes quibus cordi ſunt res mortaliū; venitne nunc tempus illud quod ego in hoc ſimulato vitæ

ſtatu

ſtatu tamdiu exſpect u? eſtne in fatis vt Roma per me & propter me ab infanda tyrannide liberetur? His dictis cum Collatino & Valerio ad ædes properat. Quas vt intrauerunt, Collatinus conſpicatus Lucretiam in medio iacentẽ, patremque illi circumfuſum, ingenti cum gemitu defunctã complectens & oſculans, nomine ciebat *mortuam*, nec aliter quam viuam alloquebatur, mente captus præ dolore nimio. Qui dum ita cum patre totaque familia fletu ac lamentis occupatus eſt Brutus, oculis in eos verſis, Alias, inquit, Lucreti, tuque Collatine, & vos ceteri mulieris neceſſarii, ſatis habebitis temporis quo illam defleatis: nunc de vindicãda eius iniuria meditemur. nam id præſens tempus poſtulat. Viſus eſt recte monere; ac mox ſoli conſidentes, ſemota famulorum & mercenariorum turba, conſultabant quid agendum eſſet. Ibi primus Brutus præfatus de ſeipſo, ſtultitiam illam, qua pleriſque viſus ſit laborare, non veram in ſe, ſed affectatam fuiſſe, expoſitis etiam cauſſis cur fatuitatem tamdiu ſimulaſſet, poſtquam oſtendit ſe hominem eſſe lõge prudentiſſimũ, proſequens orationem, hortatus eſt vt vnanimes conſociata opera Tarquinium & filios vrbe pellerent; multa locutus in eam ſentẽtiam ad perſuadendum efficacia. animaduertens deinde neminem diuerſum ſentire, non verbis ait, nec pollicitis, ſed factis opus eſſe, ſiquid ex officio velint exſequi: ſeq; dixit facturum initium. Hæc fatus, arrepto gladiolo quo illa ſe confoderat, acceſſit ad cadauer, quod etiamtum pro palam iacebat, ſpectaculum miſerabile; & impoſito ei cultro, iurauit Martem Deoſque ceteros, ſe, quidquid poſſet, ad ſubuertendũ Tarquinii dominatum moliturum eſſe: & nec ſe cum tyrannis in gratiam rediturum, nec aliis reconciliandæ gratiæ copiã facturum, diuerſumque ſentiẽtes pro inimicis habiturum, & cum tyrannide tyrannidiſque ſociis perpetuas vſque ad vitæ finem ſimultates exerciturum. quodſi iuſiurandum violaret, talem ſibi ſuiſque liberis exitum vitæ imprecabatur, qualis *miſera* illi cõtigiſſet. Hæc fatus ceteros omnes ad idẽ LXXVII.
iuſiurandũ vocauit. qui nihil amplius cũctantes ſurrexerũt, & accepto alii ab aliis cultro deierarũt. moxq; iurati iã quærebãt quo modo negotiũ aggrederẽtur. Bruti hæc fuit ſentẽtia: Ante omnia cuſtodias portis adhibeamus, nequid eorũ quę in vrbe dicũtur agũturve cõtra tyrannidẽ, Tarqui-

nius ſentiat,priuſquam res noſtræ paratæ ſint. deinde prolato in forum corpore mulieris,vt eſt cruore fœdatum, Lucretius atque Collatinus progreſſi in medium, deplorent ſuum infortunium,& rem omnem exponant ordine. reliqui deinde,alius poſt alium accedens, accuſent tyrãnidem, ciueſque ad libertatem vocent.erit hoc ciuibus exoptatiſſimum, ſi à nobis patriciis libertatis initium fieri videant. multa enim & grauia à Tarquinio paſſi ſunt; & ſatis illis erit vel modica occaſio. Vbi vero multitudinem aduerſus tyrannos concitatam habuerimus, calculum eis de abrogando Tarquinio imperio permittamus, & plebiſcitum ſuper hoc quantocius tranſmittamus ad exercitum. etenim ſi,qui in armis ſunt, cognouerint totam vrbem à tyrannis alienatam,ſtudebunt libertati patriæ, nec amplius ſe largitionibus retineri patientur. Poſt hunc Valerius ſumptis dicendi partibus, Reliqua,inquit,recte monere videris, Iuni; ceterum de comitiis ſcire velim; Quis indicet ea legitime, &calculum permittet curiis? magiſtratus enim eſt hoc officium;& noſtrum nemo vllum magiſtratum gerit. Ad hæc ille, Ego, inquit, Valeri. Sum enim tribunus celerum:licetque mihi per leges quandocunque in comitium vocare populum. hunc enim honorem,maximum *alioqui*, Tarquinius mihi dedit ceu fatuo,vt qui nec poteſtatem eius ſim animaduerſurus; nec, ſi vel maxime intelligam, ea vſurus. quin & contra tyrannum primus perorare paratus ſum.

LXXVIII Hoc eius conſilium placuit vniuerſis: cumque ab honeſto & legitimo principio rẽ auſpicatus videretur, iuſſus cetera dicendo perſequi; Quando, inquit, hæc ita videntur, diſpiciamus item quis magiſtratus rempublicã poſt expulſos reges curaturus ſit, & à quo creatus: imo prius etiam qualis ſit futura reipublicę forma quam in tyrãnidis locum inducere paramus. Præſtat enim omnia conſulta habere priuſquam aggrediamur tantum facinus; & præcõſideratis omnibus nihil inexcuſſum relinquere. quibus de rebus vnuſquiſque veſtrum ſuam dicat ſententiam. Poſt hęc diuerſæ à diuerſis dictę ſunt ſententię. quibuſdam placebat regiũ imperium inſtaurare,enumerantibus quot & quanta in rẽpublicã beneficia ſuperiores reges cõtuliſſent.alii negabant vnius poteſtati amplius concredendam rem Romanam; permoti tyrannorum iniuriis, quibus cum alii multi ciues ſuos

ſuos affecerint, tum poſtremo Tarquinius: malebantque penes ſenatum ſummam poteſtatem eſſe, ſicut in pleriſq; Græcis ciuitatibus. Aliis neutra reipublicæ forma probabatur; ſed popularem adminiſtrationem, vt Athenis præferebant; commemorantes quam petulanter & auare pleraque in paucorum dominatu adminiſtrentur, & quam graues inde tenuiorum aduerſus potentes oriantur ſeditiones: prædicanteſq; libertatem reipublicæ conſiſtere in æquato iure ciuium, eam adminiſtrationis formam dicebant & tutiſſimam eſſe, & decentiſſimam. cumq; difficilis electio videretur omnibus quod nullus ex his ſtatus careret ſuis vitiis, ad extremum Brutus ſumptis dicendi partibus ſic locutus eſt: At ego Lucreti, tuq; Collatine, & ceteri quotquot adeſtis boni viri boniſq; prognati, nullam nobis in præſens nouam reipublicæ formam inſtituendam cenſeo. nam & tempus hoc anguſtum eſt præ negotiis, nec ad mutandum rerum ordinem ſufficiens: & vt optimam excogitemus mutationis rationem, conatus non carebit periculo. poſt, vbi à tyrãnide liberati fuerimus, maiori libertate maioriq; otio conſultare & optimam reipublicæ formam deligere poterimus: ſi modo melior ſtatus eſt eo, quem Romulus, Pompilius, aliiq; poſt reges à ſe inſtitutum nobis tradiderunt, in quo vrbs noſtra, Diis perpetuo fauentibus, amplitudine, opibus & multorum populorum imperio aucta eſt. *Conſilium de inſtituenda rep.*

Incommoda vero propter quæ regnum facile in ſæuitiam tyrannicam degenerat, & quæ regiam poteſtatem inuiſam omnibus faciunt, ea & nunc corrigenda & in poſterum cauenda moneo. ecquænam illa? primum quoniam multi ſpectant rerum nomina, & ex his *æſtimatione facta*, ſæpe vel noxium quidpiam admittunt, vel vtile aliquid refugiunt, in quo genere & regnum eſt, ideo nomen ei in republica mutandũ arbitror: vt quorum curæ poſthac committetur ciuitatis incolumitas, non reges amplius neque monarchæ vocentur, ſed alio quopiam modeſtiore & humaniore vocabulo. deinde non vnius arbitrio committẽda rerum ſumma, ſed duobus viris permittendum regium imperium, ſicut Lacedæmonios audio facere iam multis ætatibus, & propter hanc formam reipublicæ inter omnes Græcos maxime florere legibus & opibus. minus enim iniurioſi erunt & moleſti diuiſa poteſtate bifariam, ambobus LXXIX.

eandem vim obtinentibus: & alter alterum reuerebitur, ac vicissim reuocabit à licentia: æmulatio quoq; ad virtutis opinionem ex æquata potestate maxime nasci videtur. Præterea è tam multis regiis insigniis siqua sunt inuidiosa & molesta populo, partim minuenda, partim plane tollenda iudico; sceptra ista dico, & coronas aureas, & purpureas auro intertextas trabeas; nisi statis festis & in pompis triumphalibus, assumantur honoris Deorum gratia. rarus enim horum vsus, inuidiosus non erit. ceterum sella eburnea in qua sedentes ius reddant populo, relinquenda est vna cum prætexta candida & lictoribus duodecim secures per vias præferentibus. Superest vnum quod omnium quę dixi vtilissimum fore arbitror, & ad magistratus à delictis abstrahēdos efficacissimum, ne imperium iisdem per totum vitæ spatium prorogetur; prægrauis enim est omnibus magistratus qui *certo temporis* spatio limitatus non est, nec vllas administrationis rationes reddere cogitur; vnde tyrannis nascitur. contrahenda igitur potestas exemplo Atheniensium intra tempus annuum. imperandi enim parendiq; vicissitudo; & potestatis, antequam corrumpat animum, depositio, cohibet ingenia contumacia, nec sinit mores inebriari nimia licentia. In hunc modum constitutis rebus poteritis nō modo regiæ gubernationis commoda percipere, sed etiam comitantia illam mala declinare. Sed vt nomen quoq; regiæ potestatis, quod patrium nobis est, Diisque per faustas aues approbantibus in vrbem receptum, religionis caussa seruetur sacrosanctum, creetur semper rex cui honor hic sit perpetuus, & immunitas à militia; vnumq; illi, vt regi *hactenus*, incumbat negotium, sacrorum cura: *præter hoc* nullo alio *regiæ administrationis* munere fungatur.

LXXX. Nunc audite quomodo singula confecturi simus. Ego indicā comitia, quando, vt ostēdi, hoc mihi legibus est concessum: rogaboq; populū iubeantne exsulare Tarquinium cū vxore ac liberis, arceriq; vrbe ac dicione Romana in perpetuum, cū omni posterorum progenie. Quæ rogatio vbi approbata fuerit ciuiū suffragiis, indicata prius forma reipublicæ quā cogitamus instituere, interregē creabo à quo designentur qui res capessant; & ipse deponā præfecturam celerum. tum creatus à me interrex cēturiatis comitiis nominet *magistratus* qui futurum regnum administrent, & ciuium

ciuium de his colligat suffragia. ac si pluribus centuriis placuerit ratam esse electionem, & fausta super his fuerint auspicia, tunc assumptis fascibus cum reliquis regiæ potestatis insigniis, dent operam vt liberam habeamus patriam, & ne vnquam reditus in eam Tarquiniis pateat. tentabunt enim, sat scio, vel persuaso populo, vel vi, vel dolo, vel quauis arte alia, dominationem recipere, nisi ab eis nobis cauerimus. Hæc sunt præcipua quæ in rem præsentem admonendos vos duxi. Cetera quæ ad *diuersas administrationis* partes attinent, cum multa sint, & ob temporis angustias accurate à nobis in præsentia examinari nequeāt, existimo committenda esse futuris magistratibus. Sed hos oportet omnia ex senatus consulto decernere, vt reges factitarunt, nec quidquam sine nobis agere, & senatus placita referre ad populum, sicut maiores nostri solebant, nec vllum populo ius quod superioribus tēporibus obtinuerit, adimere. Sic enim pulcherrime ac tutissime procedent res imperii. Hanc Iunii Bruti sententiam laudarunt omnes: moxque de futuris magistratibus inito consilio decreuerunt interregem dicere Spurium Lucretium, patrem eius quæ se interfecerat, & ab eo decerni magistratus cum potestate regia Lucium Iunium Brutum, Lucium Tarquinium Collatinum. eos magistratus placuit ipsorum lingua nominari CONSVLES quod vocabulū si Grece interpretari velimus, significat συμβούλους siue προβούλους. nam consilia Romani vocant, quas nostrates συμβουλάς. ὕπατοι tamen procedēte tempore à Græcis dicti sunt, à potestatis præcellentia, quoniam omnibus præsunt, & summum locum obtinent. nam quod præcellens & summum est, prisci *Græci* vocabant ὕπατον. His ita statutis, Diisque in vota vocatis vt iusta piaq; cœpta secundarēt, in forum prodeunt sequentibus famulis in atrata lectica ferentibus Lucretię cadauer inexcultum & sanguine fœdatū. qua ante curiam in loco sublimi & conspicuo posita, conuocabatur populus. cumq; turba confluxisset non modo quæ in foro tunc aderat, sed etiam quæ per præcones vicatim dimissos tota vrbe fuerat excita, Brutus conscenso loco vnde cōcionari mos erat, assistere iussis patriciis, in hūc modū locutus est: De necessariis & præclaris reb. verba facturus apud vos Quirites, de meipso primū paucis præfabor. Fortassis enim quibusdā vestrum, immo LXXXI.

(ſat ſcio) multis inſanire videbor, quod vir mentis non integræ, de maximis rebus dicere aggrediar, cui, vt male ſano, curatore ſit opus. Volo igitur vos ſcire, falſam fuiſſe opinionem de me publicam, cuius tamen auctor nemo fuit præter me. Vt autem neque pro ingenio meo neque pro decoro viuerem, ſed prout Tarquinio libuit, & mihi viſum eſt vtile, in cauſſa fuit metus & vitæ periculum. Regem enim qui principatus initio patrem meum occiderat, vt opes eius luculentas inuaderet, & maiorem fratrem, vltorem paternæ necis futurum, ſi licuiſſet, cæde clancularia de medio ſuſtulerat: ſatis apparebat non parciturum nec mihi, deſtituto cariſſimis neceſſitudinibus niſi egiſſem morionem fictitium. hoc me figmentum, creditum à tyranno, & è familiari clade eripuit, & huic incolumem ſeruauit tempori: quod poſtquam exoptatum mihi aduenit, nunc demum perſonam à me vigintiquinque annos caute geſtatam libet deponere. Et hæc quidem de me dixiſſe ſufficiat.

LXXXII. Quæ vero ad rempublicam attinent, & quorum gratia huc à me conuocati eſtis, hæc ſunt: Tarquinium, qui neque iuxta ritus & leges patrias principatum obtinuit; neque, poſteaquam eum quibuſcunque artibus adeptus eſt, honeſte geſſit aut regie, ſed inſolentia & iniquitate omnes qui vſpiam fuerunt tyrannos ſuperauit: *eum inquam* de communi ſententia nos patricii imperio priuare decreuimus; quod cum iam dudum factum oportuerit, nunc oblata occaſione idonea facimus: voſque Quirites conuocauimus, vt indicata voluntate noſtra, veſtram opem precibus expetamus in aſſerenda libertate patriæ; cuius rei nec ante nobis occaſio contigit ex quo principatum occupauit Tarquinius; nec poſthac, niſi nunc fortes viri fuerimus, vnquam dabitur. Quodſi temporis quantum vellem haberem, aut apud ignaros verba facturus eſſem, omnia tyranni enumerarem ſcelera, quibus non vnum ſed multa ſupplicia omnium iudicio commeruit. Verum quia temporis quod res concedunt, breuitas, pauca dicta, multa facta poſtulat, & ad gnaros verba facio, pauca tantum commemorabo, præcipua ſcilicet eius facinora, adeo manifeſtaria, vt nullius quantumuis diſerti verbis excuſari queant.

LXXXIII Hic eſt ille Tarquinius, Quirites, qui nondum princeps Aruntem fratrem germanum, quia malus eſſe nolebat, veneno

veneno ſuſtulit, aſſumpta in eius ſceleris ſocietatem illius vxore, ſuæ coniugis germana, quam Diis inuiſus adulterio iam ante corruperat. Hic vxorem, pudicam matronam & communium liberorum parentem, eodem veneno eodem tempore necauit; ac ne exigua quidem luctus ſpecie, habituque ad mœrorem compoſito, vtriuſque veneficii, velut à ſe non patrati, crimen diluere voluit: ſed confeſtim poſt perpetrata egregia hæc facinora, nondum exſtinctis rogis qui miſera illa corpora exceperant, ipſe amicos excepit nuptiali epulo, peractiſque nuptiis viricidam ſponſam in ſororis thalamum ex pacto nefario duxit: atque ita primus & ſolus in hanc vrbem inuexit impia & exſecranda *ſcelera*, quorum nec apud Græcos nec apud barbaros vlla vſpiam reperiuntur exempla. Quale porro fuit illud facinus, Quirites, quam dirum & infame, quod perpetrauit in ſoceros? iugulato enim propalam Seruio Tullio regum omnium æquiſſimo, optimeque de vobis merito; ac ne exſequiis quidem aut ſepulturæ ſolennibus defuncto conceſſis, Tarquiniam eius coniugem, quam vt amitam, & bene de ſe meritam, matris loco colere debebat, ante perſoluta marito luctus & inferiarum *extrema* officia, necauit laqueo miſeram: *atq; ita tractauit eos* à quibus ipſe ſeruatus & educatus fuerat, heres etiam atque ſucceſſor futurus, ſi paulum expectaſſet naturalem eorum obitum.

Sed quid his obiurgandis immoror, cum præter *domeſtica* in cognatos & affines facinora, tot iniquitates accuſandas habeam, admiſſas in nos omnes *communemq;* patriam? ſi tamen iniquitates dicendæ ſunt, ac non potius piacula & abominationes omnium nationum & gentium. primo regnum, vt hinc incipiam, quomodo adeptus eſt? num ita vt ante reges alii? minime. immo plurimum intereſt. nam illi omnes à nobis ad principatum prouecti ſunt ritu moreque patrio; primum ex ſenatus conſulto, cuius primæ partes ſunt in omnibus publicis conſiliis: deinde per electos *à ſenatu* interreges, quorum iudicio permittitur diſpicere quis è viris imperio dignis ſit omnium maxime idoneus: poſtremo, ſuffragante in comitiis populo, cuius ſuffragio confirmari maxima quæque leges volunt. acceſſerunt inſuper auſpicia, litationes, ceteraque ſigna felicia; ſine quibus nihil humana cõſilia ſtudiave proficiunt. Age- LXXXIV

dum quis vestrum scit obseruatum horum aliquid, quando Tarquinius assumpsit imperium? quod senatusconsultum? quod interregum iudicium? quæ populi suffragia? quæ auspicia fausta? non dico hæc omnia, tametsi in recta creatione nihil prætermitti debuisset solenne ac legitimum: sed si quis vnum dûtaxat horum *tunc* obseruatum potest ostendere, cetera quæ omissa sunt calumniari nolo. Quomodo igitur principatum assecutus est? armis & vi, malorumque hominum conspirationibus, vt tyrannis mos est, nobis inuitis & indigne ferentibus. Sed forte regnum quomodocunque partum administrauit regie, ad superiorum regum exemplum, qui cum in dictis tum in factis id perpetuo spectarunt vt fortunatiorem & ampliorem hanc ciuitatem successoribus traderēt, quam ipsi accepissent à suis maioribus. Ecquis sanus hoc dixerit; qui modo videat quam miseris & indignis modis omnes ab eo accepti simus.

LXXXV. Taceo calamitates nostri ordinis patricii, quas ne hostis quidem audiret absq; lacrymis, quando pauci è multis superstimus; è magnis facti humiles, & è maxima plurimorum bonorum copia ad paupertatem summamq; inopiam redacti. at illi præclari viri, graues & magnifici, per quos olim inclyta fuit hæc nostra ciuitas, partim perierunt, partim exsulant. Quid res vestræ, plebeii, quomodo se habent? an non leges vobis abstulit? an non interdixit solennibus ad sacra conuentibus? an non comitia creandis magistratibus suffragiaque, & conciones de rebus publicis sustulit? quin & corporibus vestris haud secus ac mancipiorum emptitiorum ad varios labores abutitur, cogens lapides & materiem cædere, onera humeris subuehere, in tartareis baratris conteri, ne minima quidem concessa malorum requie. quis igitur erit harum calamitatum finis? quousque hæc pati sustinebimus? quando recuperabimus libertatem patriam? Post obitum Tarquinii. Ita per Iouem, nunquid tum nobis erit melius? immo an non deterius? tres enim ex vno habebimus Tarquinios, patre ipso sceleratiores. nam quando *iste* ex priuato factus tyrannus, & sero improbitatis curriculum ingressus, in omnibus tyrannicis vitiis se gnauiter exercuit, qualem existimabimus euasuram eius sobolem, malo genere natam, maleque educatam, quibus nunquam vllum *eius* moderatum aut ciuile factum videre

videre vel audire licuit? & ne diuinare vobis opus sit de exsecrando ipsorum ingenio, sed exquisite pernoscatis quales nobis catuli subolescant in Tarquinii tyrannide, en factum vnius eorum natu maximi.

LXXXVI Hæc est filia Spurii Lucretii, quem tyrannus ad bellum proficiscens vrbi præfectum reliquit, vxor Tarquinii Collatini, tyrannorum gentilis, multisque laboribus præclare de ipsis meriti: quæ pudica amansque mariti mulier, vt probam matronam addecet, cum Sextus apud eam cognationis iure diuersaretur, præterita nocte absente Collatino & in castris agente, indomitam tyranni libidinem effugere non potuit, sed quasi bello capta, per vim passa est quæ nefas est ferre matronam liberam. quam iniuriam indigne ferens, vt intolerabilem, postquam patri ceterisque cognatis suum denarrauit infortunium, multum precata & obsecrata vt illata sibi mala vlciscerentur, stricto cultro quem sub veste celauerat, patre inspectante, Quirites, ferrum demersit in viscera. o admiranda & summe prædicanda ob tam generosum animũ fœmina! Abiisti, periisti, non ferens tyrannicã insolentiam, contemptis omnibus vitæ voluptatibus ne quid tale tibi posthac accideret. Et postea cum tu Lucretia in sexu fœmineo generosi viri mentem habueris, nos quos natura viros esse voluit, virtute vincemur à fœminis? Et tu quidem, quod vnius noctis tyrannidem passa es, impollutaque pudicitia per vim spoliata, mortem vita existimasti beatiorem: nos vero non idem cogitabimus? quibus Tarquinius non vna die, sed per continuos iam vigintiquinque annos oppressis, adempta libertate simul spes omnes abstulit. Hæc vita nobis Quirites vitalis non est, vt talibus inuoluamur malis, cum illorum virorum nepotes simus qui aliis iura & leges imponere voluerunt, totque pro imperio & gloria subierunt pericula. Alterutrum eligendum est, aut mors gloriosa, aut vita libera. Venit tempus quod optauimus: abest Tarquinius, duces ad audendum sunt patricii: nihil nobis deerit si rem alacriter aggrediamur, non viri, non pecuniæ, non arma, non duces, non ceterus apparatus bellicus. referta est vrbs *his* rebus omnibus: & turpe est nos, cum Volscos ac Sabinos, aliosque multos imperium affectantes, perpetuo vicerimus, ipsos *nunc* aliis

seruire; gestisque tot bellis pro ambitione Tarquinii, nullum pro libertate propria suscipere.

LXXXVII. At quibus instinctibus rem aggrediemur? & quibus freti auxiliis? hoc enim dicendum superest. In primis Deorum immortalium fiducia; quorum sacra, fana, arasque Tarquinius cruentis omnique ciuili piaculo conscceleratis manibus polluit, dum sacrificiis ac libationibus præit. deinde nostramet ipsorum ope, qui nec pauci sumus, nec bellorum imperiti. tum sociorum etiam auxiliis; qui dum à nobis non vocantur, nil curiosius moliendum censent: at si nos virtutis esse memores viderint, libenter in huius belli societatem venient. Tyrannis enim inuisa est omnibus libertatem amantibus. Quodsi aliqui vestrum ciues timent qui cum Tarquinio militant, ne forte pro illo stent contra nos, timor eorum vanus est. nam & illi tyrannidis onere grauantur, & innatum est omnibus hominibus libertatis desiderium, & qui coacti ærumnas sustinent, iis quælibet ad res nouandas occasio videtur idonea. quos si vestro decreto ad opem patriæ ferendam vocaueritis, non metu, non gratia retineri apud tyrannos poterunt, nec vllis rebus aliis quibus coacti aut persuasi homines iuris limites trãsiliunt. Et vt sint aliquot qui vel peruersitate ingenii vel mala educatione trahantur in factionem tyrannicam, eos quoque, cum pauci sint mediusfidius, iniecta dura necessitate, ad bonorum virorum officium compellemus. obsides enim habemus in vrbe coniuges eorum & liberos atque parentes, vita ipsa cariora pignora. Si horum illis restitutionem polliceamur, & delictorum impunitatem decreto sanciamus facile illos à tyrannis auocabimus. Ergo in tam ampla spe fidenter Quirites adite certamen, & bellum suscipite omnium quæ vnquam iniistis honestissimum. Dii patrii, terræ huius benigni præsides, vosque genii, qui patrum nostrorum curam sortiti estis, tuque carissima Diis vrbs, in qua nati sumus & educati, tuebimur vos mente, lingua, manibus, parati etiam animas impendere, patique quidquid fors fatumque tulerit. Auguror ego conatus honestos felicem habituros exitum. Obtingat his omnibus vt sumpto eodem animo, eademque mente induta, & nos seruent, & à nobis seruentur.

LXXXVIII. In hac Bruti concione frequenter à populo ad singula accla-

acclamatum est, hisque & *aliis* signis declaratum velle illos ac iubere. Plerisque vero ad tam mirificam & inexspectatam orationem præ lætitia oboriebantur lacrymæ: variiq; ac dissimiles affectus incessebant omnium animos. mixtum enim erat mærori gaudium, consideratione præteritorum malorum, futurorumque bonorum spe: & audacia metuque alternantibus, nunc tædio malorum contemnebatur securitas, nunc difficultatis in tollenda tyrannide reputatio retardabat impetus. Vt vero dicere desiit, velut vno ore omnes exclamauerunt, arma sibi traderet. Tum Brutus lætus, Ita, inquit, si prius cognito senatusconsulto, vestris id suffragiis ratum feceritis. Placet enim nobis exsulare Tarquinios vrbe Romana, totiusque imperii finibus cum tota progenie: nec vlli prorsus licere pro Tarquiniis quidquam vel dicere vel facere: esseque capitalem si quis contra fecerit. Hanc sententiam si ratam esse vultis, curiatim ferte suffragia. id enim ius, sit primum vestræ libertatis initium. Factum est ita; omniumque curiarum suffragiis decretum tyrannorum exsilium. Tum Brutus iterum progressus, Posteaquam, inquit, quod erat primum omnium, ratum inter nos est, vt decuit, audite & reliqua quæ in rempublicam consuluimus. Nobis considerantibus cuinam magistratui committatur rerum summa, non placet regem amplius institui, sed duobus viris magistratum committi annuum cum potestate regia, quoscunque vos centuriatis comitiis vestris suffragiis designaueritis. Id quoque si vobis videtur, ferte suffragia. Comprobata est & hæc sententia omnibus ad vnum calculis. Quo facto Brutus *iterum* progressus, interregem ad peragenda more patrio comitia dixit Spurium Lucretium. Ille, concione dimissa, iussit omnes mox cum armis adesse in campum *Martium*, vbi mos erat *legitimis comitiis* magistratus eligi. Eo postquam ventum est, duos viros nominauit qui regia obirent munia, Brutum & Collatinum. his populus eum honorem ratum fecit collectis centuriatim suffragiis.

Dum hæc in vrbe geruntur, Tarquinius rex vbi ex primis nuntiis, qui per vrbis portas priusquam clauderentur euaserant, hoc solum cognouit, Brutum concionibus sollicitare populum, ciuesque ad libertatem vocare, re nemini communicata, filiis *tantum* & amicorum LXXXIX.

fidiſſimo quoque comitatus, effuſis in curſum equis properat, *immaturam* defectionem præuenire cupiens. Cumque portas clauſas reperiſſet, refertaq; armatis propugnacula, quantocius repetebat caſtra gemens ſeque afflictans *obiter*. Sed illic quoque ſuperuenit rebus iam perditis. Cõſules enim celerem eius aduentum *animo* præuidentes, diuerſis itineribus litteras ad milites in caſtra miſerant, expoſitoque vrbanæ multitudinis decreto, hortati eos erant vt à tyranno deficerent. Quas cum accepiſſent qui à tyranno in caſtris relicti erãt, Titus Herminius & Marcus Horatius, pro concione legerunt: perquiſitaque per ſingulas centurias militum ſententia quid facto opus eſſet, cũ vniuerſi cenſerent approbanda decreta vrbanorum ciuium, noluerunt amplius Tarquinium redeuntem admittere. atque ita hac quoque ſpe fruſtratus rex fugit cum paucis Gabios, quibus filiorum maximum Sextum regem impoſuerat, vt ante dictum eſt: iam canus ipſe, vigeſimoquinto imperii anno. Herminius & Horatius in quindecim annos inducias cum Ardeatibus pacti, domum reduxerunt copias. Regium ergo imperium cum annos ab vrbe condita ducentos quadraginta quatuor perduraſſet, & ſub poſtremo rege in tyrannidem degeneraſſet, his de cauſſis & ab his viris eſt euerſum.

Tarquinii vrbe ſimul & caſtris excluduntur.

DIO-

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATUM Romanarum Liber quintus.



EGIVM ergo apud Romanos imperium, cum annos ab vrbe condita ducentos quadraginta quatuor perdurasset, & sub vltimo rege in tyrannidem versum esset, his de caussis ab his viris est euersum, initio sexagesimæ octauæ Olimpiadis, qua in stadio vicit Ischomachus Crotoniensis, gerente Athenis annuum principatum Isagora. Introducto igitur optimatum imperio, cum quatuor circiter menses anno illi explendo deessent, consules qui primi regiam potestatem sumpserunt, Lucius Brutus, Lucius Tarquinius Collatinus, (quem magistratum lingua ipsorum à consulendo nominatum, προβούλους à nobis appellari posse diximus) reuersis in vrbẽ *ciuibus* qui in castris fuerant, paucis diebus post quam pulsus esset tyrannus, & induciæ cum Ardeatibus factæ, assumpserunt multos alios; vocatoque in concionem populo, cum prolixe pro concordia disseruissent, nouo decreto confirmarunt ea quæ prius in vrbe sancita fuerant, perpetuoque Tarquinios exsilio mulctarunt. Post hæc lustrata vrbe, cæsisque victimis, primi ipsi super extis stantes iurarunt nunquam se reducturos ab exsilio regem Tarquinium, neque eius filios, neque illorum posteros: regem

I.

Olymp. 68. anno Vrbis cond. 245. primi conss. creati L. Iunius Brutus, L. Tarquinius Collatinus.

Romæ posthac creaturos neminem, neque creari passuros, atque hæc pro se proque suis liberis ac posteris iurauerunt. Sed quoniam reges multorum magnorumque bonorum reipublicæ auctores exstitisse videbantur, *propterea*, vt quantisper vrbs staret, regii imperii nomen conseruaretur, iusserunt, vt pontifices & augures designarent vnum è senioribus quam maxime idoneum, qui præter cultus diuini curam nulli alii præesset muneri. is ab omnibus militaribus *& ciuilibus* muneribus immunis, vocabatur Rex sacrorum. primusq; hunc honorem Romæ accepit Manius

II. Papirius vir patricius, quietis amantissimus. His ita constitutis, veriti (vt mihi quidem videtur) ne falsam vulgus de innouata repub. cóciperet opinionem, quasi pro vno duos vrbi reges præfecissent, quia vtrique consuli, vt ante regibus, duodecim secures præferebantur, decreuerunt ciuibus terrorem eximere, & potestatis inuidiam minuere. itaque instituerunt vt alterum consulum duodecim secures præcederent, alterum duodecim lictores cum solis fascibus; atque etiam cum furcis, vt à quibusdam est proditum; collegæque singulis mensibus secures sibi vicissin traderēt. Hoc institutum, & quædam alia huius generis nō pauca, effecerunt vt humilis plebs libenter in *præsenti* rerum statu acquiesceret. Leges enim Tullii de cōtractibus, humanas admodum & populares, quas in vniuersum Tarquinius sustulerat, reuocauerunt in vsum: & sacrificia quæ tam in vrbe quam in agris communi cœtu ab vrbanis & paganis fieri solebant, rursus ea diligentia qua sub Tullio iusserunt peragi. reddiderunt eis etiam ius comitiorum & suffragiorum de rebus maximis; ceteraque omnia iuxta priscas consuetudines facere permiserunt. Plerisque igitur grata erant hęc patriciorum instituta, quippe qui è diuturna seruitute ad insperatam libertatem redierant: reperti tamen inter eos quidam, qui stulta maiorum commodorū spe, adhuc tyrannicorum malorum desiderio tenerentur, viri non ignobiles: qui coniuratione facta polliciti sunt vrbe prodita Tarquinium ab exsilio reducere, consulesque interficere. Horum quinam duces fuerint, & quam insperato casu indicati sint, cum se putarent fallere omnium conscientiam, dicam vbi pauca quæ prius contigerunt ex-

III. posuero. Pulsus regno Tarquinius aliquamdiu Gabiis sub-

substitit, confluentes ex vrbe colligens quotquot libertati praeferrent tyrannidem, seque Latinae gentis ope imperio restitutum iri sperans. Sed cum preces eius negligerent hi populi, nec ipsius caussa Romanos bello impetere vellent, desperato auxilio in Etruscam vrbem se recepit, vnde materno genere ducebat originem. conciliatisq; sibi per munificentiam Tarquiniensium nobilium animis, in concionem ab eis productus, renouauit cognationem quae sibi cũ eo populo intercederet: enumeratisque beneficiis quae auus ipsius in vniuersam Etruriam contulisset, foederis etiã mentionẽ fecit, quod inter eos & illum ictum esset. postremo questus est de suo infortunio, qui vna die magna felicitate orbatus, erro & inops cũ tribus filiis coactus sit ad suos olim subditos confugere. Quae cum admodum miserabiliter, additis etiam lacrymis, perorasset, persuasit populo vt legatos Romam mitterent qui ei congrediendi *cum Romanis* copiam peterent: praesertim cum potentiores illic *ciues* in impetrando reditu eum adiuturi viderentur. His legatis ipsius electis arbitrio, preter mãdata quid dicere facereue deberent, litteras etiam dedit scriptas ab exilii sociis ad amicos & domesticos; addidit & auri nonnihil. Qui postquam Romam peruenerunt, admissi à patribus aiunt postulare Tarquinium, vt ipsi cum paucis tuto venire liceat, primum in senatum, vt par sit: deinde, si patres permiserint, etiam in concionem prodire, ibique omnium quae toto regni tempore gesserit, rationem reddere; ac si forte accusetur, subire iudicium totius populi Romani. quodsi dicta caussa probauerit omnibus se nihil exilio dignum perpetrasse, regnum se denuo, si reddatur, quibuscunque ciues voluerint conditionibus, administraturum: sin regibus, vt antehac, parere amplius nolint, sed aliam reipublicę formam instituere, mansurum in vrbe, patria sua, contentum domesticis facultatibus; & aequo cum ceteris ciuibus iure vsurum; exsilium tantum deprecari vitamq; vagam diuersis erroribus. His *mandatis* expositis orant senatum, primum per commune ius omniũ gentium, quod defensionem & iudicium negat nemini, vt illi quoque caussam suam dicere liceat, cuius ipsi futuri sint iudices. quodsi ipsum hac gratia non dignentur, saltem ciuitati pro eo deprecanti gratificentur, itaque moderata condonent quod

Tarquinii machinamenta.

ipsis nihil incommodi, & petentibus multum honoris conciliaturum videatur: vtque, homines cum sint, non supra humanam conditionem sapiant, nec immortales iras gerãt in corporibus mortalibus: sed vel præter animi sententiam ad æquitatem se demittant in deprecatorum gratiam; cogitantes prudentum virorum officium esse, amicorum caussa inimicis offensas remittere; contra insipientium & barbarorum, cum inimicis ipsos etiam amicos repellere.

XV. Ad hæc Brutus assurgens ita respondit: Quod ad Tarquiniorum in hanc vrbem reditum attinet, desinite Etrusci plura verba facere. Iam enim decretum est perpetuum eorum exsilium; omnesque per sacra Deorum iurauimus, nec reducturos nos tyrannos, nec reduci passuros. Siquid vero aliud non iniquum petitis, quod nec iuramento nec legibus vetemur facere, dicite. Tum progressi legati: Præter omnem exspectationem, inquiunt, prima nobis euenere. Agentes enim pro supplice rationem vobis reddere parato, ius commune omnium gentium ad priuatam gratiam impetrare non valuimus. Sed quoniam ita vobis videtur, de reditu Tarquiniorum amplius molesti nõ erimus: aliud quiddam non iniustum petimus ex mandato patriæ; quod lex nulla, nullum iusiurandum vos vetat facere: vt restituatis regi bona, quæ ante auus ipsius possedit, non vi dolo ue vlli vestrũ adempta, sed hereditario iure à patre accepta, & in hanc vrbem importata. Satis enim erit ei suis rebus receptis alibi beate viuere, nullo vestrę quietis periculo. His dictis legati *curiam* egressi sunt. Consulum alter Brutus bona retinenda censuit. tum mulctæ nomine, quod tyranni rempublicam multis & grauibus affecissent iniuriis; tum vtilitatis *publicæ* gratia, ne haberent belli ansam; docens nõ fore contentos receptis bonis Tarquinios, nec in priuata vita permansuros, sed ascitis externis populis bellum Romanis illaturos, reditumque ad imperium armis molituros. Collatinus suadebat contrariũ, dicens non opes tyrannorum, sed personas læsisse rempublicam; cauendaque duo *crimina*, ne incurrant infamiam publicam, quasi propter diuitias expulsis Tarquiniis; neue videantur iustã belli caussam eis præbuisse, nimirum exutis propriis facultatibus. incertum enim esse an receptis bonis bello tentaturi sint reditũ: manifestũ vero, non quieturos si rebus suis spolientur.

Hæc

Hæc cum perorassent consules, & in vtramque sententiam V. multi patrum irent, ambiguus consilii senatus, post aliquot dierum deliberationẽ, quia Brutus vtiliora, Collatinus iustiora suadere videbatur, tandem rem totã commisit iudicio populi. Deinde vbi post longam vtriusque consulis orationem ad triginta curiarum suffragia ventum est, adeo leui momento præponderarũt altera, vt hi qui retinenda bona censebant, ab alteris qui reddi iubebant, vno tantũ calculo victi sint. Etrusci post acceptum à consulibus responsum, multum laudata ciuitate quod maiorem iustitię quam vtilitatis respectum habuisset, Tarquinium per litteras certiorem fecerunt, recepturum esse bona: ipsi in vrbe restiterunt, simulantes se occupari in componẽda portatili supellectile, & distrahendis quæ agi ferrique non possent: sed re vera excutientes & molientes in vrbe quæ mandarat Tarquinius. nam & litteras ab exsulibus reddiderunt eorum necessariis, & alias ab eis acceperunt *remittendas* ad exsules: crebrisque colloquiis nunc horum nunc illorum explorabant animos: & quotquot inuenirent faciles corrumpi ob inconstantiam animi, victusue inopiam, aut desiderium explendæ sub tyrannide libidinis, partim spe ostentata, partim præsenti pecunia conabantur in partes suas pertrahere. Ac *Coniuratio urbana.* facile fieri poterat vt in vrbe ampla & populosa reperirentur quibus magis placeret status reipublicæ deterior, non solum inter obscuros, verumetiam inter nobiles; in quibus erant duo Iunii, Titus & Tiberius, filii Bruti consulis, vix tum puberes; & duo Gellii, Marcus & Manius, fratres vxoris Bruti, iam maturi tractandæ reipublicæ, & Collatini alterius consulis duo ex sorore nepotes, Lucius & Marcus Aquilii, æquales Bruti filiis; apud quos plerunque conueniebatur, patre non amplius superstite, consultabaturque de tyrannorum reditu. Itaque cum aliis multis argumentis VI. colligere licet res Romanas diuina prouidentia prouectas ad tãtam felicitatem, tum hoc præsenti non minimo. Tam dira enim amentia inuasit illos miseros, vt sustinuerint litteras propriis manibus ad tyrannum scribere, continentes coniuratorum multitudinem, & tempus destinatum opprimendis per insidias consulibus: persuasi tyranni ad se missis litteris, velle eum præscire, quibus Romanorum restitutus in regnum gratiam *pro meritis* referre deberet. Hæ litteræ

tali casu peruenerunt in manus consulum. Ad Aquilios Collatini sororis filios conuenerant coniuratorum capita, inuitati velut ad peragendum sacrificium. Post cœnam iussis ministris è conuiuio extra virilis œci fores secedere cōferebant inter se de reducendis tyrannis: quæque *cœtui* visa erant, manu propria referebant in literas, quas Aquilii *vna cum aliis epistolis* legatis Etruscis darent, & hi Tarquinio redderent. Interea Cæninensis quidam nomine Vindex, qui bello captus & seruus pincernam tum agebat, ex ablegatione illa suspicatus eos aliquid mali tractare, solus foris ad ianuam restitit; vbi & verba eorum audiuit,& litteras ab omnibus scribi vidit, ad quandam ostii commissuram perspicuam admoto oculo. Is intempesta nocte egressus, quasi ob aliquod negotium missus à dominis, ad consules quidem ire non ausus est, metuens ne propter affectum erga cognatos, rem celare volentes, indicem coniurationis tollerent. ceterum adito Publio Valerio, qui vnus erat è quatuor primis libertatis publicæ assertoribus, data dextra, fideque cū iureiurādo ab eo accepta, fraudi sibi id non fore, indicauit quæ audisset & vidisset. Ille re cognita, confestim cum magna clientum & amicorum manu ad ædes Aquiliorum aduolat appetente iam die: & ingressus quasi aliud quidpiam acturus, nondum digressis adolescētibus nemine prohibente potitus est litteris; ipsosque cōprehensos apud consules statuit.

VII. Quæ vero iam hinc dicturus sum facta alterius consulum Bruti magna & mira, quæ maxime à Romanis iactantur, vereor ne apud ceteros Græcos vt nimis dura fidem non inueniant: quandoquidē natura sic comparati sunt omnes, vt de iis quæ de ceteris *gentibus* narrantur, iudicium faciant è domesticis *exemplis*; & quæ *alioqui* sunt credibilia, apud se faciant incredibilia. dicentur tamen *nihilominus*. Simulatque dies illuxit, cum ascenso tribunali epistolas coniuratorum perlustraret, vbi filiorum litteras *primum* ex vtriusque sigillo, *deinde* post auulsa signacula *etiam* è manu agnouit, iussit primum vtramque à scriba recitari, audientibus omnibus qui aderant: deinde filiis dicendi, si vellent, dedit copiam. cumque neuter auderet impudenter negare, actum iamdudum de sua caussa iudicantes, flebant vterque. Ille paulum cunctatus surrexit, indictoque per præconem silentio, omnibus

exitum

exitum rei exſpectantibus, capitalem ſententiam in filios protulit. Cui voci reclamatum eſt ab omnibus: indignum quippe iudicabant, talem virum mulctari filiis, & vitam adoleſcentulorum donare patri volebant. Sed nec clamore motus nec eiulatibus, abduci eos à lictoribus iuſſit plorantes ſupplicanteſque & blandiſſimis ſe appellantes vocibus. Id quoque mirum viſum eſt, nihil eum flecti nec ciuium precibus nec miſeratione filiorum: ſed longe adhuc mirabilior immota in filiorum ſupplicio ſeueritas. nam neque è cōſpectu populi alio necandos abduci permiſit; neque ipſe priuſquam in eos animaduerſum eſſet, è foro abiit quo vitaret id ſpectaculum; neque ſine probris paſſus eſt irrogatas dare pœnas; ſed obſeruatis omnibus conſuetudinibus & legibus quæ de maleficorum ſuppliciis ſunt receptæ, in foro inſpectantibus omnibus virgis eos primum fœde lacerari, tum ſecuribus decollari iuſſit: iiſque omnibus, dum fierent, ipſe interfuit. Sed nihil æque miraculo fuit atque vultus intentus nulliſque commotus affectibus; cum ceteris omnibus caſum illum flentibus, ſolus ipſe nec fatum liberorum defleuit, nec orbitatem domus ſuæ lamentatus eſt, nec vllum aliud mollis animi ſignum edidit; ſed ſine lacrymis, ſine gemitu, immotis oculis, forti animo calamitatem pertulit. tam firmum animi robur viro ad exſequenda decreta ſuppetebat; tantæque ad comprimendas affectuū turbas vires. Necatis filiis mox vocauit collegæ ſororis filios Aquilios, apud quos coniurati conuenire ſoliti; iuſſoque ſcriba horum *quoque* litteras recitare, vt à tota circumſtantium corona exaudirentur, ait ſe illis cauſſæ dicendæ poteſtatem facere. Illi producti ad tribunal, ſiue monitu amici cuiuſpiam, ſiue ipſis hoc in mentem venerat, acciderunt ad auunculi genua, quaſi ipſius ope ſeruandi. cumque Brutus lictores iuberet, abſtractos eos ducere ad ſupplicium, ſi cauſſam nollent dicere, Collatinus innuens miniſtris vt abſtinerent pauliſper dum cum collega colloqueretur, ſeductum eum prolixis pro adoleſcentum ſalute precibus adortus eſt: excuſataque ætatis ignorantia, quæ malorum ſodalium conſuetudine in eam pertracta eſſet amētiam, petebat vnam ſibi hanc concedi gratiam, vitam cognatorum; nihil obturbaturo poſtea. addebatque periculū eſſe ne tota vrbs concitaretur, ſi omnes qui exſules in impe- VIII.

trando reditu iuuisse videretur, capite vellent plectere: multos enim esse, & quosdā non obscuris familiis natos. Quod cum persuadere homini non posset, postremo non capitalem sed mitiorem in eos pœnam statui postulabat: absurdū esse dicens, tyrannos exsilio mulctari, tyrannorum amicos morte. Cumque etiam pœnæ moderationem recusasset Brutus, nec in aliud tempus differri reorum iudicium vellet, (quod vltimum Collatini postulatum fuerat) immo eadem die se omnes interfecturum deieraret, ægre ferens Collatinus se nihil eorum quæ petierat impetrasse, Ergo, inquit, quando tu durus & austerus es, ego adolescentes absoluo, eadem qua tu potestate præditus. Tum Brutus exacerbatus, Certe me viuo Collatine nunquam patriæ proditores eripere *supplicio* valebis; immo tu quoq; breui pœ-
IX. nas quas par est lues. His dictis & custodia reis addita, conuocauit in concionem populum: plenoque foro (iam enim rumor casum filiorum eius per totam vrbem vulgauerat) progressus in medium cum senatorum honoratissimis, ita populum affatus est: Vellem equidem Quirites Collatinum hunc, collegam mihi additum, consentire mecum per omnia, & non verbis solum, verum etiam factis declarare infensum se ac hostem tyrannidi. nunc quoniā cō contra sentire video, coniunctum non tantum cognatione sed & voluntate Tarquiniis; agentemque de reconcilianda cum illis gratia, propria magis quam publica spectare cōmoda, & ipse prauos eius conatus cohibere paro, & vos ad idem faciendum exhortor. Dicam porro primum in quibus periculis versata sit respublica: deinde quomodo in iis nostrum vterque se gesserit. Aliquot ciues clam congressi in ædibus Aquiliorum, Collatini sororis filiorum; (inter quos & ambo mei filii, & vxoris meæ fratres, & alii quidam non ignobiles fuere) pacti inter se erant, & coniurati, me interfecto Tarquinium in regnum reducere; atque etiam epistolas manu sua scriptas, suisque sigillis obsignatas, missuri erant exsulibus. Ea *consilia* Deus aliquis nobis propitius indicauit per hunc hominem, seruum Aquiliorum; in quorum ædibus coniurati præterita nocte scripserunt litteras quæ nunc in nostris sunt manibus. Quamobrem ego de Tito & Tiberio filiis meis supplicium sumpsi; nec mea clementia vel legem vel iusiurandum fregi. Ceterum

Aquilios Collatinus mihi eripit, negans se passurum vt qui filiis meis fuerunt consiliorum socii, fiant iidem etiam socii pœnarum. Qui si hoc impune ferent, nec in vxoris meæ fratres nec in ceteros patriæ proditores licebit mihi animaduertere. quod enim maius ius in illos vsurpare mihi potero, si hos dimisero?

Cuius hoc rei signum vobis videtur: vtrum amoris ergà patriam, an tyrannis reconciliati animi? vtrum ad confirmationem iurisiurãdi pertinet quod nobis præeuntibus iurastis vniuersi, an ad violationem & periurium? Qui si nos fefellisset, diris obnoxius pœnas Diis dedisset quos peierat: nunc à nobis deprehensus, ad nostram animaduersionem pertinet: *quippe* qui nuper vobis persuasit bona tyrannis reddere, vt non reipublicæ contra inimicos, sed inimicis contra rempublicam essent vsui: nunc vero coniuratis in tyrannorum reditum, dandam censet veniam; nimirum vt illos ipsos demereatur: vt, siue proditione siue armis reditum sibi parent, hac inita ab ipsis gratia, velut amicus, omnia quæ poposcerit, impetret. Ergo ego qui meis non peperci liberis, tibi parcam Collatine; qui corpore nobiscum versaris, apud hostes habes animũ: & proditores patriæ seruas, me pro ea decertantem interficis. Quo pacto? Multum abest. At ne amplius tale quidpiam perpetres, magistratum tibi abrogo, & alio te migrare iubeo. Vobis Quirites, conuocatis è vestigio centuriis, calculum permitto, vt decernatis an hæc rata esse debeant. Interim hoc scitote, vos alterum è duobus, vel Collatinum habituros consulem, vel Brutum. X.

Hæc loquenti Collatinus indignabundus reclamabat, insidiatorem proditoremque amicorum identidem appellans; & nunc obiecta sibi crimina diluens, nunc pro nepotibus deprecans, & calculum ciuibus cõtra se permittere detrectans, populum exacerbabat, cunctisque dictis suis graues tumultus excitabat. Itaque exasperatis in eum ciuibus, & neque defensionem eius neque preces admittentibus, sed calculos poscentibus, socer eius Spurius Lucretius, gratiosus apud populum, timens illi ne cum contumelia magistratu & vrbe pelleretur, petiit ab vtroque consule dicendi veniã: primusq; omniũ hoc impetrauit, vt tradũt Romanę historię: cũ eo tempore nondũ mos esset pro côcione XI.

loqui priuatum hominem. Is communi ad vtrumque conſulem directa petitione, Collatinum monebat ne cum iratis contenderet, neue magiſtratum retineret inuitis ciuibus, quem accepiſſet à volentibus; ſed ſi illis traditum repoſcere liberet, ſponte deponeret, criminaque re potius quã verbis refelleret: tum domicilium alio quocunque terrarũ loco ſibi quęreret, deportatis ſecum omnibus facultatibus, tantiſper dum in tuto eſſet reſpublica; quando id populo expedire videretur: cogitaretque, ceteris delictis *tum demũ* cum perpetrata ſunt, iraſci ſolere homines; ſi qua vero proditionis incidat ſuſpicio, prudentius eſſe vel vano metu eam præcauere, quam ea per ſecordiam contempta opprimi. Rurſum Bruto ſuadebat ne turpiter & probroſe collegam vrbe pelleret, cum quo optima pro rep. ceperit conſilia: ſed ſi ille imperium deponere vellet, & ſponte è patria excedere, cuncta eum bona ſua per otium transportare ſineret, & donum aliquod è publico adderet, vt ſe in ſua calamitate populi munificentia conſolari poſſit.

XII. Hæc viri ad vtrumque *conſulem* monita cum ciues approbaſſent, Collatinus multis vicem ſuam deplorans, quod cognatorum commiſeratione, nulla ſua culpa deſerere patriam cogeretur, magiſtratu ſe abdicauit.

Collatinus magiſtratu ſe abdicat.

Brutus laudata eius prudentia, quod tum ſibi tum reipublicæ conſuluiſſet optime, rogabat ne ea de cauſſa vel ſibi vel patriæ fieret infenſior; vtque etiam poſt mutatum domicilium *nihilominus vrbem* quam relinqueret, patriæ loco haberet, ſeque eius hoſtibus nec dictorum nec factorum ſocium adiungeret; atque in ſumma migrationem iſtam peregrinationem potius crederet quã fugam aut exſilium; & corpus alio transferens, animũ apud dimittentes ſe relinqueret. His Collatinum exhortatus, perſuaſit populo vt illi viginti talenta donarent *ex ærario*; quibus ipſe quinque de propria pecunia addidit. Tarquinius ergo Collatinus fortuna ſic ferente profectus eſt Lauinium Latinæ gentis metropolim; vbi ſenex fato functus eſt.

XIII. At Brutus nolens ſolus imperare, ne ciues ſuſpicarentur eum regni cupidine collegam expuliſſe patria, mox cõuocato populo in campum *Martium*, vbi mos erat reges & ceteros magiſtratus creari, collegam aſſumpſit Publium Valerium, à Sabinis oriundum vt diximus, virum tum aliis multis nominibus laude admirationeque dignum, tum in

P. Valerius in Collatini locum ſubrogatus.

primis

primis ob frugalitatem. inerat enim huic innatum quoddam ſapientiæ ſtudium, vt in multis eius factis apparuit, de quibus dicetur paulo poſt. Cum hoc igitur per omnia conſentiens, continuo ſupplicium ſumpſit de omnibus quotquot ſuper reducendis exſulibus coniurauerant. Seruum vero qui coniuratos indicauerat, non modo libertate multiſque pecuniis donarunt, ſed etiam iure ciuitatis honorarunt. Deinde tribus egregiis & reipublicæ vtiliſſimis inſtitutis aluerunt pariter concordiam ciuium, & diminuerunt factionem regiam. fuerunt autem hęc. Primum præcipuos ex plebe allegerunt in patriciorum ordinem, & ex his ſenatum ſuppleuerunt ad trecentorum numerum. Deinde bona tyrannorum in medium protulerunt; ciuibuſque quantum quiſque vellet inde auferre permiſerunt: agrum vero quem illi *priuatim* poſſederant, diuiſerunt ciuibus agro carentibus: vno tantum campo excepto, qui ſitus eſt inter vrbem & fluuium. quem, cum iam olim Marti ſacer eſſet, ſuperior ætas *nouo* decreto eidem Deo conſecrauerat, aptiſſimum & equis *paſcendis* pratum, & iuuentuti in armis exercēdæ gymnaſium: Tarquinius vero in ſuos vſus verſum conſerere inſtituerat; vt ſatis arguit decretum quod conſules tunc de iſtius campi frugibus promulgarunt. cum enim omnia tyrannorum bona agenda ferendaque permiſiſſent populo, quidquid frumenti erat in eius campi areis vel in ſtipula vel tritum iam, nulli permiſerunt aſportare, ſed vt exſecratum nec in horrea inferri licitum, in profluentem abiici iuſſerunt: & nunc quoque manet euidens eius facti monumentum, inſula ſatis magna, quæ Æſculapio ſacra eſt, & flumine cingitur, concreta (vt fertur) è frumenti aceruis putrefactis, & paulatim aggeſtis à flumine *quiſquiliis* facta auctior. Poſtremo ciuibus qui cum tyranno profugerant, reditum in patriam cum impunitate *præteritarumque* offenſarum omnium obliuione conceſſerunt, præſtituto viginti dierum ſpatio; intra quod ſiquis non rediſſet, perpetuo exſilio mulctaretur, & bona eius in *ærarium* publicum referrentur. His inſtitutis effectum eſt vt qui è bonis regiis quantulumcunque adepti erant, ne oblatis ſibi commodis rurſum priuarentur, alacres eſſent ad ſubeunda quæuis pericula: qui vero conſcii ſibi alicuius facinoris ſub tyrannis perpetrati, metu iudicii *ſpontaneo* ſe damnauerant

Res vrb.

exsilio. timore hoc liberati, desertis tyrannis in patriæ partes concederent. Post hæc consules comparatis rebus ad

XIV. *Res bell.* bellum necessariis, copias prope vrbem in campis continebant sub signis & ducibus, vacantes interim militaribus exercitiis: quod audiuissent exsules ex omnibus Etruscorũ oppidis exercitum contra se colligere, duosque populos ex professo illos in obtinendo reditu adiutare, Veientes & Tarquinios, missa vtrinque non contemnenda militum manu: ex reliquis adesse eis voluntarios, vel ab amicis missos vel conductitios. Vbi vero hostes iam *ad bellum* egressos cognouerunt, occurrendum esse rati, priores traiecerũt fluuium, atque inde progressi, non procul ab Etruscis castra metati sunt in pratis Iuniis ad siluam sacratam heroi Arsio. & forte acciderat vt pares vtrinque essent copiæ, sicut numero, ita & pugnandi cupidine. Vt in conspectum ventum est, primi equites, antequam castra fixissent pedites, congressi inter se, virtutis fecerunt periculum; & post breuem velitationem vtrique se receperunt ad suos, nullo insigni accepto vel illato incommodo. Deinde vtrinque in aciẽ prodierunt pedites simul & equites, eodem modo instructi; positis in medio peditibus, & collocatis in vtroque cornu

XV. equitibus. In dextro cornu Romanorum, Valerius consul præerat, oppositus Veientibus: in sinistro, Brutus, ex aduerso Tarquiniensium, quos ductabant regis Tarquinii filii. Congressuris iamiam aciebus, prouectus ex Etrusca acie Aruns Tarquinius, animi ac corporis robore fratrum præstantissimus, cum equum eo adegisset vnde facies eius agnosci & vox exaudiri à Romanis posset, incessebat Brutum conuitiis, bestiam immanem appellitans contaminatam filiorum sanguine; exprobrataque interim ignauia & timiditate, postremo eum ad singulare certamen prouocabat, solus cum solo de rerum summa dimicaturus. Tum dux Romanus, probrorum impatiens, concitato equo *procurrit & ipse* extra ordines, contemptis amicorum dehortationibus ad fatalem mortem fortiter properans. Pari vterque ira concitati, tanto impetu equos ex aduerso committunt, vt dum neuter quid passurus, sed quid acturus sit cogitat, sarissis per clypeos, & thoraces adactis, certo vterque ictu sit confossus, cuspide alter in costas, alter in ilia impacta. equi etiam collisis impetus vehementia pectoribus,

bus, in posteriores pedes eriguntur; sublataque ceruice sessores excutiunt. Quibus ita iacentibus & luctantes animas multo cum sanguine effundentibus, reliquę copiæ vt duces prostratos videre, magno clamore ac strepitu concurrunt; summaque virium contentione dimicatur vtrinque, tam ab equitibus quam à peditibus; fortuna quoque non dissimili. Dextrum cornu Romanum, cui consulum alter Valerius præerat, profligatos Veientes vsque ad castra persecutum, *medium* campum repleuit cadaueribus. Dextrum item Etruscorum, ductu Sexti & Titi Tarquinii regis filiorum, vicit *egregie* Romanos in sinistro cornu sibi oppositos: cumque ad hostium castra peruenissent, conati sunt munitionem illo impetu capere: sed repulsi à præsidio, acceptis multis vulneribus recedere sunt coacti. constabat autem præsidium istud ex triariis quos vocant, veterano multisque bellis exercitato milite: cuius opera in maximis vti solēt periculis, cū rebus plane desperatis extrema subeunda est alea. Sub solis occasum *demum* in sua vtriq; castra reuersi sunt, non tam læti victoria, quam mæsti occisorum multitudine; quod vix suffecturi viderentur instaurando si opus esset prœlio: tam multi erant inter superstites saucii. sed maior apud Romanos mæstitia & desperatio fuit propter ducis interitum; adeo vt multi castra ante lucem deserenda iudicarent. Inter huiusmodi cogitationes & colloquia, circa primam ferme vigiliam è silua ad quam castra habebant vox quædam ad vtriusque partis aures appulsa est, vt ab omnib⁹ exaudiretur; siue ea herois fuit, cuius istud fanum est; siue Fauni quem vocant. ad hunc enim auctorem Romani solent referre panicos terrores, omnisque generis spectra. nam siquando insolitæ species oculos hominum exterrent, vocesue diuinæ aures eorum percellūt, numini huic opus illud tribuūt. Ista igitur dæmonis vox Romanos bono esse animo iussit, vt victores; vnoque plures ex hostium parte cecidisse dixit. Qua voce animatus Valerius fertur profunda adhuc nocte in Etruscorum irruisse vallum; multisque cæsis, reliquis fugatis, ipsa cepisse castra. Hoc fine terminata pugna, Romani postridie spoliatis hostium cadaueribus, suis humatis, *domum* abierunt. Bruti corpus corona fortitudinis decoratum fortissimi exercitus equites cum multis laudibus XVI.

& lacrymis in vrbem retulerunt. Venientibus obuiam iuit senatus, ducemque triumphali pompa decorari iussit: populus vniuersus crateris & mensis *plenis* excepit exercitum. Vt ventum est in vrbem, consul, vt post victorias soliti erāt reges, deducta pompa triumphali, factaque re diuina, & dedicatis spoliis, diem illum sacrum duxit, nobilissimosque ciues epulo excepit. Postera die pullatus ipse Bruti corpus in foro proposuit in lectica ornatissima: aduocatoque in concionem populo, & conscenso tribunali, funebrem orationem habuit. Qui mos tumne primum institutus sit à Valerio, an à regibus Romanis traditus, certo affirmare non possum. Sed quod Romanorum vetus inuentum sit in clarorum virorum funere virtutes illorum laudare, nec à Græcis hoc primum institutum esse, è communi historia compertum habeo, quam poetæ antiquissimi & scriptores nobilissimi ad nos transmiserunt. nam certamina quidem tum gymnica tum equestria in illustrium virorum funeribus ab amicis instituta narrant, vt ab Achille in Patrocli funere, & ante ab Hercule in funere Pelopis. at laudes eis dictas fuisse, nemo prodidit præter Atheniensium tragicos, qui adulantes vrbi suæ, sepelienti *OEdipodas* Theseo id quoque affinxerunt. Sero enim Athenienses funerum legibus laudationem addiderunt; siue id in iis primum fecere qui ad Artemisium, ad Salaminem, & ad Platæas pro patria pugnantes occubuerunt; siue in *iis qui* Marathonico prœlio *periere*. & vt demus morem hunc cœpisse à Marathonensi pugna, hæc quoque sedecim annis funere Bruti est posterior. Quod siquis omissa hac disquisitione, quinam primi funebres laudationes instituerint, ritum ipsum harum laudationum examinet apud vtros se melius habeat, videbit hic tanto meliorem quam illic, quod Athenienses iis tantum qui in bellis periissent, funebres laudationes instituisse videntur; ex vna obitus virtute, etiamsi in ceteris forte nihili fuisset, fortem virum censendum esse iudicantes: Romani vero omnibus claris viris, siue illi bello administrādo præfuissent, siue rempublicam in magistratu prudentibus consiliis & factis egregiis adiuuissent, eum honorem habuerunt, non tantum in bello defunctis fato, sed quemcunq; vitæ sortitis exitū rati bonis laudem deberi ob quas-

Bruti funus & laudes.

XVII.

quaslibet vitæ virtutes,non solum ob gloriosum obitum. XVIII.
Hic finis fuit Iunii Bruti,qui post expulsos reges primus consul creatus,sero inclaruit: & quamuis exiguo temporis spatio floruerit, habitus est *nihilominus* omnium Romanorum præstantissimus. Liberos nullos reliquit superstites, nec mares nec fœminas, sicut proditum est à Romanorum diligentissimis; præter alia multa hoc *insigni* argumento, cui non facile est contradicere, quod ille patricii generis fuerit. qui vero se dicunt eius familiæ posteros, Iunii & Bruti, omnes fuere plebeii, & magistratus gesserunt quos à plebeiis geri leges permittunt, ædilitates & tribunatus videlicet:consulatus vero solis dabantur patriciis.sero tandem ad hunc quoque magistratum admissi sunt, cum scilicet etiam plebeiis ad hunc honorem datus est aditus. Verum hæc aliis accuratius discutienda relinquimus, quorum id interest,vel qui curant talia.

Porro post Bruti obitum collega eius Valerius in suspicionem venit apud populum,quasi regnum affectaret:primum,quod solus teneret imperium; cum statim sibi collegam asciscere debuisset, vt eiecto Collatino fecerat Brutus.deinde,quia in loco inuidioso ædificabat.is est tumulus foro imminens, altus satis & præruptus: Romani Veliam vocant. Admonitus autem à familiaribus,hæc moleste ferre populum, indicto comitiis die consulem legit Spurium Lucretium. quo post paucos dies defuncto, in eius locum subrogauit Marcum Horatium. Domicilium è summo tumulo in imum *cliuum* transtulit, vt ciues eum (sicut ipse pro concione dixit) è superiore loco lapidare possent, si in aliquo delicto deprehenderent. Et vt firmius populo persuaderet se publicæ libertatis studiosum esse, ademit secures fascibus: moremque post se reliquit consulibus, qui vsque ad mea tempora perdurauit, vt tantum extra vrbem securibus vtantur, intra mœnia contenti solis fascium insignibus. Leges quoque humanissimas tulit ad tutandam plebem: vnam, in qua diserte cauit nequis Romæ magistratum gereret iniussu populi; mortis pœna proposita siquis contra faceret;& impunitate concessa, siquis talem occideret. alteram,in qua statutum est, siquis magistratus vnum aliquem ciuem capite plectere,aut flagris cædere,aut pecuniis mulctare velit,licere priuato prouocare ad populi iudi-

XIX.

Valerius adsciscitis sibi colleges quæ instituerit in republ.

ctum: nec interim magistratui licere in eum animaduertere, donec populus suffragiis suis de eo statuerit. Ob hæc instituta gratiosus apud plebem inuenit cognomen Poplicolæ; quod Græcis δημοκηδῆ significat. atque hæc sunt gesta illius anni consulum.

XX. Sequenti vero consules creantur is ipse Valerius iterum, & cum eo Lucretius: nec aliud eo consulatu memorabile actum est præter censum & bellicorum tributorum ordinationem ex instituto regis Tullii: quæ toto Tarquinii regno intermissa, tunc primum ab his consulibus in vsum reuocata sunt. reperta eo censu ciuium Rom. qui pubertatem attigissent, centū triginta millia Et Sinquiriū milites missi, eius loci prǫsidio; quod *opportune* Latinorū Hernicorumq; oppidis immineret, vnde bellum exspectabatur eo tēpore.

A.V.C.246 conss. P. Valerius II. & T. Lucretius

XXI. P. Valerio Poplicola tertium, Marco Horatio iterum consulibus, Lars Porsena Clusinorum rex in Etruria, qui Tarquinios ad se confugientes exceperat hospitio, pollicitus effecturum se duorum alterum, vt aut reconciliati suis ciuibus restituerentur in patriam & imperium, aut saltem adempta bona reciperent: quoniam superiore anno missis Romam legatis mixtas minis preces afferentibus, neque reconciliationem eis & reditum impetrauerat, senatu deuotionem & iusiurandum caussante; neque bonorum restitutionem, iis quibus ea rapto sortitove obtigerant restituere detrectantibus, grauem sibi iniuriam *hac repulsa* illatam interpretans, qui neutrum è postulatis obtinere valuisset, homo arrogans & inflatus diuitiis amplissimoque imperio & pecuniarum vi, ratus se nactum præclaram occasionem subuertendi Romanorum imperii, quod iam ante *in animo* destinauerat, bellum eis indixit. in eius belli societatem se maxima studii significatione obtulit Octauius Mamilius Tarquinii gener, è Tusculo eductis copiis: assumptis Camerinis & Antemnatibus Latini generis populis; qui omnes aperte iam à Romanis defecerant. quin & è reliquis Latinis qui cum vrbe fœderata & præpotente bellum ex professo fine caussa necessaria gerere nolebant, multos (vt valebat gratia) voluntarios ad se pellexerat *idem Mamilius.*

A.V.C. 247 conss. P. Valerio III. & M. Horatio II. bellum Etruscum.

XXII. His cognitis consules primum agrestium vulgus res suas, pecora, & mancipia transferre in proximos montes iusserunt

iusserunt, castellis per loca munita dispositis ad quæ tuto posset confugi. Deinde Ianiculum (qui excelsus mons est, non procul vrbe trans Tiberim fluuium situs) firmioribus munitionibus & præsidiis emunierunt, modis omnibus dantes operam ne *tam* opportunus ad vrbis oppugnationem locus in hostium potestatem veniret, bellique apparatus ibidem reposuerunt. Vrbana quoque magis ad populi gratiam composuerunt, multisque perhumanis institutis deliniuerunt pauperes, ne propriis commodis illecti, prodita republica transirent ad tyrannos. namque immunitatem eis decreuerunt ab omnibus muniis publicis quæ sub regibus obibantur, simulque à tributis in milites & bella impendendis: amplum reipublicæ emolumentum esse rati, si pauperes corpora tantum ad defensionem patriæ offerrent. cumque paratum iam & diu exercitatum haberent militem, in campo ante vrbem castra metati sunt. At Porsena cum exercitu veniens, Ianiculum primo impetu capit, exterritis loci præsidiariis, suumque ibi præsidium collocat. Ad vrbem deinde pergens, quasi & hanc sine labore occupaturus, vbi propius pontem venit, & Romanos in ripa procubantes vidit, expediebat se ad pugnam, quasi obtriturus eos *suorum* multitudine, contemptimque admouebat copias. Sinistrum cornu ductabant Titus & Sextus Tarquinii, habentes circa se manum exsulum & florem Gabinę iuuentutis, pręter externi ac mercenarii militis non exiguum numerum. Dextrum tenebat Tarquinii gener Mamilius, cum Latinis qui à Romanis defecerant; Porsena versabatur in acie media. In Romanorum dextro cornu Spurius Largius & Titus Herminius Tarquiniis erant oppositi: sinistrum tuebantur Marcus Valerius Poplicolæ consulis frater, & Titus Lucretius superioris anni consul, conflicturi cum Latinis & Mamilio: mediam aciem tenebant ambo consules.

Vbi ad manus ventum, diu acriter vtrinque pugnatum est, neutris cedentibus, quod Romani Latinis Etruscisque præstarent animi robore reique militaris peritia; Etrusci vero & Latini Romanis longe superiores essent numero. tandem post multam vtrinque cædem editam Romanos timor subiit, in sinistro cornu primũ, quod vidissent duces Valerium & Lucretium ex acie re- XXII.

ferri saucios. quibus fugientibus, dextrum quoque cornu iam vincens Tarquinios, idem metus corripit ita cunctis in vrbem refugientibus, & confertim per vnum pontem irrumpentibus, hostes à tergo magno instant impetu: parumque abfuit quin vrbs *eo die* vi capta sit, immunita qua flumine alluitur, *& hosti obnoxia* si irruisset vna cum fugientibus. tres *tantum* viri sustinuerunt hostis impetum & seruauerunt totum exercitum, Spurius Largius & Titus Herminius, dextri cornus duces, è senioribus; è iunioribus, Publius Horatius, Cocles cognomine, quod illi ex oculi vitio in pugna effossi est inditum, vir egregia forma, & singulari animi virtute præditus. hic consulum alterius Marci Horatii fratris fuit filius, nobili genere oriundus ab vno trigeminorum Marco Horatio, illo qui *olim* Albanos trigeminos vicerat, cum orta inter ciuitates de imperio controuersia, ex pacto non totis copiis, sed tribus *tantum* vtrinque viris, certamen de rerum summa commissum est, vt in superioribus libris exposui. Hi soli ante pontem stantes, transitum hostibus diu præcludebant, & licet variis vndique telis impeterentur, gladiisque comminus incesserentur, in eodem tamen perstabant gradu, donec totus exercitus transisset fluuium.

XXIII. At cum in tuto iam esse miles videretur, Herminius & Largius, armis iam ictuum multitudine vitiatis, paulatim retulerunt pedem. Solus Horatius consulibus & ceteris oppidanis reuocantibus, talemque virum patriæ & parentibus seruari summe cupientibus, non obediit, sed seruata prima statione, Herminium consulibus ex se renuntiare iussit vt pontem ab vrbe quam celerrime reciderent: (erat is illo tempore vnicus, è ligno factus, & sine ferro solis compactus tabulis; qualis huc vsque conseruatur à Romanis) atque vbi soluta maiori parte, exigua pontis superesset compages, sublata voce aut alio modo signum sibi darent; tum sibi curæ fore cetera. Hæc cum duobus illis dedisset mandata, fixo in ponte gradu, irruentium alios gladio, alios scuti *vmbone* repulit; & quotquot in pontem irrumperent, tam fortiter repressit, vt nemo amplius cum eo ceu furente & mortem appetente congredi auderet. ac ne accessus quidem iam erat facilis, quod eum à dextris & sinistris tueretur fluuius; à fronte, armorum & cada-

Horatii Coclitis virtus.

cadauerum congeries. eminus tantum à densa hostium caterua impetebatur lanceis, sudibus, & saxis manualibus; aut, si hæc deerant, cæsorum clypeis & gladiis. at ille se tuebatur retortis in eos telis suis: semperque scopum aliquem attingebat, vt fit in confertis aduersariis. iamque *armis vndique* confixis, & membris magna ex parte vulneratis, cum ex vno lanceæ ictu, quæ aduerso supra caput femoris coxam alteram perfoderat, tam graues dolores pateretur, vt vix insisteret, audit à tergo clamantes solutam esse maximam pontis partem.

Ibi se *mox* sic vt erat armatus in amnem deiicit: & ægre quidem, (quod cursus amnis circa iugorum fulcra scissus, citatior esset, & magnos efficeret vortices) tamen ad suos saluis etiam armis omnibus per flumen enatauit. quæ res immortalem ei gloriam peperit. nam statim eum ciues coronarunt & cum virtutum præconio velut vnum ex heroibus in vrbem intulerunt effusa etiam ex ædibus multitudo ad extremum viri conspectum certatim properabat; quippe quem putabant propter vulnera non diu fore superstitem. Vbi vero euasit mortis periculum, populus ei armatam ex ære statuam in præcipuo fori loco posuit: agrique tantum dono dedit ex publico, quantum ipse vno die vno boum iugo circumararet. Adhæc præter ea quæ dabantur è publico, quisque pro suo capite, tam mulieres quam viri, cum summa rerum penuria laborarent omnes, tantum contulere quantum in vnius diei alimenta sufficeret, cum essent supra tria millia capitum. Hoc virtutis specimen Horatium tunc, si vllum alium, admirabilem fecit ciuibus, sed ad reliqua reipublicæ munera inhabilem. nam ob clauditatem nec consulatum, nec vllam aliam præfecturam militarem nactus est. Cum igitur tam admirãdam eo bello Romanis operam nauasset, laudem, siquis alius fortitudinis nomine celebris, meruit: & præter hunc Caius Mucius Cordus, illustri loco natus, & ipse magnum quiddam ausus, vt dicemus paulo post, vbi prius exposuerimus difficultates in quibus tum erat respublica. XXIV.

Nam post illud prœlium rex Etruscorum in proximo monte vnde præsidium Romanum eiecerat castris positis, in potestate habebat quidquid agri erat vltra Tiberim. & Tarquinii iuuenes cum affine suo Mamilio impositas ra- XXV.

tibus & ſcaphis ſuas copias in ripam Romanam traiecerant, & loco munito caſtra fixerant: vnde excurrendo agros vaſtabant, villas diruebant, pecora paſtum è caſtellis progreſſa intercipiebant per inſidias. cumque quidquid extra muros eſſet teneretur ab hoſtibus, & nec ex agris nec per fluuium commeatus niſi raro importarentur, breui fuit ingens inopia, cum tot milia, quidquid comparatum eſſet, quod tamen erat exiguum, abſumerent. tum multa quotidie mancipia deſertis heris transfugiebant: & è plebe nequiſſimus quiſque ad tyrannos deficiebat. Hæc conſiderantibus conſulibus placuit ad eos Latinos, apud quos videretur ſupereſſe aliqua cognationis reuerentia & amicitiæ reſpectus, legatos mittere ad impetranda celeriter auxilia: & alios Cumas in Campaniam, & ad Pometini campi oppida, qui frumenti exportandi copiam ſibi dari peterent. Latini recuſarunt auxilia, quod religione vetarentur tam contra Tarquinios quam contra Romanos bellum gerere, quandoquidem commune cum vtriſque ſocietatis fœdus pepigiſſent. E Pometino campo Largius & Herminius frumentatum miſſi multas ſcaphas vario commeatu oneratas è mari per fluuium noctu ſilente luna clam hoſtibus ſubuexerunt. Sed hoc quoque intra paucos dies abſumpto, cum iterum inopia premerentur ciues, Porſena, vbi ex transfugis didicit *vrbanos* fame laborare, per caduceatorem poſtulauit vt Tarquinium reciperent, ſi bello & fame liberari vellent.

XXVI. Id cum Romani grauarentur facere, malentes pati extrema omnia, Mucius videns duorum alterum euentuum, vt aut inopia coacti tandem decederent de propoſito, aut in ſententia perſtantes miſerrimo mortis genere perirent, impetrata à conſulibus adeundi ſenatus poteſtate, quaſi allaturus aliquid neceſſarium, ita locutus eſt: Patres conſcripti, audax facinus cogitans, quo præſentibus malis liberetur reſpublica, fidenti ad rem gerendam ſum animo, meque facile confecturum puto. ceterum ſuperfuturum me poſt perpetratum facinus in vita, non magna ſpes eſt, vel, ſi verum fatendum eſt, nulla potius. In tantum periculum me ipſe coniecturus, rogo vt, cum de magnis rebus aleam ſim iacturus, ſi forte fruſtrati fuerint conatus mei, ne lateam omnes; ſed ob

C. Mucii Cordi cordatum facinus.

præclarum

præclarum facinus debitas laudes promerear, è quibus pro mortali corpore gloriam immortalem recipiam. apud populum effari quid facere cogitem, non est tutum, nequis proprii commodi caussa rem ad hostes deferat, cum ea non secus atque arcanum mysterium silentio sit tegenda. vobis vero, quos arcana continere posse credo, primis & solis ea proditurus sum, vt per vos suo tempore ceteri cognoscant ciues. Facinus porro quod aggredi cogito, hoc est: *sumpta* transfugæ specie, castra Etruscorum accedam, vbi si suspectum me occiderint, vnus tantum ciuis decedet vestro numero. quod si intromitti contigerit, regem hostium interficere vobis polliceor. Cæso Porsena vobis belli erit finis, mihi vero accidet quod Deo visum fuerit. Hæc sunt quorum vos volui esse conscios, & testes *olim* apud populum. nunc ab eo duce fortuna patriæ. Senatus collaudatum *iuuenem* ire iussit bonis auibus. Ille transmisso fluuio vbi ad castra Etruscorum peruenit, introgreditur, simulata Tusci specie deceptis portarum custodiis: *quod eo fuit facilius, quia* nec telum vllum gestabat propalam, & lingua vtebatur Tuscanica, quam puer à nutrice Etrusca didicerat. Vbi in forum & ad prætorium venit, conspicit hominem corporis proceritate ac robore insignem purpura indutum, & pro tribunali sedentem, circumstante magno armatorum numero: falsusque opinione, vt qui nunquam Etruscorum regem viderat, hunc esse Porsenam suspicatus est. sed erat scriba regius, & tum pro tribunali recensens milites diuidebat eis stipendia. Ad eum scribam per circumfusam multitudinem accessit, & nemine vt inermem prohibente, conscenso tribunali, stricto quod sub veste texerat ferro, in caput hominem ferit: quem cum vno ictu interemisset, comprehensus mox à circumstantibus, ad regem, qui de scribæ cæde iam cognouerat, perducitur. Tum rex, vt hominem vidit, Scelestissime, inquit, omnium mortalium, & mox dignas dature pœnas, quis es? vnde venis? quo auxilio fretus ausus es tale facinus? solumne scribam meum, an me quoque interficere decreueras? quos habes insidiarum socios? caue quidquam mentiaris, nisi mauis per tormenta veritatem exprimi. XXVII

Ad hæc Mucius, nec colore mutato, nec vultu cogita- XXVIII

bundo, nec vllo alio signo qualia solent in mortis periculo accidere, metum præferens; Romanus sum, inquit; nec leui de caussa, sed vt patriam ab hoc bello liberarem, in vestra me castra contuli, sub transfugæ specie te volens interficere; non ignorans moriendum mihi siue succederet conatus, siue non; donaturus tamen vitam meam ei quæ me protulit, & pro mortali corpore immortalem recepturus gloriam. nunc spe frustratus pro te scribam, quem non noueram, occidi; deceptus purpura & sella ceterisque potéstatis insigniis. Mortem igitur, quam facinus aggressurus ipse mihi destinaui, non deprecor. Quod si tormenta ceterasque vexationes mihi te remissurum fidem cum iureiurando dederis, polliceor me tibi rem magnam indicaturum quæ ad incolumitatem tuam pertineat. Hæc ille, parans vaframento militari circumuenire hominem. Rex mente consternatus, & periculum sibi à tot hominibus imminere vane augurans, fidem iureiurando confirmat. Ibi Mucius nouam doli rationem commentus, quam difficile esset deprehendere: Treceenti, inquit, Romani iuuenes, è patriciis orti omnes, de te interimendo consilium cepimus, datamque & acceptam fidem iureiurando firmauimus. cumque de modo insidiarum consultaremus, placuit nō omnes simul rem aggredi, sed alium post alium; nec alium alii de tempore, loco, modo, aut occasionibus aggrediendi facinoris quidquam communicare: vt eo facilius latere possimus. His ita decretis sorti commisimus quis nostrum primus faceret rei periculum; ea sors mihi obtigit. Ergo præmonitus tam multos fortes iuuenes eandem mentem habere eandemque gloriæ cupidinem, quorum aliquos esse me feliciores necesse est, considera quibus te contra omnes munire queas custodiis.

XXIX. His auditis rex iussit satellites abducere illum in vincula, asseruandum magna diligentia: ipse assumptis fidissimis amicis, cumque his Arunte filio, dispiciebat quomodo declinare posset coniuratorum insidias. Ibi cum ceteri stulta securitatis consilia protulissent, nec quisquam illorum quid facto opus esset satis intelligere videretur, tandem filius ipsius seniorem ætate sua sententiam dixit: spectandum censens non quibus custodiis se contra insidias illas muniret, sed quo pacto cautione illa non indigeret.

Admi-

Admirantibus hanc sententiam omnibus, & percontante *patre* quonam modo id posset fieri: Si, inquit, istos viros amicos ex hostibus feceris; & tuam vitam exulum restitutione cariorem habueris. Rex optimum esse consilium dixit; *unam* tamen superesse deliberationem, quomodo honestis conditionibus pax fieret: quod turpe videretur, hostibus prœlio victis & intra mœnia compulsis, obsidionem relinquere, nullo eorum quæ Tarquinius exspectarit confecto, quasi à victis vinceretur, & eos fugeret qui ne portis quidem prodire auderent. nec alium esse honestum deponendæ simultatis modum, nisi ipse prius per legatos prouocaretur ad amicitiam. Hæc tum amicis & filio respondit: post aliquot tamen dies ipse prior coactus est pacis mentionem facere, ob caussam huiusmodi. dum hostis palabundus per agros, operam quotidianam daret intercipiendis commeatibus, Consules Romani dispositis per opportunos locos insidiis interfecerunt multos, plures captos *in vrbem secum* abduxerunt. Quem casum moleste ferentes Etrusci, regem ducesq; ceteros in cõuenticulis incusabant, quod bellum tam diu traherent; & redire ad suos cupiebant. Ratus ergo pacem omnibus gratam fore, in legationem mittit amicorũ intimos. his quidam Mucium dicunt additum, fide regi de reditu cum iuramento data: alii detentum in castris pro obside, donec conuenisset inter partes de pace: quod est verisimilius. Mãdata porro legatis XXX.
à rege data, erant hæc: de Tarquiniorum reditu nullam mentionem facerent, sed eis bona tantum sua repeterent, præsertim ea quæ & à Tarquinio Prisco eis relicta, & ab ipsis legitime parta essent. id si obtineri nequiret, saltem agrorum, ædium, pecorum, ac terræ frugum pretia quantum fieri posset integra restitui; siue mallent à possessoribus ea conferri, siue ex ærario persolui. atq; hæc pro Tarquiniis. ceterum sibi pro pace reddi Septem pagos quos vocant; quem agrum olim populus Romanus Etruscis belli iure ademerat: & vt Romani in Etruscorum amicitia firmiter permanerent, liberos sibi è clarissimis familiis pro republ. dari obsides. Hæc legatio postquam in vrbem aduenit, senatusconsultum factum est ex Poplicolæ consulis sententia, omnia concedi quæ Etruscus postulet, quod plebs egena non amplius latura videatur inopiam, & pa-

cem libentissime amplexura, quibuscumque tandem conditionibus Populus cetera quidem senatusconsulti *capita* rata habuit: at bonorum restitutionem adeo non admisit, vt contra nec ex ærario nec à priuatis hominibus quidquam Tarquiniis reddi voluerit: legationemque ad Porsenam decreuit, quæ agrum offerret cum obsidibus: ceterum quod ad restitutionem bonorũ attineret, rem totam iudicio regis committeret, vt auditis partibus *& causa bene cognita*, quod iustum videretur pronuntiaret, semotis
XXXI. odio & gratia. Cum hoc responso legati remissi, & cum his profecti legati populi, ducentes ex primariis familiis viginti pueros futuros obsides, & in primis consulum liberos, Marci Horatii filium Publii Valerii filiam iam nubilem. Hos, cum in castra peruenissent, rex lætus excepit; laudatisq; Romanis inducias dedit ad certum dierum numerum; & in se recepit iudicium. Tarquinii, quamuis ægre ferrent se maxima parte spei suæ quam in rege posuerant, frustratos esse, quippe qui se illius ope imperio restitutum iri putarant; tamen quia sic erat necesse, præsenti fortuna contenti, & ipsi has conditiones admiserunt. cumque ad præstitutam diem ex vrbe venissent ad dicendã caussam *oratores*, & è senatoribus natu maximi rex pro tribunali cum amicis sedens, adhibito ad id consistorium etiam filio, fecit eis dicendi copiam. Dum hæc caussa agitur, superuenit quidã nuntians de fuga obsidũ virginum. nam hę cum à custodibus lauandi in amne licentiã petiissent & impetrassent, iussis viris tantisper à flumine secedere dum se abluissent & vestimenta recepissent, ne illi nudas conspicerent, cum hoc quoque fecissent custodes, hortante ac præeunte Clœlia, natatu superato flumine, in vrbem se receperant. ibi Tarquinius vehemẽter in Romanos inuectus, perfidiam eis obiiciebat & periurium, conatus exasperare Porsenam, ne dictis eorum quippe à quibus fraudulenter deceptus esset, attenderet. Verum cum consul factum excusans ab ipsis virginibus id profectum diceret, iniussu parentum, atque assereraret se breui fidem facturũ, nihil hic doli admissum publice, persuasus rex permisit eum ire ad reducendas vt pollicebatur virgines. Valerius igitur ad re-
XXXII. ducendas virgines abiit. Tarquinius eiusque gener, spreto iure ausi rem impiam, turmam equitum in *eam* viam summiserunt;

Clœliæ audax consilium.

miserunt, vt raptis quæ adducebantur virginibus, captoq; consule & ceteris qui *cum eo* in castra reuertebantur, ea corpora ceu pignora detinerentur pro ademptis Tarquinio bonis, non exspectato fine iudicii. Sed Deus noluit has illis insidias succedere. dum enim insidiatores è castris Latinis prodibant, consul maturato itinere puellas iam proxime portam Etrusci valli adduxerat: coactus tamen est pugnare cum illis qui ex alteris castris procurrentes assecuti eum fuerant. sed Etrusci conflictum illum mox senserunt: regisque filius assumpta equitum ala festinanter opem tulit, peditibus quoque qui stationem pro castris habebant, succurrentibus. quamobrem indignatus Porsena, Etruscorum concione aduocata disseruit, quemadmodum delato sibi à Romanis iudicio & cognitione criminũ de quibus à Tarquinio accusarentur, nondum definita caussa, contemptaque induciarum religione, sacrosancta obsidum & legatorum corpora violare conati sint ii, quos populus Romanus iure in exsilium egerit. Sic Etruscorum suffragiis absoluuntur Romani: Tarquiniis & Mamilio renunciatum est hospitium; iussique eadem die castris excedere. Itaque Tarquinii, qui antea bonam spem habuerant Etruscorum auxilio recepturos se tyrannidem, aut certe amissa bona, vtroque frustrati discesserunt è castris cum odio & ignominia. Rex obsidibus Romanis ad tribunal adduci iussis, consuli eos restituit, dicens pluris se facere fidem populi Romani quam vllos obsides vna deinde virgine, quæ reliquis tranandi fluuium auctor fuerat, laudata ob præstantiorem quam pro sexu atque ætate indolem; admiratus insuper felicitatem ciuitatis, quæ non solum fortes viros, sed virgines quoque viris similes produceret; donauit puellam equo bellatore ornato insignibus faleris. Post concionem icto cum legatis Romanis fœdere pacis & amicitiæ, ipsisque acceptis hospitaliter, dono per eos remisit ciuitati vniuersos captiuos absque pretio, quorũ magnus erat numerus. locũ quoq; in quo metatus erat, non vt castra in hostico temporaria, sed instar oppidi priuatim ac publice satis ornatum, quamuis non esset moris Etruscis finito bello domum repetẽtibus integra castra sinere, sed exurere, nõ exussit, verũ ita vt erat reliquit; haud

XXXIII. *Porsena repudiatis Tarquiniis, magnifice cum Rom. agit.*

mediocri erga populum Romanum, si pecuniarium pretium spectes, munificentia: id quod apparuit ex venditione quam fecerunt quæstores post regis abitum. Hic finis
XXXIV. fuit belli quod ex Etruscis Clusinorumq; rege Larte Porsena coortum populo Romano, rempublicam in maxima coniecit pericula. Porro senatus post discessum regi mittendam decreuit sellam eburneam cum sceptro, coronamque auream, & triumphalem vestem quali reges ornari solebant. Mucio vero, qui paratus fuerat pro patria mortem oppetere, quod visus esset fuisse finiendi belli caussa præcipua, donarunt ex publico agrum trans Tiberim, quemadmodum ante Horatio pontis defensori, quãtum posset circumarare vno die; qui nostro quoque tempore vocatur Prata Mucia. atque hæc virorum *fuere præmia*. Clœliæ virgini ius Æneæ statuæ dederunt; quam in sacra via quæ in forum ducit, virginum patres statuerunt. eam nos non inuenimus: sed iam olim incendio propinquarum ædium abolita dicebatur. Hoc *demum* anno templum Capitolini Iouis absolutum est, de quo speciatim superiore libro diximus. eius dedicationem atque inscriptionem absente collega occupauit alter consul Marcus Horatius, cum ille ad tuendum agrum profectus esset cum exercitu. cum enim agrestes relictis castellis in villas suas se recipere cœpissent, Mamilius immissis prædatoriis globis magna inferebat agricolis detrimenta. Hæc
XXXV. tertio consulatu gesta sunt. Quartus annus quietus à bel-
A.V.C. 248 lis, consules habuit Spurium Largium, Titum Herminium. Horum consulatu Aruns Porsenæ Etruscorum regis filius, secundo anno postquam cum Aricinis cœpit bellum gerere, fato suo functus est. mox enim post pacem Romanis datam, dimidium exercitus à patre acceptum duxit ad Ariciam, volens sibi proprium principatum acquirere: cumque vrbi fere captæ auxilia ab Antio & Tusculo Cumisque Campaniæ succurrerent, impari numero aduersus maiores hostium copias in aciem educto, ceteros quidem profligauit, & vsque ad mœnia insecutus est: sed à Cumanis ductu Aristodemi cognomento Mollis, victus interiit: atque exercitus Etruscus amisso duce non sustinens hostium vim, in fugam se conuertit. ex eo multi in fuga Cumanis persequentibus interempti: maior pars dispersi

conss. Spur. Largius & T. Herminius.

dispersi, in propinquos Romanorum agros refugêre nudi armis, nec præ vulneribus vlterius progredi valentes. quos Romani ex agris in vrbem plaustris carpentisque & ceteris iumentis comportatos, semineces nonnullos, in ædes suas intulerunt, cibisque, medicamentis, & ceteris humanitatis officiis magno cum affectu refouerunt; adeo vt multi his beneficiis deuincti, abiecto patriæ desiderio, apud benefactores suos commanere mallent. his senatus locum in vrbe ad ædificandum dedit, vallem inter Palatinum & Capitolinum colles quattuor ferme stadiis protensam; qui vsque ad nostram ætatem vicus Tuscus Romana lingua vocatur, qua transitur à foro in circum maximum. Eam benignitatem rependit rex munificentia populo longe gratissima, largitus transtiberinum agrum, quo cesserant cum pacem cum rege facerent: Diisque magno impendio persoluta sunt sacrificia quæ vouerant si Septem pagos reciperent. Anno deinde post eiectos reges quinto Olympias erat nona supra sexagesimã; qua vicit in stadio Ischomachus Crotoniensis; Athenisq; *annuo* imperio iterum functus est Acestorides, & consulatum Romæ gesserunt Marcus Valerius Valerii Poplicolæ frater, & Publius Postumius cognomento Tubertus. Horum consulatu aliud bellum Romanis exortum est à finitimis; quod à latrociniis exorsum, & ad multa magnaque prœlia progressum, tandem honesta pacificatione finitum est sub quarto post hos viros consulatu; ad quorum tempora sine intermissione bellatũ est. nam quidam Sabinorum *populi*, existimantes debilitatam Etrusca clade rempublicam, nec pristinam dignitatem vnquam recepturam, emissis latronum globis agrestes è castellis in prædia sua reuertentes infestabant, multisque afficiebant incommodis. propter quas iniurias Romani prius quam arma sumerent, legationem ad illos miserunt quæ ius pœnasque deposceret, & postularet nequa *in posterum* agricolis inferretur iniuria. Qui cum superbe respondissent, bellum eis indictum est. ac primum contra hos prædones profectus est alter consul; qui cum equitibus & velitum robore, palantibus derepente superueniens, magnã illorum stragem edidit; quippe qui se incompositis *manipulis* in prædas effuderant, nec hostium aduentum præsen-

XXXVI. *A.V.C. 249 Olymp. 69. conss. M. Valerius & P. Postumius.*

Bellum Sabinum.

ferant. Deinde cum Sabini magnum in eos exercitum emisissent cum perito belli duce, Romani rursum exiuerũt obuiam cum omnibus copiis; quibus prę erant ambo consules. Postumius prope vrbem in montanis locis castra metatus est, veritus ne forte exules *interim* subitas molirentur irruptiones: Valerius propius hostes ad Anienem: qui fluuius ad Tibur ex alto scopulo magna mole præcipitans, per Sabinorum & Romanorum campos labitur, & amborum fines terminat; amœnus aspectu, & potu non
XXXVII. ingratus, donec in Tiberim influat. Trans Anienem castra Sabina erant, non procul à flumine, sita in quodam leuiter decliui nec admodum munito tumulo. ac primum metu mutuo neutri audebant transmisso milite pugnam incipere: postea non ratione consilioque, sed per contentionem irritati, commiserunt prœlium. nonnulli enim dum aquarentur, & equos in flumen agerent, longius per alueum prouecti, cum amnis nondum hibernis aquis auctus, modico tumore flueret, ita vt vix genua superaret, traiecerunt. ibi pauci cum paucis congressi, effecerunt vt ex vtrisque castris procurreretur in suorum auxilium: ac rursum hos alii secuti, qui suos hosti cedentes adiuuarent. Ita alteri alteros à fluuio reiiciebant, nunc Romani Sabinos, nunc vicissim Sabini Romanos: cumque multi occiderentur aut vulnerarentur, *cetérique* omnes dimicandi ardore incenderentur, (vt in rixis & conflictibus intempestiuis accidere solet) *tandem ipsos* etiam duces par transeundi fluminis cupiditas cepit. prior consul Romanus transmisit, & Sabinos etiamtum se armantes aggressus est prius quam explicarent aciem. nec illi detrectauerunt pugnam, contempto hoste, quod nec consules ambo, nec omnes Romanorum adessent copiæ: congressique tam pugnarunt acriter, vt omnes audaciæ alacritatisq; explerent partes. Feruente prœlio cum dextrum cornu cui præerat Postumius, hostem premeret, magisque ac magis retrocedere cogeret; sinistrum vero iam laborans, ab hostibus ad fluuium repelleretur: consul qui alteris castris præerat, re cognita, eductoque exercitu, ipse peditatum militari gradu ducebat, præmisso seniore Spurio Largio superioris anni consule; qui cum equitatu effusis habenis prouectus celeri-

celeriter, nemine prohibente, superato facile fluuio, prætervectus dextrum cornu hostium, in transuersum equitatus Sabini latus fecit impetum: diuque ibi inter vtriusque partis equites comminus magna virium contentione dimicatum est. Interea & Postumius cum peditum legionibus appropinquauit, & conserta cum peditibus manu multos in prœlio interemit, ceteros ex acie disiecit ac nisi nox superuenisset, fuissent ibi omnes Sabinorum copiæ à Romanis equitatu superioribus circumclusæ, & internecione deletæ. sed per tenebras aliquot è prœlio elapsi, non multi illi, & inermes, noctis beneficio ad suos reuerterunt incolumes. castris eorum consules sine certamine potiti sunt; quippe quæ præsidium, simulatque suos in fugam versos vidisset, deseruerat. In iis copiosa inuenta est præda: quam cum militi agendam ac ferendam permisissent, copias domum reduxerunt. Tunc primum respublica ex Etrusca clade se recollegit, resumptisque pristinis animi viribus, imperium sibi in finitimos vt ante vindicare ausa est, ac decreuit vt simul triumpharent ambo consules: priuatim etiam alteri consuli Valerio aream ad ædificandum donauit in præcipua parte Palatii, sumptusque in ædificium præbuit ex ærario. huius domus, ad quam stat taurus æreus, valuæ solæ inter omnes vrbis & publicas & priuatas ædes, dum aperitur ianua, reuoluuntur in viam publicam. Post hos in consulare imperium succedunt Publius Valerius Poplicola quartum, Titus Lucretius iterum consules. horum consulatu Sabinorum gens vniuersa de communi ciuitatum consilio bellum decreuit cum Romanis gerere, quasi soluta fœdere post eiectum ex imperio Tarquinium, cum quo fœdus ictum fuerat. quod factum est sollicitante Sexto, altero filiorum Tarquinii, qui priuatis officiis & precibus proceres cuiusq; ciuitatis flectendo, ad bellum concitauit vniuersos: duasq; insuper ciuitates, Fidenas & Cameriã à Romanorũ societate in Sabinorũ partes pertraxit. pro qua opera imperator ab omnibus electus est, data facultate habendi delectus ex omnibus populis quasi proximo prœlio clades accepta esset ob copiarũ imbecillitatẽ & ducis stultitiam. His ita in apparando bello occupatis fortuna quædam, vt incommodis

XXXV

XXXIX.

A.V.C. 250 conss. P. Valerio Poplicola IV. & T. Lucretio II. bellum Sabinum recrudescit.

Romanorum æquaret commoda, pro desertoribus sociis aliud Romanis insperatum auxilium ex ipsis hostibus addidit. Vir quidam Sabinæ gentis, qui Regilli habitabat, genere nobilis, & opibus pollens, Appius Claudius, transfugit ad eos cum magno cognatorum numero; quibus se multi eius amici & clientes cum totis familiis addiderant: inter quos erant circiter quinque milia armis ferendis idonei. causa migrationis fuisse dicitur hæc. principes nobiliorum populorum offensi ambitioso eius erga rempublicam studio, reum fecerant obiecto proditionis crimine, quod ad bellum Romanum parum propensus, etiam in concilio solus contradiceret turbandæ pacis auctoribus, & suos ciues non sineret approbare ceterorum placita. Quæ lis cum à ceteris ciuitatibus cognoscenda esset, metu illius iudicii, cum rebus suis atque amicis adiunxit se Romano populo; tantumque momenti hæc accessio attulit, vt è cunctis hæc præcipua rei tunc bene gestæ caussa fuerit habita. Quamobrem Senatus populusque Romanus adscripsit eum in patriciorum ordinem, concessa ad ædificandum vrbis parte quantam petiit. agrum etiam ex publico dederunt inter Fidenas & Piculiam, quem viritim inter suos diuideret: è quibus & tribus quædam progressu temporis facta est, nomine Claudia, quæ hucusque appellationem istam retinet.

XL. Vbi parata vtrinq; erant omnia, Sabini priores eductis copiis bina castra metati sunt, altera sub diuo, non longe à Fidenis, altera, in ipsis Fidenis, vt essent oppidanis præsidio; & si quid vicinis castris accideret, haberent paratum refugium. Deinde Consules Romani cognito Sabinorum aduentu, ipsi quoque cum omnibus militaris ætatis *ciuibus* egressi, diuersis locis castra posuere; Valerius, prope subdialia Sabinorum castra; Lucretius non longe inde in quodam tumulo, vnde collegæ castra erant conspicua. Romani, vt in manifestario bello, cupiebant celeriter armis decernere: Sabinorum imperator, metuens aperte signa conferre cum hoste, cuius audacia & tolerantia nulla reformidaret pericula, statuit noctu rem aggredi. & comparatis rebus ad complendas fossas vallumque transcendendum necessariis, cum *iam* sibi ad certamen instructus videretur, post primum somnum excito copiarū suarum robore, iter ad Romanorum

manorum munimenta instituit: simulque *ceteris* intra Fidenas castra habentibus denuntiat, vbi suos egressos senserint, & ipsi oppidū exeant armati leuiter; dispositisq; per opportuna loca insidiis, siqui Valerio ex alteris castris succurrāt, eos à tergo cū magno clamore ac strepitu inuadant. Hoc consilium cum cepisset Sextus, & centuriones ex ipso auditum approbassent, exspectabat opportunitatem temporis. Interea transfuga quidam in castris Romanis consuli Sexti mentem indicat: nec multo post adducuntur ab equitibus captiui Sabini, quos illi lignatum egressos intercceperant. hi seorsim interrogati quid pararet ipsorum imperator facere, responderunt scalas & pontes fabricare; sed vbi & quando illis vti cogitet, id sibi non constare. Hoc cognito Valerius Marcum seniorem mittit in altera castra, significaturum eorum præsidi Lucretio quid hostes in animo habeant, & quomodo sit occurrendum illorum conatibus. ipse conuocatis tribunis & centurionibus exponit quæ ex transfuga & captiuis audierat, adhortans vt fortes se viros præstent, cum optatam occasionem nacti sint qua egregias de hostibus pœnas sumant; simulque submonitos quid opus facto sit, data tessera, dimittit ad suos ordines.

Nondum media nox erat, cum Sabinorum dux excitis militibus ad castra cum exercitus robore contendit, silere iussis omnibus, nec vllum armis excitare strepitum, ne aduentum ipsorum cognosceret hostis antequam ad vallum accessissent. vbi vallo appropinquarunt ii qui primi incedebant, cum nec ignes viderent, nec voces vigilum audirēt, damnantes Romanorum stultitiam qui desertis custodiis intra castra stertere nt, multis locis complebant fossas materia, transcendebantque nemine prohibente. inter fossam autem & vallum cohortes Romanæ latebant in tenebris; quæ transcendentes hostes, cum ad manus venirent, trucidabant. quo factum vt qui sequebantur, præcedentium perniciem aliquamdiu non sentirent. oriente deinde luna proximi fossæ, videntes accumulata secus eam cadauera, & *ex aduerso* inuadentem *se* validum globum hostium, abiectis armis terga dant: ac Romani sublato ingenti clamore, ita vt cum altero consule compositum fuerat, vna omnes è castris in eos procurrunt. Tum Lucretius, vt clamorem audiuit, præmissis equitibus qui explorarent num quæ laterēt XLI.

insidiæ,modico interuallo sequebatur cum lectissimis peditum. ita eodem tempore & equites egressos Fidenis insidiatores verterunt in fugam: & peditum manus eos qui castra sua repetebant cædebat,insectabaturque semiermes & fugientes nullo ordine.in his *nocturnis* pugnis perierunt Sabinorum atque sociorum circiter tredecim milia, capta quatuor milia & ducenti insuper.castra quoque eadem luce capta.

XLII. *Sabinis cæsis Fidenæ captæ.* Fidenæ vero post paucorum dierum oppugnationem, qua vt minus expugnabiles à paucis custodiebantur, ea parte captæ sunt.nec tamen in prædam cessere *ciuium* corpora,nec vrbs ipsa est diruta;& pauci occisi postquam vrbs capta est. Satis pœnæ visum est consulibus,ciuitatis gentis peccatum mulctari bonorum direptione mancipiorumque, & amissis in pugna ciuibus:at ne capti facile arma resumerent, visum est moderatam & consuetam Romanis cautionem adhibere, auctorum defectionis supplicium.itaque conuocatis in forum Fidenatibus, multis verbis inuecti in eorum amentiam,dignos esse qui omnes internecione delerentur vna cum pueris,vt qui nec beneficii gratiã haberent,nec corrigerentur castigationibus; virgis cæsos nobiliores in conspectu omnium securi percusserunt:reliquos permiserunt habitare vt antea,nisi quod præsidiarios ibi quos senatus decreuerat,inter eos habitare iusserunt,& partem agri ademptam,præsidiariis istis assignarunt. His gestis copias ex hostico reduxerunt,& ex Senatusconsulto triumpharunt. atque hæc sub his consulibus acta sunt.

XLIII. *A.V.C.251. cons.P. Postumius Tubertus II. & Agr. Menenius Lanatus.* Consules deinde Publius Postumius Tubertus iterum, & Agrippa Menenius Lanatus. quo anno Sabini instaurato prius quam Romani sentirent maiore quam ante exercitu,tertio Romanum agrum peruaserunt vsque ad vrbis mœnia. magna tum cædes edita, non agrestium modo quos ex improuiso malum id occupauit priusquam in proxima castella refugerent, sed etiam vrbanorum. Nam Postumius alter consulum non ferendam ducens hanc insolentiam,arreptis festinanter obuiis quibusque, promptius quam prudentius hosti occurrit. quos cum Sabini contemptim nulloque ordine dissipatos in se ferri viderent, quo magis eum contemptum augerent, simulata

fuga

fuga, citatiore gradu retrocesserunt, donec venirent ad siluam spatiosam, vbi reliquus ipsorum exercitus subsederat. Ibi conuersi pedem in persequentes referunt; simulque magno clamore sublato è silua in eos prorumpunt ceteri. qui cum in homines incompositos perturbatosque & ex cursu anhelos magna manu & decenti ordine se inferrent, prostratis quotquot auderent congredi, reliquos in fugam versos intercepto in vrbem refugio concluserunt in quodam inculto & aspero montis dorso: & quia nox superuenit, positis in propinquo armis excubias per totam noctem egerunt, ne clam aufugerent. qua clade in vrbem renuntiata, magna fuit trepidatio & concursus in mœnia, omnibus timentibus ne hostis elatus ista victoria noctu vrbem inuaderet: subiit etiam miseratio tum cæsorum tum superstitum, quippe qui breui ob victus inopiam interituri essent, ni succurreretur celeriter. illa igitur nocte deiectis animis peruigilatum est. postero die consulum alter Menenius omnes iuniores armatos ad soluendam montis obsidionem eduxit, seruatis decenter ordinibus. quos Sabini aduentantes non exspectauerunt, sed reuocato à monte imperatore suo abduxerunt copias, præsenti felicitate contenti: nec longa interposita mora, in sua se gloriabundi receperunt, ditati magna præda ex direptis pecoribus & mancipiis rebusque domesticis hostium.

XLIV. At Romani ægre ferentes cladem, & caussam eius referentes in Postumium, decreuerunt quamprimum totis viribus expeditionem in agrum Sabinum facere, non solum vt insperatæ cladis ignominiam abolerent, verum etiam quia contumaci & iniuriosa hostium legatione recens grauissime offensi erant. nam vt rerum iam potientes, & Romam sine labore capturi si nollet imperata facere, iubebant vt reciperent Tarquinios, & imperio sibi cederent, legesque ac constitutionem reipublicæ ex victorum præscripto acciperent. Responsum est legatis, irent suæque reipublicæ renuntiarent, imperare Sabinis Romanos vt armis depositis oppida sua populo Romano dedant, & imperium eius vt ante agnoscant; ac tum demum veniant ad petendam iniuriarum damnorumque superioribus irruptionibus datorum veniam, si amicitiam eius & pacem

expetant. quæ iussa ni fecerint, exspectandum eis domi bellum primo quoque tempore. Talibus vtrinque mandatis acceptis & redditis, cum iam satis ad bellum instructi viderentur, eduxerunt copias: Sabini, delectis oppidatim florẽtissimis iuuenibus eleganti armatura exornatis; Romani, contracto quidquid esset virium vel in vrbe vel in castellorum præsidiis; rati eos qui militarem ætatem excessissent, cum seruitiorum turba, sufficere ad vrbem & castella regionis defendenda.

XLV. Castra collata sunt ad Eretum Sabinorum oppidum, modico interuallo à se inuicem distantia. vt vero ex *propinquo* vtrique cognouerunt res hostium, tam ex castrorum spatio quam ex relatione captiuorum, Sabinis confidentia creuit ex contemptu paucitatis hostium; Romanis contra multitudo aduersariorum incussit formidinem. sumpserũt tamen animos & aliquam victoriæ spem conceperunt tum ex aliis signis diuinitus oblatis, tum *in primis* ex hoc vltimo viso, quod præcessit diem prœlii. Ex pilis defixis ante tentoria: tela sunt hæc Romanorum quæ primo congressu eiaculantur; oblonga hastilia, crassamento quod manum cõpleat, tripedaneis veruculis ferreis vtrinque in rectum præfixa, mediocribus iaculis cum ferro suo paria: ex his, inquam, pilis circa summa verucula emicabant flammæ, totisque castris fulgorem, nõ aliter ac faculæ, ad multam noctem reddebant. ex hoc ostento colligebant, (vt & talium portentorum interpretes affirmabant, & facile quiuis cõiicere poterat) citam sibi & splendidam à Deo portendi victoriam: quandoquidem igni cedunt omnia, & nihil est quod non ignis vi absumatur. Is postquam ex ipsorum telis effulsit, magna eos cõfidentia impleuit: qua freti, simulque longo rerum vsu & militarium laborum assuetudine ad contemnendum quãtumlibet periculum durati, prodierũt è vallo, collatisque signis conflixerunt cum longe maioribus Sabinorum copiis.

XLVI. Ac primum Postumius in sinistro cornu, abolendæ ignominiæ cupidus, dextrum hostium cornu impulit; nulloque vitæ respectu, dum modo vinceret, velut insanus & mortem appetens, se in medios coniiciebat hostes. quo factum est vt qui cum Menenio alterum cornu tenebant, fracti iam & de statu suo exturbati, cognita Postumianorũ

victoria

victoria, receptis animis impressionem in aduersos facerēt. ita vtroque Sabinorum cornu inclinante, fuga fit omniū. neque enim media acies, vtroque latere nudata, substitit amplius; sed vi Romani equitatus turmatim irruentis reiecta cessit. tum vero effuse in castra refugientibus omnibus, Romani tergo herētes & simul irruentes, vtraque illorum munitione potiti sunt. ne autē internecione deletus sit hostium exercitus, nox in caussa fuit, & quod in suo territorio cladem accepere. fugiētibus enim, ob locorum peritiam, facilius erat se in sua recipere, quam persequentibus per ignotos tramites prehendere. Sequenti die consules crematis suorum cadaueribus, collectisque spoliis, (inter quę fuerunt & viuorum arma nonnulla, inter fugiendum abiecta) captiuis quoque multis potiti sunt & pecuniis rebusque aliis, præter eas quæ in prædam cesserāt militibus. quæ cum publice venderentur, tantum recuperarunt singuli, quantū ad armandos milites contribuerāt. atque ita domum cum splendidissima victoria sunt reuersi. triumphus vtrique cōsuli honoris gratia decretus à senatu: Menenio maior & honoratior, vt regia sella curuli in vrbē inueheretur: Postumio autem, minor & inferior, quam ouationem nomināt, Græco εὐάσεως vocabulo in obscuriorem formam detorto. primum enim εὐάστης θρίαμβος (*id est, triumphus euator*) ex re dicebatur, vt & ipse coniicio, & in multis historiæ Romanæ commentariis scriptum reperio. quod triumphi genus tunc primum à senatu inuentum Licinius prodidit. differt autem ab altero, quod in ouatione dux non curru, vt ille, sed pedibus in vrbem præcedit pompam militum. deinde pro picta auroque intertexta trabea induitur toga prætexta; quod vsitatum consulum & imperatorum gestamen est. nec sceptrum gestat vt triumphantes, sed tantum coronam lauream; in ceteris nullo discrimine. ne autem honore Menenio æquaretur Postumius, quamuis in pugna præclarissimam nauasset operam, in caussa fuit clades quā paulo ante in excursione magnam & probrosam acceperat, in qua & multos è suis amiserat, & fere ipse cum reliquis è fuga militibus in hostium potestatem venerat.

De Sabinis triumphus duplex.

XLVII. *P. Valerii Poplicolæ obitus, funus, laudes.*

His cōsulibus Publius Valerius Poplicola morbo periit, vir suo seculo præstātissimus Romanorum habitus in omni virtutum genere: cuius ceteras res gestas, quæ admi-

ratione ac memoria dignæ sunt, non opus habeo dicere, quando in huius libri principio pleræque dictæ sunt. quæ vero inter omnes eius laudes admiratu est dignissima, cum nondum à me sit exposita, prætereunda mihi non est: siquidem censeo maxime decere historicos, non solum res bellicas illustrium virorum mandare litteris, aut siquod præclarum & salutare in republica institutum reliquerunt; verum etiam eorum vitæ rationem, si moderati, temperantes, patriorumque morum ac studiorum obseruantes fuere, ostendere. Ergo *tantus* ille vir qui cum tribus primis patriciis reges expulit, eorumque bona concessit populo, quater consul, & victor duobus bellis maximis, vtroque triumphum meritus, primo de Etruscis, deinde de Sabinis, cum tot habuisset parandæ pecuniæ occasiones, quas nemo vt turpes & iniquas reprehenderit, non est captus ab ea quæ cunctos ad seruitutem & indecentes actiones impellit, auaritia, sed contentus paruo patrimonio, temperantem, frugalem, nullisque cupiditatibus obnoxiam vitam exegit; & in tam exigua re familiari liberos educauit dignos tali genere: satisque declarauit omnibus, diuitem esse non qui possideat plurima; sed qui paucissimis opus habeat. cuius frugalitatis, quam toto vitæ tempore coluit, certum & indubitatum argumentum fuit inopia quæ post eius obitum apparuit: quando ne tantum quidem in bonis reliquit, quantum talis viri funeri & sepulturæ sufficeret; ac fuisset à cognatis misere velut vnus è vulgo extra vrbē crematus & inhumatus, nisi senatus re cognita, miseratus eius egestatem, decreuisset in sepulturam impensas ex ærario; locumque rogo & sepulcro intra vrbem prope forum assignasset; solum illum ex omnibus vsque ad meam ætatem illustribus viris, honore isto dignatus. id quasi sacrarium gentis patet ad sepulturam eius posteris; res omnibus opibus & regnis potior, siquis honestate felicitatem metiatur, non voluptatibus. Ita Valerius Poplicola, qui nihil præter sumptus necessarios possidere voluit, vt opulentus aliquis rex, splendide à republica sepultus est: matronæ quoque vniuersæ communi consensu eum sicut *prius* Iunium Brutum, deposito auro & purpura per integrum annum luxerunt, vt scilicet solent in coniunctissimarum necessitudinum luctu.

Sequenti

Sequenti anno cõsules facti sunt Spurius Cassius Viscellinus, Opiter Virginius Tricostus: quorum consulatu, Spurio duce, cum Sabinis debellatum est, commisso ad Cures magno prœlio; in quo cæsa sunt hostium circiter decem milia, & trecenti; capta ferme quatuor milia. Hac vltima clade perculsi Sabini, legatos miserunt ad consulem acturos de amicitia. qui ad senatum à Cassio relegati, postquam in vrbem venerunt, multis precibus ægre pacem impetrauerunt, dato exercitui frumento quantum postulauit Cassius; mulctati etiam in singula capita certo argenti pondere, & agri culti decies mille iugeribus. Ex hoc bello Spurius Cassius triumphans rediit. Alter consul Virginius contra Camerinos, qui belli tempore à societate defecerãt, duxit dimidiam partem exercitus: & nemine sciente quonam iter faceret, noctu emensus est viam, vt imparatos suique aduentus ignaros oppidanos offenderet. quod & factum est. prius enim quam sentiretur, iam ad mœnia erat diluculo; & nondum positis castris, arietes scalasque muris admouebat; modis omnibus oppugnans oppidum. Camerinis autem repentino eius aduentu attonitis, & aliis portas consuli aperiendas censentibus, aliis omni vi repugnandum hostesque introitu arcendos contendentibus, ipse interea dum turbulenti & seditiosi ciues obtinent, excisis portis, & mœnibus qua humiliora erant per scalas superatis, oppidum vi cepit. Ea die & nocte insequenti, res oppidanorum agendas & ferendas permisit militi. Die insequenti captiuis in vnum locum adduci iussis, auctores defectionis omnes ad vnum interfecit: reliquam turbam *sub hasta* vendidit; oppidum ipsum diruit.

XLVIII. *A.V.C.252. conss. Spurio Cassio, & Op. Virginio, cum Sabinis debellatum.*

Cameria capta.

Septuagesima deinde Olympiade, qua in stadio vicit Nicæas Locrus ex Opunte, cum Myrus Athenis archon esset, cõsulatum inierunt, Postumus Cominius, Titus Largius. Hoc anno Latini populi à societate Romanorũ desciuerunt, Octauio Mamilio Tarquinii genero vniuscuiusq; oppidi proceres, partim pollicitationibus partim precibus impellente ad iuuandos in obtinendo reditu exsules Romanos: coieruntque in commune concilium Ferentinum *omnes Latii vrbes* præter vnam Romam: (hæc enim sola non erat more solito vocata) vt bellum communi consilio decerneretur, ducesque crearentur, & de cetero apparatu

XLIX. *A.V.C.253 Olymp. 70. conss. Post. Cominio & T. Largio, Latini rebellant, & serui conspirant.*

consultaretur. Forte fortuna tunc Marcus Valerius vir consularis, legatus populi Romani obibat finitimas ciuitates, rogans ne quas molirētur res nouas. iam enim latrones quidam à potentioribus emissi conterminos agros infestarant, & agricolas multis incommodis affecerant. is vbi cognouit decernendi belli caussa conuentum celebrari, adiit consessum procerum, postulataque dicēdi copia, missum se ait legatum ad eos populos vnde latrones excurrerent, rogatum vt sontes perquisitos dederent sibi ad supplicium, iuxta leges fœderis quibus firmata sit amicitia: vtque in posterum cauerent à talibus iniuriis, quæ amicitiæ & cognationis vincula dirimerent.

L. Cumque videret ciuitates omnes propter bellum Romanum conuenisse, (quod præter alias coniecturas maxime inde colligebat, quia soli Romani ad eum conuentum vocati non erant; cum *diserte* ascriptum esset conditionibus, communibus conciliis omnes Latini generis ciuitates interesse debere, euocatas à præsidibus) aiebat se demirari quanam re offensi, aut quo populi Romani crimine, proceres concilii solam eam ciuitatem non assumpsissent, quæ debuisset prima omnium adesse, & prima rogari sententiam, vt quæ gentis principatum à Latinis vltro pro multis magnisque beneficiis oblatum teneret. Tum Aricini impetrata dicendi copia, Romanos accusabant bellum Etruscum contra se neglecto cognationis iure induxisse; & quantum in ipsis fuerit, omnium Latinorum libertatem Etruscis prodidisse. Rex quoque Tarquinius renouans quæ cum vniuersæ gentis vrbibus societatis & amicitiæ iniisset fœdera, postulabat vt istud iuramentum firmarent, seque in regnum reducerent. Camerinorum item & Fidenatium exsules, hi, captam patriam suumque exsilium; illi, ciues sub hasta venditos vrbemque dirutam querentes, ad bellum hortabantur. Postremus omnium Tarquinii gener Mamilius, qui tunc plurimum apud Latinos poterat, assurgens, longa concione inuectus est in populum Romanum. Verum cum Valerius ad omnia responderet, & iustiorem habere caussam videretur, illa die per criminationes defensionesque absumpta, finis consultationi non est impositus. Sequenti vero die non amplius introductis in consessum Romanis legatis, audito tantum Tarquinio Mamilioque

& Ari-

& Aricinis ceterisque qui vellent accusare populum Romanum cum perorassent omnes, decreuerũt violatum esse à Romanis fœdus: ac Valerio responderunt, cognationis nexus illorũ iniuriis solutos esse; & deliberaturos se per otiũ quomodo *eas* vlcisci oporteat. Interea dum hæc aguntur, coniuratum est à non paucis seruis de occupandis arcibus, & vrbe aliquot locis incendenda. quod cõsilium vbi à consciis detectum est, confestim portis clausis omnia munitiora loca consulum iussu occupata sunt ab equitibus ac mox sontes partim in *priuatis* ædibus comprehensi, partim è foris adducti, omnes *ad vnum* in cruces acti sunt. Consules deinde Sergio Sulpicio Camerino, Manio Tullio Lõgo, aliquot Fidenates adscitis à Tarquinio militibus arceque occupata, & aduersæ factionis ciuibus partim interẽptis partim expulsis, effecerunt vt ea ciuitas rursus à populo Romano deficeret. cumq; legati Romani eo venissent, hostilem in modũ eos tractare decreuerant. quod cũ vetarent seniores, ex vrbe legatos eiecerunt, nulla eis nec audiendæ nec dicẽdæ caussæ facta copia. His cognitis senatus vniuersæ Latinorũ genti nondum bellũ inferre volebat, quod intellexisset non omnibus Latinis probari decretum cõcilii, sed plebeios per omnes vrbes bellum detrectare, ac plures esse qui ratum quam qui irritum fœdus vellent; ceterum contra Fidenates alterum consulem Manium cum valido exercitu mittendum decreuerunt. qui primo agrum eorum impune vastauit, prohibente nemine: deinde castris prope mœnia positis, interclusit aditum cõmeatibus, armisque, & aliis auxiliis. Fidenates obsessi, per legatos à Latinis petebant, vt sibi quã celerrime succurrerent. Tũ proceres Latinæ gentis indicto ciuitatibus concilio, auditis rursum Tarquiniis & obsessorum legatis, rogarunt consessum quo pacto bellũ Romanis inferendum iudicarent; initio à senioribus & nobilioribus facto. cumq; diu disceptaretur, & primũ an bellum esset decernendũ, turbulentiores è consessoribus aiebant reducendũ esse regẽ, & succurrendum Fidenatibus; hoc agentes, vt ipsi præfecturas bellicas cũ potestate cõsequerentur, & res magnas capesserent: præcipue qui dominatum & tyrannidẽ in patriis suis affectabant; persuasum habẽtes, nõ defore sibi Tarquiniorũ operã, si restituti essent in imperium. Diuites contra, & æqui amantes, censebant

LI. *A.V.C.254. conss. Ser. Sulpicio, & M. Tullio, Fidenæ obsessæ.*

manendum in fœdere, nec arma temere sumenda: atque hi magis à multitudine probabantur. Tandem belli hortatores, cum à pacis suasoribus reprimerentur, hoc tamen concioni persuaserunt vt legati Romam mitterentur, qui rogarent simulque consulerent vt Romani Tarquinios ceterosque exsules promissa impunitate ac præteritorum obliuione in vrbem reciperent, datoque super his iuramento, patriam reipublicæ formam instaurarent, & exercitum à Fidenis reducerent: alioqui se non passuros vt amici cognatique sui exuerentur patria. quod si neutrum vellent facere, tum se belli consilium inituros. Non ignorabant illi neutrum horum facturos Romanos; sed honestos belli prætextus quærebant; simul sperátes posse interim aduersarios suos deleniri officiis atque beneficiis. His decretis, datoque anno integro, Romanis, ad deliberandum; sibi vero ad bellum apparandum, & legatis ex arbitrio Tarquinii designatis, dimissum est concilium.

LII.

LIII. Reuersis ad suos Latinis, Mamilius & Tarquinius videntes multitudinem pronam ad seruandum fœdus, spem (vt dubiam) nolebant collocare in exteris: mutataque sententia conabantur ciuile & inexspectatum bellum in ipsa vrbe conciere, irritatis cõtra diuites pauperibus. iam enim magna pars plebis, præsertim egeni & oppressi fœnore, aliquantum commoti erant, ac perniciosas reipublicæ cogitationes alebant. impotenter enim & immoderate se gerebant fœneratores, & in neruum abducebant obæratorum corpora; quibus non aliter vtebantur quam emptitiis. His cognitis Tarquinius cum legatis Latinorum in vrbem misit quosdam deferentes *secum* aurum, de quibus non facilis esset suspicio. hi collocuti cum egenorum audacissimis, largiendo nonnihil in præsens, sed plura pollicendo si reges in vrbem rediissent, valde multos ciues corruperunt: coniuratumque est contra optimatum administrationem non solum ab ingenuis inopibus, sed etiam à seruis nequam, spe libertatis inductis: qui propter conseruos superiori anno supplicio traditos male affecti erga dominos, & ipsi vicissim suspecti quasi per occasionem ausuri similia promptas insidiarũ hortatoribus aures præbuerunt. coniurationis vero consilium fuit tale: Duces facinoris obseruata nocte per lunæ silentium obscura, arces & loca

Legatio Latinorum; & conspir. vrb.

& loca vrbis munitiora occupare: seruos vero, cum primũ illos opportunis locis potitos sensissent, (quod illi sublato clamore significaturi erant) necare oppressos somno dominos. quo facto, direptisque diuitum ædibus, portas tyrannis aperire. Sed affuit vrbi, quæ cum aliàs semper eam periculis eripuit, tum vsque ad hæc nostra tempora incolumem tuetur, diuina prouidentia, detectis insidiis apud alterum consulem Sulpicium, indicio duorum fratrum Tarquiniorum Publii & Marci Laurentinorum, diuina quadam vi expresso, cum essent præcipua coniurationis capita. in somnis enim obuersabantur eis horribiles quædam species, intentantes pœnas atroces nisi cœpto desisterent: videbanturque sibi exagitari à quibusdam furiis & verberari, tandem etiam oculis orbari, multisque aliis suppliciis miserum in modum affici, ita vt terrore ac tremore excitarentur, ac ne somnum quidem præ huiusmodi terriculamentis possent capere. hi primum auerruncatoriis quibusdam & piacularibus sacris conabantur infestantes se dæmonas auertere: cumque nihil proficerent, vatem consulebant, celantes arcanum insidiarum consilium, & hoc tãtum scitantes, adesset ne tempus perficiendi quæ cuperent. vate vero respondente malam eos viam insistere; ac ni mutarent cõsilium, fœdissimo perituros exitio, veriti ne præuenirentur ab aliis, prodiderunt secretum ei consuli qui tum in vrbe aderat. qui laudatis eorum dictis, multaque pollicitus beneficia, si dictis illorum facta quoque responderent, eos apud se domi retinuit, re nulli communicata. LIV.

Latinorum vero legatis, quibus hactenus responsum dare distulerat, in curiam introductis, ita ex senatus sententia respondit: Amici nostri & cognati, ite ac renuntiate Latinorum reipublicæ, populum Romanũ neq; prius in Tarquiniensium gratiam concessisse tyrannis reditum; neque post ab vniuersis Etruscis eadem postulantibus, & Porsenæ ductu grauissimum bellum inferentibus, flecti potuisse: maluisseque post vastatos in conspectu suo agros villasque incensas, obsidionem pro libertate sustinere, quam imperata quæ non placerent facere. Ac miramur vos Latinos, cum hæc sciatis, nihilo minus huc venire atque imperare vt tyrannos recipiamus & Fidenarum obsidionem soluamus, minarique bellum nisi pareamus. Desinite frigidas LV.

istas nec plausibiles inimicitiæ caussas prætexere. Sin propter hæc, cognationis vincula soluere cogitatis, nihil amplius cunctamini.

LVI. Cum hoc responso legatis *dimissis & extra* vrbem deductis, tum demum exponit senatui de occulta coniuratione quæ ex indicibus didicerat: acceptaque ab eo plenaria potestate inquirendi consiliorũ socios & inuentos plectendi, non contumacem & tyrannicam viam ingressus est, sicut alius quispiam in talem necessitatem deductus fecisset: sed rationabilem & tutam est secutus, conuenientemq; præsenti formæ reipublicæ. neque enim domi correptos, & ab vxoribus ac liberis parentibusq; abstractos ciues ad supplicium duci voluit; cogitans quanta propinquos in coniunctissimarũ necessitudinum auulsione incessura esset commiseratio; veritusq; ne per desperationem ad arma recurrere inciperent, & ad ciuilem sanguinem iniuste profundendum se cogerent. neq; iudiciis rẽ committendã duxit; cõsiderans omnes infitiaturos; nec adfore iudicibus vllũ certũ atq; indubitatũ argumentum, præter indicium; cui credendo, capitis damnare ciues *noxios* opus sit. sed nouum quendam modum inuenit quo rerum nouarum studiosos deciperet; quo primum ipsi arcanæ conspirationis duces nemine cogente in vnum locum contraherentur; deinde indubiis argumentis conuincerentur, vt nullam sibi defensionem reliquam facerent: destinato ad id loco non solitario, vbi paucis deprehenderentur testibus; sed in foro, vbi in omnium cõspectu detecti dignas pro meritis paterentur pœnas; nec tamen vllæ per vrbem turbæ excitarentur, aut alia insurgeret factio; qualia contingere solent quoties de nouitatum affectatoribus supplicium sumitur, præsertim periculosis temporibus.

LVII. *Hic* alius fortasse satis putasset rei summam dicere, comprehensos à consule coniurationis conscios, affectosque supplicio; quasi hæ res prolixiore narratione non indigeant. ego vero etiam modum comprehensionis memoria dignum nec silentio prætereundum iudicaui, reputans ex lectione historiarum aliquam vtilitatem captantibus non sufficere si cognoscant solos rerum exitus: (dum vnusquisque caussas sibi exponi vult vnde quidq; prouenerit, & modum quo peractum sit, & consilia eorum qui negotiũ aggressi

gressi:tum quem Dei nutu res sortita sit exitum ; nec quidquam eorum quæ res comitari solent,auribus subtrahi)ac rempublicam tractantibus pernecessariam esse cognitionem talium, vt in *similibus* casibus exēpla in promptu habeant. Modus autem comprehendendi excogitatus à consule fuit talis.delectis è senatorum numero qui ætate & viribus valerent maxime,iussit eos cumprimum signum *à se datum* accepissent,cum fidissimis amicorum & cognatorū occupare munita vrbis loca domiciliis suis proxima. equites quoque præmonuit vt in foro circa ædes opportunissimas præsto essent cum gladiis, & iussa quæ daturus esset peragerent. ac ne in sontium comprehensione,familiares eorum aliiue ciues aliquid auderent , neve rebus turbatis cædes inter ciues patrarentur : per litteras obsidenti Fidenas collegæ significauit , vt initio noctis è castris ad vrbem cum meliori exercitus parte profectus , in montano loco mœnibus proximo armatus consisteret.

His *ita* præparatis indices iussit coniurationis ducibus *edicere*,vt circa medium noctis in forum venirent cum sociorum fidissimis,accepturi illic ordinem,locum , & tesserā *rei gerendæ*;& quid cuiq; faciendum esset,audituri. Factum est ita:& postquam socii cum suis omnibus in forum confluxere,signo illis ignoto statim arces & loca vrbis editiora armis pro defensione patriæ implentur,foroque circumfusæ equitum custodiæ impediunt , nequis inde possit elabi: eodemque tempore alter consul Manius à Fidenis in campum cum copiis aduentat,cum primum autem illuxit, cōsules cum armatis pro tribunali aderant:dimissisque per omnes vicos præconibus qui in concionem vocarent populum,collecta mox vniuersa vrbana multitudine , exposuerunt ei coniurationem de reducendo tyranno initam,productis *coniurationis* indicibus.deinde facta potestate dicēdi siquis fidem indicum in dubium vellet adducere , nemine ad infitiationem refugiente , digressi è comitio in curiam, in senatu rogabant sententias:cumque senatusconsultum in tabulas retulissent, reuersi in concionem, populo id recitauerunt.fuit autem huiusmodi: Tarquiniis conspirationis indicibus dari ius ciuitatis , & vtrisque argenti decies millenas drachmas , & agri ex publico vicena iugera : socios autem coniurationis comprehendi & necari , si idem LVIII.

videretur populo. cumque collecta multitudo ratum faceret senatus decretum, iusserunt *primum* è foro secedere qui ad concionem conuenerant; deinde ministros cum gladiis accersiuerunt, totamque coniuratorum turbam trucidare iusserunt. qui sontes, quo loco circumclusi erant, vndique cinctos omnes ad vnum confecerunt. Quo facto consules contra neminem amplius admiserunt indicium; sed quotquot è conspiratis præsentem pœnam effugissent, omnes *vna sententia* absoluerunt à crimine; vt omnis turbarum materia in vrbe aboleretur. Coniuratis hoc pacto deletis, senatusconsultum factum est vt tota lustraretur ciuitas, quod necessitate coacta esset ciuilis cædis auctor fieri: cum nefas esset ad sacra accedere, & victimas immolare, antequam facinus expiatum esset, luesque solitis lustrationibus abolita. cumque vniuersas religionis ceremonias patrio ritu peregissent diuini cultus antistites, senatus tum demum sacra ad agendas *Diis* gratias, & ludos celebrari iussit, tresque huic rei dies festos instituit. Cumque alter consul Manius Tullius in sacris his & ab vrbe denominatis ludis, dum pompa deduceretur, è sacro curru in ipso circo prolapsus, & tertio post pompam die defunctus esset, reliquum *anni* spatium, quia perparuum fuit, Sulpicius solus magistratum obtinuit.

Lustratio publica.

LIX.

A.V.C.255. conss. P. Veturio & T. Æbutio, Fidena obsessa, Signia defensa.

Sequenti anno consules facti, Publius Veturius, & Titus Æbutius Elua. Æbutio res vrbanæ commissæ, quod diligenti opus habere viderentur custodia, nequid aliud rerum nouarum molirentur pauperes. Veturius cum dimidio copiarum Fidenatem agrum vastauit obstante nemine; & obsessum oppidum assiduis tentauit oppugnationibus: cumque mœnia expugnare non posset, vallo ac fossa circumquaque cinxit, fame ad deditionem coacturus. Sed Fidenatibus iam *magna difficultate* laborantibus *commodum* venit Latinorum auxilium, vna cum frumento armisque & aliis rebus bello necessariis, submissum à Sexto Tarquinio. quo freti, ausi sunt ex vrbe progredi, & in aperto castra metari non mediocribus *aucti* copiis. Tum Romani, cum nihil amplius circumuallatione viderent proficii, parabant se ad prœlium. pugnatumque est prope muros aliquamdiu æquo Marte. vicit postremo Romanorum duritia multis laboribus cōfirmata: Fidenatesq; , licet numero plures,

ro plures, à minore manu pulsi, terga vertêre. cædes tamen non magna fuit ob propinquum refugium, cum insequentes telis repellerentur è mœnibus. quo facto, auxiliarii diuersi abierunt oppidanis nihil adiutis: & obsessi, denuo ad easdem redacti difficultates, inopia laborarunt. Eodē tempore Sextus Tarquinius duxit Latinorum exercitum ad Signiam Romanorum coloniam, sperans se primo impetu oppressurum præsidiarios. qui cum strenue depugnarent, diu ibi moratus, nihil tamen egit memorabile: sed *tādem* hac etiam spe frustratus, cum *nouum* præsidium, commeatusque, & auxilia mitterentur à consulibus, soluta obsidione reduxit copias. Sequenti anno consules creati Titus Largius Flauus, Quintus Clœlius Siculus. Clœlius *domi* rempublicam curare à senatu iussus est cum dimidio exercitus, retento ad cauendas res nouas; quia miti esse ingenio videbatur, & popularis. Largius ad debellandos Fidenates instructum duxit exercitum, cōparatis rebus ad obsidionem necessariis. quos diuturnitate belli rerumque omnium *victui* necessariarum inopia fessos, infestabat *insuper* fodiendis subter mœnia *cuniculis* excitandisque aggeribus; machinas etiam admouens, & noctesque diesque oppugnationem sine intermissione continuans; quod speraret se breui oppidum vi capturum. nec enim Latinorū populi, quibus maxime freti Fidenates bellum tolerabant, eos tunc seruare poterant: quia nulla ciuitas per se valebat obsidionem soluere: necdum è tota gente in commune contractæ erant copiæ: sed aliquoties per legatos appellati ciuitatum proceres, *semper* idem responsum dabant, auxilia breui affore: res autem non respondebat pollicitis; sed verbis tantum suppetiarum spes fulciebatur. nec tamen prorsus de Latinorum ope desperabant Fidenates, sed spe ab illis facta obstinate nitebātur, & omnia perferebant mala; quāuis super alia fames intolerabilis premeret, multosq; mortales conficeret. Tandem prægrauati calamitatibus, legatione ad consulem missa, inducias petebant ad certum dierum numerum, deliberaturi interim quibus conditionibus amicitiam cum Romanis inirent. *reuera* tamen non consultationis caussa quærebatur mora, sed comparādi auxilii, sicut compertum est ex recentibus transfugis. proxima enim nocte spectatissimos ciuiū & gratiosissimos apud

LXX. *A.V.C.256 conss. T. Largio & Q. Clœlio, Fidenæ deditæ.*

LXXI.

Latinorum ciuitates, ad totam gentem supplicum ritu legauerant. Quo cognito, Largius petentibus inducias respondit, deponenda esse arma portasque aperiendas; atque tum *demum* impetraturos colloquium: alioqui nec pacem nec inducias, nec aliud quidquam humanum moderatumve sperandum eis à populo Romano. Ceterum legatos ad Latinum nomen missos accurate obseruabat ne redirent intra mœnia, interclusis omnibus viis ad oppidum ferentibus. quo factum est vt obsessi desperatis sociorum auxiliis, coacti sint ad hostium exorationem confugere: decretumque pro concione, pacem admittere quibus victor vellet conditionibus. Et adeo ciuiles erant eius seculi ducum mores, tamque abhorrentes ab omni arrogantia tyrannica quam ætatis nostræ duces pauci euadere potuerunt, clat potestatis magnitudine) vt deditione potitus oppido consul, nihil egerit de sua sententia: sed ademptis armis, & relicto in arce præsidio, ipse Romam abiit: coactoque senatu, dispiciendum patribus proposuit quo modo tractandi essent dedititii. Qui læti tantum honoris à consule sibi habitum, pronuntiauerunt nobilissimos Fidenatium à quibus defectionis initium ortum esset, quoscumque consul pœna dignos iudicasset, virgis *prius* cæsos plectendos capite: de ceteris in ipsius potestate reliquerunt quidnam vellet statuere. Ille totius negotii factus arbiter, paucos aliquot Fidenatium accusatos ab aduersæ factionis ciuibus, in omnium conspectu supplicio affecit, bonis eorum addictis ærario: reliquos omnes permisit frui bonis suis & patria. agri dimidium ademit: quem sorte *inter se* diuiserunt qui ad arcis custodiam ibi relinquebantur præsidiarii Romani. his rebus gestis domum reduxit exercitum.

LXXII. Huius deditionis fama vt perlata est ad Latinos, turbatæ ac territæ sunt vrbes vniuersæ, omnesque succensuerunt rerum publicarum administratoribus, quasi prodidissent socios: coactisque rursum apud Ferentinum concilii præsidibus, belli hortatores in armorum dissuasores multis verbis inuecti, (præcipue Tarquinius & gener eius Mamilius, Aricinorumque proceres) effecerunt suis concionibus vt omnes Latini nominis populi commune bellum contra populum Romanum susciperent. & nequis populus societatē proderet, neve sine communi consensu pacem priuatim faceret,

faceret, iureiurando se mutuo deuinxerunt: ac decreuerunt vt qui conditionibus his non starent, à fœdere exclusi, pro exsecratis & publicis hostibus haberentur. In hoc fœdus nomina & iusiurandum dedere proceres, Ardeatæ, Aricini, Bouillani, Bubetani, Corani, Cornetani, Gabini, Laurentini, Lanuuini, Lauiniẽses, Labicani, Nomentani, Norbani, Prænestini, Pedani, Querquetulani, Satricani, Scaptini, Setini, Tellini, Tiburtini, Tusculani, Trebani, Veliterni. ex his omnibus populis delectu iuniorum habito, tantum copiarum contractum iri, quantum Octauio Mamilio & Sexto Tarquinio satis videretur. hos enim crearant imperatores. Et vt honestam belli caussam habere viderentur, legatos Romam miserunt nobilissimos viros ex vnoquoque populo. Qui introducti in curiam, aiebant populum Romanum accusari à populo Aricino, non solum iter tutum præbuisse Etruscis bellum inferentibus Ariciæ, verum etiam adiuuisse eos rebus ad bellum necessariis; deinde eos qui ex prœlio effugissent, excepisse, inermes & saucios, omnesque seruauisse, cum non ignorarent eos commune bellum inferre vniuerso Latino nomini; ac si Aricia potiti fuissent, eos sine vllo impedimento cetera etiam *oppida* fuisse subiugaturos vniuersa. Si igitur velint iure cum Aricinis experiri in communi Latinorum iudicio, & stare iudicatis, bello opus nõ fore. quod si solita contumacia nihil iustum æquumve cognatis concederent, minabantur Latinos vniuersos cum eis bellum gesturos totis viribus. Senatus, considerata hac legatorum prouocatione, Aricinos in ius sequi noluit, quod in ea lite iidem & accusatores futuri essent, & iudices: præsertim cum suspicaretur, hostium iudicium non mansurum intra hos fines, sed grauiora insuper mandata iniuncturum. ideoque bellum accipere maluit. ac tametsi, quantum ad fortitudinem reique militaris peritiam attinet, nullam vrbi cladem metuebat, timebat tamen nonnihil *tam* numerosam hostium multitudinem: dimissisq; legatis circum finitimos populos, ambiebat eorum societatem; Latinis contrarias ad eosdem legationes mittentibus, & multa crimina in populum Romanum congerentibus. Hernici neutris legatis quidquam sani responderũt, sed vtrosque cum suspecto responso è concilio suo dimise-

Latinorum conspiratio.

LXXIII.

Finitimorũ pop. tergiuersatio.

runt. aiebant enim neutris se in præsens missuros auxilia; deliberaturos *prius* per otium vtrorum postulatio sit iustior; & ad eam deliberationem opus sibi esse anno integro. Rutuli Latinis auxilium diserte polliciti, Romanis tamen promittebant, si ponere inimicitias vellent, se sua intercessione Latinos ipsis reddituros æquiores, pacemq; conciliaturos. Volsci demirari se dicebant Romanorum impudentiam, qui & aliarum offensarum sibi conscii, & nouissime ablatæ agri partis optimæ, nihilominus auderent ab inimicis auxilia petere. irent & agrum prius restituerent; ac tum demum ab amicis quod æquum esset peterent. Etrusci vtrosque frustrabantur, cum Romanis dicentes recens sibi fœdus intercedere, cum Tarquiniis cognationem & amicitiam. Talibus responsis acceptis Romani non abiecerunt animos, licet magno bello instante nulla spes auxilii se ostenderet: sed freti solis domesticis viribus, multo alacriores ad certamen reddebantur, quasi necessario fortes in periculis futuri: & si res prospere succederent, propria virtute paraturi victoriam, nemini communicata gloria. tantus eis animus tantaque audentia

LXXIII. tot certaminibus supererat. Ceterum dum res ad bellum necessarias comparant, & copias conscribere incipiunt, difficultatis fuit nonnihil, non omnibus pari alacritate operam suam offerentibus. nam egeni, præsertim qui debita creditoribus exsoluere non poterant, quorum ingens erat numerus, ad arma vocati non parebant; nihil sibi cum patriciis esse dictitantes, nisi senatusconsulto remitterentur debita: immo non deerant qui deserturos se vrbem dicerent: seque inuicem hortabantur ne in ea vrbe sedem habere vellent in qua nullius boni essent participes. hos aliquandiu patricii lenire conabantur, & ad meliorẽ mentem traducere: sed cum hac ratione nihilo modestiores eos redderent, in senatu cõsultatum est quonam honesto modo ciuitas vacare à turbis posset. mediocris census & æquioris ingenii patres suadebant remittenda inopibus debita, redimendamque paruo dispendio beneuolentiam ciuium; è qua maximum emolumentũ tam priuatim quam publice percepturi essent. Huius sententiæ princeps erat Marcus Valerius Marci filius, vnius eorum qui tyrannidẽ sustulerunt, Publii, ob populi studium Poplicolæ cognominati,

Turba intestina ex inopi plebe.

Valerii de remittendis plebi debitis suasio.

minati, frater. hic docebat, eos qui pro paribus decertarēt commodis, pari ad rem *strenue* gerendam studio accendi solere: iis vero ad quos nihil inde fructus rediret, nullos suboriri spiritus generosos. addebat irritatos esse omnes inopes, obambulantesque per forum dictitare, Quid nobis proderit vicisse foris hostem, si *domi* fœneratoribus licet nos ob debita in neruum abducere? & asserto vrbi imperio, ipsi ne corporum quidem libertatem retinebimus? Nec id solum periculum ostendebat, ne plebs, si aduersus senatum exasperetur, rempublicam in periculis deserat (quod omnibus publicæ salutis amatoribus extimescendum sit) sed aliud etiam hoc grauius, ne tyrannorum blandimentis decepta, arma contra patricios sumat, & Tarquinios in recuperando imperio adiuuet. dum igitur adhuc intra verba & minas consistat, nec adhuc vllum improbum facinus perpetret, præuertendum esse periculum, & demerendam hac ope plebeculam, nec ipsos vel primos huius instituti auctores esse, vel magnam inde contracturos turpitudinem. nam multos ostendi posse qui & hoc & alia longe difficiliora sustinuerint, cum non daretur aliud remedium. Necessitati enim impares esse humani ingenii vires: omnesque homines tum demum de decoro dispicere, cum iam versantur in tuto. Enumeratis deinde multis multarum ciuitatum exemplis, postremum adduxit Atheniensium, ciuitatis omnium confessione sapientissimæ; quæ non ante multas ætates, sed patrum memoria, egenis remissionem debitorum suasu Solonis decreuerit: quod vrbis institutum à nemine reprehendi, nec consilii eius auctorem à quoquam populi adulatorem aut maleficum appellari; sed omnes & illis qui paruerint, prudentiæ; & huic qui suaserit, sapientiæ singularis testimonium perhibere. Romanis vero, qui non de paruis quibusdam commodis periclitentur, sed ne rursum tradantur immani omnique bestia ferociori tyranno, neminem sanæ mentis vitio daturum, si eadem humanitate ciues egenos pro inimicis reddant sibi belli socios. Mox ab externis exemplis transitu facto ad domestica, commemorauit necessitates superioris temporis: quando agro ab Etruscis occupato mœnibus inclusi, extremaque victus inopia pressi, non sumpsere animos insanorum mortemque appetentium hominum; LXXIV.

sed tempori cedentes, necessitate in consilium adhibita, sustinuerunt obsides dare Porsenæ virorum nobilissimorum liberos, (quod nunquam ante fecerant) & agri parte mulctari, concessis Etrusco Septem pagis; & in tyrannorum lite hosti de se iudicium permittere; dato insuper commeatu, armis & quidquid Etrusci pro belli depositione postulassent. His exemplis vsus, negabat eiusdem esse prudentiæ, hostibus nihil quod poscerent denegare, & cum ciuibus de re parua contendere; præsertim qui & sub regibus multa ac præclara pro imperio subierint certamina, & gnauos se in vindicanda ab tyrannis republica exhibuerint, & maiori etiam ad ceteras res studio accessissent, si opera illorum fuisset expetita: opibus quidem destituti, sed animas & corpora, quę sola illis supererant, liberaliter pro patriæ salute periculis impendentes. aiebatque etiam si illi præ pudore nihil tale auderent dicere aut per alios indicare, patriciorum esse decenter eis prospicere, & quibuscumque rebus opus habere scirent vel priuatim vel publice, eas prompte largiri; reputando contumeliosum esse, quorum vtantur corporibus, eis non gratificari in nummaria: & iactare apud omnes, bella se pro publica libertate gerere; atque *interim* eandem illis eripere quorum auxilio parta sit; non quod improbitatem eis exprobrare possint, sed tantũ inopiam; quæ miseratione potius quam odio digna sit.

LXXV.
App. Claudii dissuasio.

His dictis cum multi assentirent non sine laude Valerii, Appius Claudius Sabinus suo loco rogatus sententiam, suasit contrarium, negans debitorum remissione seditionem ex vrbe excisum iri, immo eam periculosius ad diuites migraturam ab inopibus. omnibus enim liquere, grauiter laturos eos qui pecuniis fraudabuntur, cum sint ciues, & in *publicis* versentur honoribus, omnibusque expeditionibus interfuerint: nec passuros bona relicta sibi à maioribus, auctaque sua industria & parsimonia, publicari nequissimis & ignauissimis ciuium. magnæque fatuitatis esse, dum deteriori parti ciuitatis gratificari volunt, potiorem despicere; opesque alienas iniustissimis ciuibus publicando, eos qui legitime illas conquisiuerunt defraudare. Cogitandum præterea, non ab inopibus, in quibus nihil sit virium, perdi respublicas, quando hi necessitate contineantur in officio, sed à diuitibus & gerendæ reipu-

reipublicæ idoneis, si à deterioribus afficiantur iniuria, & ius suum obtinere nequeant. Ac si maxime ii qui creditis fraudantur, nihil plane indignentur, sed leniter & indulgenter damna sua perferant, ne sicquidem honestum fore aut tutum patribus, ita gratificari inopibus, vt è vita tollantur contractus & commercia, pro quibus succedat inhumanitas & rerum necessariarũ, sine quibus incoli vrbes nequeunt, penuria, dum ne coloni in agris serunt & plantant, nec *nautæ* mare nauigant, aut negotiatores transmarinos commeatus subuehunt, nec aliis iustis laboribus vacant pauperes. in omnia enim hæc, quoties opus fuerit, neminem diuitum impensurum suas pecunias. ita futurum vt opibus inuideatur, & laborum studium tollatur, potiorque sit conditio perditorum quam frugi hominum, iniustorum quam iustorum, aliena vsurpantium quam sua tuentium. eas vero esse veras seditionum caussas in vrbibus, mutuarumque cædium & omnium malorum per quæ fortunatissimæ ciuitates libertate excidunt; quæ vero inferioris conditionis sunt, etiam funditus intereunt. Sed maxime considerandum ipsis, qui nouam reipublicæ formam inducant, nequis malus in eam mos surrepat, quod necessario, qualiacumque sunt publica studia, talis etiam fiat vita priuatorum hominum. nullum autem esse morem peiorẽ in vrbibus domibusve, quam vnumquemque pro libidine semper viuere, & potiores omnia indulgere deterioribus, siue id sponte siue coacti faciant. nec enim expleri amentium cupidines, si potiantur quibus libet; sed mox alia maiora concupiscere, atque ita in infinitum progredi: idque maxime vulgi esse ingenium. quæ enim quisque aut pudore proprio, aut ab alio præstantiore cohibitus veretur facere, ea si vulgo fiant, delinquit facilius, in sua voluntate confirmatus aliorum libidine simili. inexplebiles porro & infinitas esse insensati vulgi cupiditates: quarum principiis resistendum esse, dum adhuc sunt inualidæ; non quum magnis & validis *adminiculis* conuelli nequeunt. nam grauius irasci cunctos, si *semel* concessis priuentur, quam si speratis frustrentur. Exempla deinde aliquot Græcarum vrbium commemorauit, quæ intempestiua lenitate admissis malorũ morum principiis, non amplius eos potuerint tollere; eoque in fœ-

LXXVI.

das & insanabiles calamitates inciderint. ciuitatem enim similem esse vni homini; in quo senatum animus, plebem corpus referat. itaque si dementem plebem senatui imperare siuerint, perinde fore acsi animum corpori subiicerent, vitamque non ratione sed affectibus regerent. quod si plebem senatui parere & obsequi assuefecerint, sic facturos vt illi qui corpus animo subdunt, & in omni vita honestatem, non voluptatem respiciunt. Post hæc aiebat vrbi nihil magnopere obfuturum etiamsi egeni negata sibi debitorum remissione detrectent militiam; dicens omnino paucos esse quosdam qui præter corpus nihil sibi reliquerint: quorum neque præsentia in expeditionibus magnam vtilitatem afferat reipublicæ, neque absentia multum incommodet: quod qui minimum habent censum, vltimum in bello locum teneant, & legionum additamentum sint ad pauorem incutiendum hostibus; vt qui præter fundas nihil telorum gestent, quarum minimus vsus sit in prœliis.

LXXVII. Eos vero qui paupertatem ciuiũ miseratione dignam censent, & iis qui soluendo non sint subueniendum existimant, considerare iubebat vndenam illa egestas acciderit, cum agri portiones à maioribus relictas acceperint, & in militia multa lucrati sint, ac postremo è publicatis tyrannorum bonis iustam *quisque* portionem adepti: vt quos ventri turpibusque voluptatibus impendisse fortunas videant, eos propudia & noxas vrbis existiment; magnumque reipublicæ commodum, si vltro in malam rem abeant: quos vero iniquitate fortunæ excidisse facultatibus senserint, eis de propriis bonis benefaciant. id autem optime & nosse & facturos esse illorũ creditores: illosq; ipsos infortuniis eorum subuenturos, non coactos ab aliis, sed sponte *inductos*; vt ipsis pro pecuniis reponatur pulchrum gratiæ debitum. communem autem opem ferre malis pariter ac probis; & de alieno, non de proprio benefacere; tum, quibus adimitur pecunia, eis ne gratiam quidem pro beneficio *debitam* relinquere: id vero alienum esse à Romanis virtutibus. Supra hæc omnia rem esse longe grauissimam, nec ferendam Romanis qui in alios imperium sibi vindicent, si, quæ maiores magno labore parta prognatis ex se reliquerunt, ea non animi sponte, neque persuasi, neque suo tempore, quando

reipublicæ

reipublicæ quam optime consulendum est; sed quasi capta vrbe, aut breui in hostis potestatem ventura, præter suam voluntatem ita collocent, vt inde nihil aut perparum commodi percipiant, & insuper tetra sibi accersant mala. Longe enim satius esse Latinorum imperata vt minus iniqua facere, extra omne belli periculũ, quam nullius bonæ frugi hominibus concedendo quæ postulant, fidem à maioribus templo & anniuersariis sacrificiis honoratam, ex vrbe tollere, vt funditorũ ad bellum societas acquiratur. Summa autem sententiæ hęc erat; Ciues qui communem belli fortunam experiri vellent, iisdem quibus ceterorũ quemlibet conditionibus ad res gerendas assumendos esse: eos vero qui quomodocumque paciscerentur de armis pro patria sumendis, valere sinendos; vt qui, etiamsi assumantur, nihil sint profuturi. Si enim hanc *senatus voluntatem esse* didicerint, vltro venturos & bene reipublicæ cõsulentibus prompte obsecuturos. nam stultorum semper id esse ingenium, vt si quis eos aduletur, magnos sumant spiritus; & contra si terreat, moderatiores sese præbeant. Ita *ibi* duæ aduersissimæ sentẽtiæ dictæ sunt; & præter eas aliquot aliæ mediam inter illas viam tenentes. nam quidam censebãt his tantum remittenda debita qui nihil possiderent; & fœneratoribus abducendi ius permittendũ in bona, non etiam in corpora. quidam debita eorum qui soluendo non essent, ex ærario persoluenda iudicabant: vt & pauperũ fides publica gratia seruaretur, & creditoribus ab iniuria caueretur. quidam eos qui ob debita vel nexi iam essent, vel *breui* libertatem amissuri, è mancipiorum numero eximẽdos aiebant, & pro his alia fœneratoribus reddenda mancipia. Has omnes vna sententia vicit; nullum in præsens senatusconsultum fieri: sed bello bene finito consules super ea re ad senatum referre debere, & calculum patribus permittere; suspensis interim omnibus tum creditarum pecuniarum tum iudicatorum exactionibus; vt magistratus à reliquis negotiis vacui, tantum de rebus ad bellum attinẽtibus dispicerent. Hoc senatusconsultum vbi in populum exiit, turbationẽ ciuium aliquantulũ minuit; nec tamen in totũ cessauit seditio. quidam enim è mercenariorũ vulgo, non multũ spei ponentes in senatus auxilio, nec liquido satis, nec certo, postulabant duorũ alterũ, aut remissionẽ de-

LXXVIII

S. C. de suspendendis exactionib. inualidum.

bitorum concederent, si se vellent periculorum socios; aut per dilationes nullum fucum facerent. aliam enim mentem esse indigentibus, aliam assecutis ea quibus eguerunt.

LXXIX. In hoc rerum statu senatus dispiciens quo pacto effici posset ne quas amplius res nouas moliretur populus, decreuit consulari potestate in præsens sublata, alium magistratum creare, penes quem belli pacisque & omnium aliarum rerum plena potestas esset, & à quo consiliorum factorumque rationem reposcere non liceret. ei semestre tempus præstitutum; quo exacto consules reipublicæ gubernacula reciperent. Vt autem ad depellendum tyrannorum bellum spõte subirent tyrannidem, inter alias præcipua causa fuit lex Valeria, quam ante diximus latam à Poplicola consule: quæ non permittebat consulibus vt ante caussæ dictionem pro suo arbitratu supplicium de quoquam sumerent; facta reis potestate vt antequam ad supplicium ducerentur, ad populi iudicium prouocare liceret; & tantisper dum populus de ipsis suffragia tulisset, tam bona eorum quam corpora in tuto essent: eum vero qui contra hanc legem fecisset, impune liceret occidere. Itaque videbatur manente hac lege ad nulla munia per magistratus cogi posse inopes: nimirũ sublato metu supplicii, quod non ex re nata sumi poterat, nisi populus suo calculo reum condemnasset: cessante vero lege, necessario iussa facturos. & ne obsisterent pauperes si quis legem propalam violaret, decreuit senatus in rempublicam introducere potestatem tyrannicæ parem, omnibusq; legibus superiorem. atque ita conscripsit eiusmodi senatusconsultum quo latenter & inopes circumuenirentur; & lex *Valeria*, quæ libertatem eorum tuebatur, eneruaretur. fuit autem tale: Largium & Clœlium consules & si quis alius magistratu aliquo aut publico munere fungeretur, potestatẽ deponere: vnum autem virum à senatu electum, populiq; suffragiis approbatum, habere semestrem potestatem rerum omnium ampliorem quam sit cõsulum. Hoc quid sibi vellet non satis intelligentes plebeii, senatusconsultum ratum fecerunt: quamuis maior esset huius magistratus potestas quam legitimæ tyrannidis: simulque senatui permiserunt vt priuato consilio magistratũ illum legeret. Mox sollicite agitatum in senatu de viro ad hoc idoneo. videbatur enim

S.C. de creando dictatore.

LXXX.

respu-

respublica opus habere gnauo aliquo viro reique militaris peritissimo; ad hæc prudente ac temperato, qui se potestatis amplitudine à sapientiæ præscripto abduci non sineret: quique præter has & ceteras boni imperatoris virtutes, habenas imperii stringere nosset, nec se in castigandis immorigeris mollem præberet; quod tum quærebatur maxime. Cumque hæc omnia quæ requirebant, adesse viderent alteri consulum Tito Largio, (nam Clœlius, excellens ciuilibus artibus, industria militari carebat, nec cum terrore imperitare norat, & in puniendis immorigeris erat clemētior) senatus pudore quodam retinebatur, ne abrogato alteri magistratu legitimo, amborum potestatem alteri largiretur maiorem regia: simulque subuerebatur ne Clœlius prælatum sibi collegam ægre ferens, id senatus factum interpretaretur in suam contumeliam: mutataque voluntate, plebis patrocinium sumeret, & statum reipublicę subuerteret. In eo omnium pudore cum diu nullus sententiam in medium proferre ausus esset, *tandem* is qui ætate & honore consulares anteibat, *talem* dixit sententiam qua amborum pari honore seruato, ex illis ipsis magistratui magis idoneum acciperent. Ait enim, quandoquidem senatus decreuerit, & populus approbarit, vt summa imperii potestas vni committatur; ac duo supersint quæ consilium & curam non exiguam requirant, cuinam dandus magistratus par tyrannidi, & à quo magistratu legitimo creandus, videri sibi, alterum consulum, siue cedente collega, siue sorte missa, è Romanis eligere quem optime rempublicam administraturum existimet. interregibus enim nunc opus non esse, penes quos regni temporibus designandi regis arbitrium fuerit: quando respublica legitimum magistratum habeat. Eam sententiam laudantibus omnibus, assurgens alius: Mihi, inquit patres conscripti, hoc videtur addendum: Quoniam hoc tempore duo præstantissimi viri administrant rempublicam, quibus meliores vix inueneritis, alteri dari nominandi potestatem, alterum à collega eligi, vbi inter ipsos comparatum fuerit vter sit magis idoneus: vt honore æquati, parem quoque lætitiam percipiant: alter, ob ornatum collegam suo testimonio: alter, ob collegæ de se iudicium. nam vtrunque & iucundum & honestum est. Equidem scio, etiamsi hoc non fuisset additum LXXXI.

sententiæ, ipsos nihilominus facturos fuisse; sed rectius ta-
men fiet, si vos quoque id velle sentiant. Placuit omnib
hæc sententia: nec addito vllo *verbo* senatusconsultum fa-
ctum est. Tum consules accepta potestate diiudicandi v
ter ipsorum aptior esset ad imperium, mirandum quidda
fecerunt & vix vlli credibile. neuter enim se imperio d
gniorem censuit, sed collegam: & totus ille dies consum
ptus est in mutua virtutum enumeratione, & hono
deprecatione: perplexo & anxio senatu in ista contentio
consulum. dimisso deinde senatu, cognati vtriusque, & n
quorum senatorum honoratissimus quisque, Larg
conuenientes, vsque ad noctem obtundebant prec
docentes in illo sitam totam senatus spem, & istum h
ris contemptum esse damnosum reipublicæ. ille vi
eos constanter ingeminatis precibus atque obtesta
bus pergebat repellere. Sequenti vero die coacto ru
senatu, detrectantem tunc etiam & contra omnium m
ta non decedentem de proposito assurgens Clœlius
nuntiat; (vt interreges facere consueuerant) ipseque c
LXXXII. latum eiurat. Hic primus omnium Romæ mo
designatus est, cum plenaria belli ac pacis omnium
Dictator primus T. Largius. liarum rerum potestate; & Dictator appellatus, siu
testate imperandi & edicendi quidlibet, tum aliis c
iusta pro suo arbitrio præscribendi; (mandata enim
que & iniusti præscriptiones, *Edicta* Romani vocan
(vt quidam malunt) quod a collega dictus (hoc est n
natus) sit: non enim à populo magistratum accepit
patrio, sed ab vno viro designatus est. *simulq;* cauebat
inuidiosum & molestum nomen imponeretur magi
ciuitatem liberam gubernaturo; tum subditorum a
ne odiosis vocabulis offenderentur; tum etiam ip
qui id imperium assumūt respectu, ne quod forte deli
per imprudentiam vel ab aliis in ipsos, vel ab ipsis in
committeretur; qualia istiusmodi potestates ferunt.
statis sane quam dictator habet, magnitudo, ipso voc
haudquaquam declaratur. nam electitia quædam ty
est dictatoria potestas. Videntur autem mihi Roma
hanc administrationis publicæ speciem mutuati à Gr
nam qui αἰσυμνῆται apud priscos Græcos vocabantu
ut in *commentario* De regno Theophrastus narra

ranni quidam erant electitii. eligebantur autem à ciuitatibus pro ratione temporum; non infinitum nec continuum, sed certum præfuturi temporis spatium, quando & quantisper postularet reipublicæ vtilitas: sicut Mitylenæi olim elegerunt Pittacum contra Alcæum poetam cum sociis exsilio mulctatum. Eum *magistratum* primi *repertores* amplexi sunt cum *rei* vtilitatem experimento didicissent. A principio enim omnibus Græciæ ciuitatibus sui erant reges; nisi quod illi non barbarica licentia dominabantur, sed iuxta leges & mores patrios regnum exercebant: optimusque rex habebatur qui esset iustissimus & legum seruantissimus, nusquam discedens ab *institutis* patriis: id quod ex Homero etiam liquet, dum reges vocat δικασπόλους siue θεμιστοπόλους, hoc est iuris tractatores: diuque regnatum est certis conditionibus, sicut apud Lacedæmonios. Sed postquam aliquot eorum inceperunt abuti potestate, & in rebus administrandis rarius leges quam suam libidinem sequi, plerique *Græci* rei tædio affecti, regiam reipublicæ formam aboleuerunt; legibusque & magistratibus institutis, illis præsidiis respublicas tueri ceperunt. Quoties autem nec leges satis tuerentur iustitiam, nec magistratus & rerum curatores ad legum tutelam sufficerent, & tempus quod multa innouat, amplecti cogeret instituta non tam optima quam ad pręsentem rerum statum accommodatissima, non solum in *improuisis* casuum aduersitatibus, verũ *nonnunquam* & in immodicis prosperitatibus, quę bonam constitutionem reipublicæ corrumperent, celeremque ex vnius arbitrio correctionẽ postularent, necesse erat regias ac tyrannicas potestates rursus in mediũ proferre, conuelatas honestioribus vocabulis. Sic Thessali ἄρχους, (*id est imperatores*) sic Lacedæmonii ἁρμοστὰς (*id est moderatores*) eos appellabant. nã reges & tyrannos nominare verebantur, quod religio esset restituere potestates quas cũ iureiurãdo & deuotione Diis *ipsis* approbãtibus abrogassent. Ego igitur (vt dixi) à Græcis desumptum hoc exemplũ opinor, sed Licinius ab Albanis mutuatum mauult, qui primi post Amulii Numitorisq; obitũ deficiente stirpe regia magistratus annuos creauerint, cõcessaq; potestate regia Dictatores nominauerint. ego non tã de nomine inquirendum putaui, vnde profectum Romã peruenerit, quam de exẽplo ipsius

Tyrannis extemporalis & certo limitata spatio.

LXXXIII

poteſtatis quam in ſe continet hæc appellatio. Verum de hoc plura ſcribere non videtur præſentis operis.

LXXXIV Quomodo autem Largius primus dictator rempublicam adminiſtrarit, quemque huic magiſtratui ornatum addiderit, compendio conabor dicere. ratus lectori hæc vtiliſſima, quæ magnam copiam præbebunt pulchrorum ac conducibilium exemplorũ legislatoribus & iuuentutis informatoribus, ceteriſque omnibus qui ad reſpublicas tractandas animum adiiciunt. Non enim illaudatæ humiliſve ciuitatis inſtituta & vitæ rationes, neque ignobilium negligendorumve virorum conſilia resque geſtas narrabimus, vt ſtudium noſtrum paruis & friuolis rebus impenſum, tædioſa nugacitas videri poſſit: ſed de ea vrbe dicemus, quæ omnibus quid iuſtum & pulchrum ſit præſcribit: & de ducibus qui eam ad hoc dignitatis faſtigium perduxerunt: quorum cognoſcendorum ſtudioſus, facile ſapiens & ciuilibus negotiis aptus euaſerit. Ergo mox vt magiſtratum iniit, equitum magiſtrum creauit Spurium Caſſium, qui conſulatum geſſerat circa Olympiadem ſeptuageſimam qui mos vſque ad noſtram ætatem ſeruatur à Romanis, nec vllus hucuſque dictator imperium abſque magiſtro equitum geſſit. Deinde poteſtatis vim oſtendere volens quanta ſit, ad terrorem magis quam ad vſum, lictores iuſſit cum faſcibus ſecures ſibi per vrbem pręferre, renouato more qui regibus quidem vſitatus, ſed à conſulibus intermiſſus fuit, dum Poplicola primus conſul noui magiſtratus inuidiam minuere voluit. His ceteriſque regii principatus inſigniis vbi turbulẽtos & nouarum rerum ſtudioſos animos perterruit, ante omnia Romanis vniuerſis imperauit quod à Seruio Tullio populariſſimo rege quam optime inſtitutum fuerat, vt tributim fortunarum ſuarum cenſum offerrent *ſinguli* adſcriptis vxorum & liberorum nominibus, ſuiſque & liberorum ætatibus. Peracto intra breue tempus cenſu omnium, (grauis enim pœna detrectantibus erat propoſita, bonorum pariter & ciuitatis amiſſio) reperta ſunt cẽtum quinquaginta millia eorum qui pubertatem attigiſſent, & ſeptingenti inſuper. Deinde militari ætate ſeparata à ſenioribus, digeſtaque per centurias, tam pedites quam equites quadrifariam diſtribuit, & è quatuor præcipuam partem circa ſe habuit, è reliquis Clœlio in conſulatu collega

Dictator primus qua & quomodo geſſerit.

LXXXV.

collegæ optionem fecit quam vellet accipere; tertiam Spurio Cassio magistro equitum attribuit: ei quæ supererat, fratrem præfecit Spurium Largium. hæc vrbi præsidio fuit, manens vna cum senioribus intra mœnia. Bello satis apparato, productisque sub diuum copiis, terna castra metatus est, qua maxime venturos Latinos suspicabatur. Cogitans autem prudentis imperatoris esse, non tantum suas partes roborare, verum etiam hostiles debilitare, & in primis sine pugna laboreque bella conficere, aut certe quam minimo detrimento militaris multitudinis, eaque pessima esse bella & molestissima quæ quis contra cognatos & amicos suscipere cogitur, existimabat ea magis ex æquo quã ex iure dirimenda. quapropter *certis* hominibus, de quibus nulla erat suspicio, dimissis clam ad Latinorum nobilissimos, suadebat eis vt de pace agerent: palam quoque legationibus tum singulatim populos, tum in commune totam gentem sollicitans, facile effecit ne omnes æque procliues essent ad id bellum. in primis autem variis eos officiis demerens, ista beneficentia permouit vt à ducibus dissiderent. At Latinorum imperatores, Sextus & Mamilius, intra Tusculum continendo copias, parabant se quasi Romam versus moturi, diu tamen tempus terebant, siue quod exspectarent eos populos qui nondum aderant, siue quod exta nihil fausti promitterent. interim pars quædam à reliquo exercitu diuulsa Romanum agrum populabatur. LXXXVI
Ea re cognita Largius immittit in eos Clœlium cum fortissima equitum & velitum manu. qui nec opinantibus superueniens, paucos aliquot repugnantes interficit, viuos capit reliquos. hos dictator curatos ex vulneribus, cæterisq; humanitatis officiis deuinctos, vniuersos Tusculum remisit sine pretio: & cum his legatos misit Romanorum nobilissimos; per quos effectum est vt dimisso Latinorum exercitu induciæ in annum fierent. His gestis domum reduxit exercitum, & antequam totum imperii tempus expleuisset, designatis *prius* consulibus, dictaturam deposuit, nemine ciuium à se occiso, nec pulso in exsilium, nec aliis grauibus malis inuoluto. Id exemplum omnes postea dictatores pari æmulatione secuti sunt vsq; ad ætatem ab hac nostra tertiam. Nusquam enim in omni historia proditum reperimus, aliquẽ in hoc magistratu se gessisse immodeste

vel inciuiliter; quamuis sæpe respublica solennibus magistratibus abrogatis, omnia vnius potestati permittere sit coacta. qui si in externis tantum bellis dictaturam adepti, bene patriam defendissent, nil corrupti magnitudine imperii, minus mirum esset: nunc etiam in ciuilibus seditionibus, multis illis ac magnis, dum vel regni tyrannidisque affectatæ suspicio, vel aliæ innumeræ calamitates amoliendę erant, omnes, quotquot tantam potestatem acceperunt, inculpatos sese primique dictatoris similes præstiterunt: vt hæc omnium esset opinio, dictaturam esse vnicum cuiusuis insanabilis mali remedium; & extremam hanc salutis spem reliquam esse, vbi ceteras iniuria temporis præcidisset vniuersas.

LXXXVII. Sed patrum ætate, elapsis à dictatura Titi Largii annis circiter quadringentis, odiosa res visa est omnium mortalium iudicio, quando Lucius Cornelius Sulla primus & solus acerbe crudeliterque ea vsus est. vt tum primum sentirent Romani quod superioribus temporibus ignorauerant, dictaturam esse tyrannidem. nam & senatum ex qualibuscunque constituit, & tribunitiam potestatem quam arctissime contraxit, & vrbes desolauit integras, & regna alia sustulit, alia instituit; aliaq; multa superbe gessit, de quibus longum esset dicere. ciuium quoque prӕter eos qui prœliis absumpti sunt, dedititiorum interfecit non minus quatuor millia, & ex his aliquot tormentis prius excruciatos. An autem necessario & ex reipublicæ commodo omnia illa fecerit, inquirere non est præsentis temporis: tantum ostendere volui ob hæc *facinora* graue & inuisum redditum esse dictatoris vocabulum. id quod non solis potestatibus, sed ceteris etiam vulgo mirandis expetendisq; rebus interdum euenit. Omnia enim, honesta & vtilia videntur *tantisper* dum vsus eorum rectus est: quo per eos qui illis præsunt deprauato, eadem turpia habentur & inutilia. Eius autem rei caussa est natura, quæ cum omnibus bonis fatales pestes subolescere voluit. Verum de his alio tempore disputari potest commodius. Sequens annus consules habuit Aulum Sempronium Atratinum, Marcum Minucium, olympiade septuagesima prima, qua in stadio vicit Tisicrates Crotoniata, principatum Athenis obtinente Hipparcho.

Dictatura odium conflauit Sylla.

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATUM Romanarum Liber sextus.



SEQVENS annus consules habuit Aulum Sempronium Atratinum, Marcum Minucium; Olympiade septuagesima prima, qua in stadio vicit Tisicrates Crotoniata, principe Athenis Hipparcho. Hi consulatus sui tempore nihil aliud memorabile vel in bello vel *domi* in republica gesserũt: (nam & induciæ cum Latinis dabant ab externis bellis otium; & suspensa ex Senatusconsulto fœnorum exactio, donec imminens bellum ad tutum peruenisset exitum, cohibebat in vrbe motus inopum publicam debitorum remissionem flagitantium) sed *tantum* effecerunt vt ratum fieret Senatusconsultum *quo permittebatur* vt siquæ Latinæ mulieres viris Romanis æquitate & prudentia conspicuis nuptæ essent, aut Romanæ Latinis, penes ipsas esset arbitrium, vellentne manere apud coniuges, an patrias repetere: è liberis, mares apud patres suos manerent: fœminæ innuptæ proficiscerentur cum suis matribus. erat autem frequens inter vtrumque populum connubium propter cognationem & amicitiam. Hæ tum accepta ex hoc decreto licentia, satis indicarunt quanto tenerentur vrbis desiderio. nam & Romanæ, Latinis oppidis maritisque relictis, pene omnes ad parentes reuersæ sunt: & Latinæ in

I. *A.V.C. 257 Olymp. 71. A. Sempronio, M. Minucio conss. quies a bellis.*

vrbe nuptæ, duabus exceptis, maritos prætulerunt patriæ; felici vrbis bello superaturæ augurio. His consulibus fe-runt templum Saturno dedicatum in cliuo quo è foro in Capitolium ascenditur; & ferias publicas cum sacrificio decretas in annos singulos. Aram vero quæ antea ibi fuerat, ab Hercule erectam perhibent; super qua sacerdotes ab eo instituti, primitias & sacra igni adolenda Græco ritu offerebant. Eius templi fundationem quidam inscriptam tradunt Tito Largio superioris anni consuli; quidam Tarquinio Superbo è regno expulso: dedicationem vero ex Senatusconsulto accepisse Postumum Cominium. Horum igitur consulatu, vt diximus, alta pax fuit. Post eos facti

II. A.V.C.258. A. Postumio & T. Virginio conss. redintegratũ bellum Latinum.

sunt consules Aulus Postumius, Titus Virginius; sub quibus finitæ sunt annuæ cum Latinis induciæ, & bellum vtrinque magno apparatu instauratum. Romana multitudo tota erat ad decernendum alacris: Latini contra maxima ex parte inuiti cogebantur, proceribus populorum præter paucos corruptis Tarquinii Mamiliique muneribus & pollicitis; plebeiis vero, quibus bellum non placeret, semotis à cura reipublicæ nec enim vlli amplius fandi dabatur copia. quamobrem multi moleste ferentes indignitatem rei, necesse habebant relictis suis ciuitatibus ad Romanos transfugere; non enim vetabantur à potentioribus; quibus pergratum erat dissentientes vltro à se profugere. hos Romani excipientes, quotquot cum vxoribus & liberis venirent, domesticæ ascribebant militiæ, intermixtos vrbanis centuriis; reliquos circa vrbem per castella & colonias diuisos obseruabant nequid noui molirentur. cumque rursum omnes vno consensu iudicarent reipublicæ iterum opus esse vnius hominis imperio, quod pro suo arbitratu administraret omnia, nec vlli rationem reddere

2. dictator A. Postumius.

teneretur, iunior consul Aulus Postumius à collega Virginio dictator dictus est: isque vt superior dictator, magistrum equitum assumpsit Titum Æbutium Eluam: properatoque iuniorum delectu, & diuisis quadrifariam copiis, vnam partem sibi, alteram Virginio consulatus collegæ attribuit, tertiam Æbutio magistro equitum; quartam Aulo Sempronio, quem vrbi tuendæ præfecit. Iamque omnibus rebus ad bellum instructo speculatores nuntiant Latinos iter ingressos cum toto

exercitu

exercitu: ac mox alii, primo eos impetu occupasse munimentum quod Corbionem nominant, à paucis custoditũ præsidiariis; quos illi ad vnum occiderunt, & eum locum fecerunt belli receptaculum, mancipiis tamen & pecoribus non multis in agro potiti sunt, præter ea quæ Corbione ceperant; eo quod agrestes cum rebus suis quę agi ferrique possent, in proxima munimenta se quam potuerant maturrime contulerant. quapropter villas desertas incēderũt, & terram vastauerunt. acceperant autem in ea expeditione ab Antio Volscorum vrbe nobilissima, & recentes copias, & arma & frumentum, aliaque bello necessaria. qua accessione multum animati, bonam spem habebant ceteros quoque Volscos in societatem venturos, facto ab Antiatibus initio. His cognitis, Postumius celeriter occurrit hostibus, prius quam *in vnum* conuenirent omnes: properatoque per noctem itinere, cũ suis copiis venit prope castra Latinorum ad lacum Regillum loco munito posita. ipse castra metatus est in tumulo alto & arduo, imminente hostibus; loco multo quam illi opportuniore. At Latinorum duces, Octauius Tusculanus Tarquinii regi gener, vel (vt quidam scribunt) generi filius, & Sextus Tarquinius, qui tum forte seorsum castra habebant, in vnum locum ea cōtulerunt: & adhibitis in consilium tribunis atque centurionibus, consultarunt quonam modo bellum gerere oporteret: variatumque est sententiis. quidam enim censebāt impetum faciēdum in occupatum à dictatore tumulum, donec ipsi essent terrori hostibus; existimantes, non securitatis, sed timoris indicium esse quod illi *tam* munitum locũ occupassent. alii, circumuallandos eos & obsidendos parte exercitus: reliquum ad vrbem ducendum, vt expugnatu facilem absente iuuentutis robore. alii suadebant exspectanda à Volscis ceterisque sociis auxilia, & præferenda tutiora consilia audacioribus. Romanis enim moram nihil profore: sibi vero, quo tardius res gererentur, eo fore melius. His ita deliberantibus superuenit cum suis copiis alter consul, Titus Virginius, repente viam emensus nocte præterita: seorsumque à dictatore in alterius montis dorso aspero & *natura* munito castra posuit; vt vtrinque Latinis clauderetur in hosticum exitus, à dextris dictatore assidente, à sinistris consule. Ita magis etiam turbatis *hostium* ducibus tu-

VI

III.

ta solummodo consectatis, & verentibus ne ducendo bellum sua potissimum absumere cogerentur, Postumius animaduersa eorum imperitia, mittit magistrum equitum Titum Æbutium cum equitum & leuis armaturæ lectissimis, qui occupent montem quendam imminentem viæ qua Latinis domo commeatus subuehebantur. is noctu cum sua manu præteruectus, peruasa silua nullis callibus trita, prius quam hostis sentiret, occupat eum tumulum.
IV. Duces vero hostium vt cognouere à tergo etiam infessa loca munita, ac ne domestici quidem commeatus spem sibi relictam, quod non posset tuto aduehi, deturbare inde Romanos decreuerunt, priusquam vallo tumulum munirent. tum Sextus ducum alter assumptis equitibus, cursu quam potuit citatissimo in illos inuectus est, quasi suorum impetum minime excepturos. sed fortiter à Romanis exceptus, repulsusque iterum atque iterum, cum loci etiam natura aduersaretur, quę è supernis pugnantes adiuuans, subeuntibus in montem nihil afferebat præter vulnera & labores irritos, re infecta retro in castra cum suis abiit, territus insuper nouo aduentu militum, quos selectos è legionariis Postumius præcedētium vestigia sequi iusserat: Romanique iam firmiter locum tenentes, palam communiuerunt ibi præsidium. Post hæc Mamilio & Sexto visum non diu differre prœlium, sed quam primum armis decernere. Ceterum dictator cum à principio animum induxisset bellum absque prœlio conficere, idque sibi per aduersariorum inopiam facile futurum speraret, graui de caussa mutauit propositum. intercepti enim erant ab equitibus vias obseruantibus nuntii cum litteris à Volscis ad Latinorum duces, significantes magnas sociorum copias adfore circa diem tertium; & alias item ab Hernicis. quo factum est vt necessario præter propositum acceleraretur à Romanis ducibus prœlium. cuius signum posteaquam vtrinque datum est, in medium castrorum spatium vtrique progressi, acies in hunc modum instruxerunt. Sextus Tarquinius præerat sinistro Latinorum cornui, dextro Octauius Mamilius: mediam aciem tuebatur alter filius Tarquinii Titus, & circa eum Romani transfugæ atque exsules: equitatu quoque trifariam diuiso, in cornu vtrumque, & mediam aciem. Romanorū vero dextrum cornu tenebat magister equi-

equitum Titus Æbutius, oppositus Sexto Tarquinio; sinistrum Titus Virginius consul, ex aduerso Octauii Mamilii; mediā aciem explebat ipse dictator Postumius, congressurus cum Tito Tarquinio & exsulibus. Stabant autē in vtraque acie, in Romana viginti quatuor peditum milia, & mille equites; in Latina, quadraginta peditum equitum tria milia. Sed prius quam ad manus veniretur, & Latinorum duces suos longa oratione multisque precibus ad fortitudinem cohortabantur; & dictator videns suos milites territos aduersariorū tanto maiore multitudine, ad eximendum eum timorem, progressus in concionem, adstantibus senatorum natu maximis & honoratissimis, sic *milites* allocutus est: Dii nobis *adsunt*, milites, & tam extis quā auspiciis ceterisque vaticiniis pollicentur ciuitati nostræ libertatem felicemq; victoriam, benigne nos pro perpetua erga ipsos pietate & assiduo iustitiæ studio remunerantes; & inimicis nostris merito infensi, ꝙ multis magnisque beneficiis à nobis affecti, & tam cognatione nobis deuincti quam amicitiæ fœdere, quo iurarunt se eosdem nobiscum habituros amicos & inimicos, omnibus his contemptis, iniustum nobis bellum inferant, non de imperio & principatu contendentes, vtris ea magis conueniant: id enim minus esset graue: sed de Tarquiniorū tyrannide, vt ex libera seruam nostram ciuitatem faciant. Opus est ergo vt & vos cēturiones atque milites, cum sciatis Deos vobis, qui vrbem perpetuo tuentur, pugnæ futuros socios, fortes vos in hoc certamine præstetis viros; quippe qui noueritis, eos opem à Diis impetrare qui fortiter dimicant, suaque promptitudine quidquid possunt ad victoriam cōferunt, non eos qui pericula defugiunt, nec labores pro se exantlare sustinent. Et habetis fortunæ beneficio cū alia multa quæ pro victoria vestra faciant, tū in primis tria manifestissima. Primū, mutuam fidem, qua maxime ad vincendos hostes opus est, nō enim ex hodierno primū die firmi inter vos amici fidiq; socii esse debetis; sed *communis* patria iamdudū vobis hoc commodum peperit, simul estis educati, eisdemque instituti disciplinis, super eisdem aris sacra Diis fecistis, multaque simul tum bona tum mala experti estis; ex quibus firmæ & indissolubiles inter homines amicitiæ coalescere solent, quoties coniunctis viribus de rerum summa decertandum est. Deinde si in hostium manus veneritis, nō

alii quidem malorum expertes eritis, alii contra extremas calamitates subibitis: sed ex æquo omnes amittemus dignitatem, imperium & libertatem; nec vxoribus, liberis facultatibus, aliisue quæ *nunc* habetis bonis frui dabitur: proceres autem ciuitatis & magistratus reipublicæ cum fœdis tormentis miserrimo tradentur exitio. nam si nulla nostra noxa nec magna nec parua læsi, ipsi nullum à nobis omnibus abstinuerunt iniuriæ genus, quid exspectandum est à victoribus, alta mente repositam habentibus distractionẽ ab vrbe, bonorum suorum amissionem negatumque hactenus etiam soli natalis aditum? Postremum est neutro iam dictorum leuius, si recte consideretis; *ne mirum* non tales nobis occurrisse res hostium quales suspicabamur, sed multo opinione deteriores. nam præter Antiates neminẽ alium eis adesse videris belli socium: nos vero putabamus omnes Volscos in eorum auxilium venturos, multos etiam è Sabinis & Hernicis; aliaq; innumera terricula vano metu nobis ipsi fingebamus. At ista omnia Latinorum erant somnia, irrita spe vanisque pollicitationibus subnixa. alii enim deseruerunt eorum societatem, dedignati *tam imperitorum* ducum imperia. alii cunctantur magis quam opitulantur, spe tempus terentes *inaniter*, qui vero nunc in apparatu sunt, post prœlium *sero* venientes, nihil amplius eis vtiles erunt.

VII. Quodsi qui vestrum recte quidem hæc à me dicta credunt, sed hostium multitudinem metuunt, eos rem leuem metuere paucis docebo, vel potius reuocabo in memoriã: primum si consideretis maiorem illorum partem coactam contra nos arma sumpsisse, sicut ex multis ipsorum dictis factisque satis apparuit: reliquorum qui vltro & alacriter pro tyrannis certaturi sunt, paruum admodum esse numerum, vel potius multesimam nostri exercitus partem. Præterea in bellis non numero sed virtute potiores obtinere victoriam. Longum esset commemorare Græcorum barbarorumque exempla, quoties ingentes exercitus superati sint à modicis; adeo vt quibusdam videatur incredibile. Omitto cetera vos ipsi quoties debellastis prospere, cum minores quam nunc haberetis copias, oppositi maiori quam nunc est hostium apparatui? At forte ceteris quidem fuistis terribiles, assueti eos vincere: à Latinis vero istis & Volscis

eorum

eorum sociis merito contemnimini, vt qui in præteritis cõflictibus experti sint qualesnam sitis. immo omnes vos scitis ambas has gentes multis prœliis à maioribus nostris victas esse. quænam igitur ratio est, istorum post tot clades conditionem videri meliorem, nostram vero deteriorem qui eos toties tam feliciter vicimus? aut quis sanæ mentis hoc diceret? ac demiror siquis vestrum horret hostiũ multitudinem, in qua pauci sunt strenui; nostrum vero cõtemnit tam magnum & validum exercitum, quo nullus vnquã vel numero vel viribus præstantior à nobis est contractus in omnibus quæ hactenus gesta sunt bellis.

Hoc etiam, Quirites, ad deponendum metum & subeũda pericula maximum est incitamentum, præsentes adesse omnes senatus primates, vt cernitis, communem vobiscum subituros belli aleam; quamuis cũ ętatis tũ priuilegii iure immunitatem militiæ habeant. Annon igitur turpe, vos viribus valentes tergiuersari; hos vero iam annis graues offerre se ad *labores atque* pericula? & cum senes parati sint si non hostem perdere, saltem perire pro patria; vestrum robur, quibus, si bene cesserit, vtrumque licet, & vitam tueri, & tutam reportare victoriam: sin secus, & facere & pati fortiter; nec fortunam experiri, nec virtutis gloriam *post se* relinquere? Nonne ante vestrum seculum Quirites multa egregia facinora apud alios edita sunt, decantari dignissima? & vestri etiam posteri domesticæ gloriæ amplos percipient fructus, si huius belli bene gesti laudem ad pristinas adieceritis? Et ne vel fortes inter vos generosæ mentis præmia desperent, vel iusto timidiores impunitatẽ sibi promittant, audite quid vtrisque vestrum, antequam eo deueniatur, exspectandum sit. Qui egregii alicuius & generosi facinoris in pugna editi conscios testes habuerit, ei præter solennes istos honores quos patriæ consuetudo tribuit, agrum ex publico adiiciam, efficiamque ne *in posterum* necessariis ad vitam indigeat. cui vero improba & dira mens turpis fugæ cupiditatem iniecerit, ei repræsentabo mortem quam vitat: (talem enim ciuem mori, tum ipsi tũ patriæ vtilius fuerit) & sic peremptis nec sepultura nec cetera iusta funebria concedentur; sed neglecti atque indeplorati, ab alitibus & feris dilaniabuntur. Hæc igitur cum præsciatis, ite alacres omnes ad prœlium, spemque bonam

VIII.

fortium facinorum ducem sumite; quippe qui hoc vno periculo fortiter & ex animi sententia exantlato, maxima cōsecuturi estis bona; vos ipsos tyrannidis metu liberaturi, patriæ reposcenti natalium & educationis gratiam relaturi, teneram liberorum ætatem & vxores à nefaria inimicorum libidine defensuri, senibusque patribus præstituri vt quod pauxillum vitæ superest, cùm voluptate exigant. o felices quibus licebit huius belli triumphum deducere, excipientibus vos liberis, vxoribus, & patribus. o mactos virtute, qui corpora impendent patriæ. Mors certe fatalis est omnibus ignauis æque ac fortibus: sed pulchra & gloriosa

IX. solis bonis *obtingit*. Adhuc extrema ad fortitudinem inhortantis verba erant in auribus, cum diuina quædam cōfidentia inuasit exercitum, & quasi vno ore conclamarunt, bono animo esset & *sese in hostem* duceret. Tū Postumius laudata eorum alacritate, votisque factis, si felix pugnam sequatur exitus, sacra se Diis facturum magnifice, ludosque instituturum splendidos quos Romani quotannis agitent, dimisit militem ad suos ordines. Accepta deinde à ducibus tessera, tubis ad prœlium incendentibus, cum clamore hostem inuadunt, leui primum armatura & equitibus vtrinque procurrentibus; deinde legionum agmine, similibus armis similibusque ordinib⁹ instructo: omnesque promiscue acre certamē committunt, nusquā cessante manu. vt vero vtrosque sua fefellit opinio: nam vtrique animo præceperant pugna sibi opus non fore, sed ne primum quidem impetū hostes laturos: Latini, freti equitatus multitudine, quam Romanos equites primo incursu perculsuram existimabant: Romani, rati se territuros hostem audacia contemptuque periculi: hac inquam opinione vtrique frustrati, nec iam in aduersariorum formidine, sed in sua fortitudine salutis & victoriæ spem collocantes, supra vires egregios pugnatores se præstiterunt. fuitque varia & reciproca fortuna certaminis. Ante omnes dictator in acie media selectissimis stipatus equitibus, ipse cum primis pugnam ciet, oppositumque sibi cornu exturbat, cum Titus Tarquinii filiorum alter, impacto in dextrum humerum pilo grauiter saucius, manu non posset vti amplius: quamquam Licinius & Gellius, nullo verisimilium & possibilium examine instituto, ipsum regem Tarquinium faciunt ex equo pugnantem & sau-

saucium; virum pene nonagenarium. Prostrato autem Tito, eius milites post non longum certamen relato viuo ducis corpore, nihil postea gesserunt fortiter; sed pedē referētes, cedebant dictatoris militibus. at mox in fratris locum succurrente Sexto cum Romanis exsulibus equitumq; lectissimis, non restiterunt modo, sed resumptis animis impressionem in aduersos fecerunt. *Ita ibi pugna aequata*, parte alia Titus Æbutius & Octauius Mamilius *inter se oppositi* egregie pugnando, quacumque se verterēt, vel hostem profligabant, vel suos titubantes restituebant; postremo ex prouocatione inter se concurrentes, grauiter, non tamen letaliter, alter alterum vulnerant; equitum magister, in pectus Mamilium hasta per thoracem adacta; Mamilius cōtra, transfixo illius dextro brachio medio: amboque ex equis defluunt. Vtroque ex acie relato, **Marcus Valerius**, qui tunc **iterum**, & quidē senior legatus erat, sumpto equitum ducatu, in oppositos eis hostes prçit: sed cum aliquamdiu restitisset, ab hostibus longe ex acie exturbatur; quibus exsulum equitatus & leuis armatura subuenerat; ac *postremo* Mamilius iam ex vulnere recollectus, cum valida equitum velitumq; manu iterum aderat. In eo conflictu legatus Marcus Valerius, qui primus de Sabinis triumphauit, & animos populi Romani Etrusca clade deiectos iterum erexit, hasta ictus cecidit, & circa eū egregiorum ciuiū magnus numerus. de cuius cadauere magna fuit contentio, Publio & Marco Poplicolae filiis patruum protegentibus: qui cum illum inspoliatum & adhuc spirantem armigeris tradidissent & in castra remisissent, seque ipsos prae animi alacritate in medios hostes intrusissent, à circumfusa exsulum caterua multis confecti vulneribus vna occubuerunt. post quorum casum acies Romana in sinistro cornu laborans vsque ad *Postumianos* medium locum tenentes, aegre seruabat ordines; cum dictator inclinatos iam in fugam sentiens, celeriter cum eis quos circa se habebat equitibus succurrit: iussoque altero legato Tito Herminio cum equitum ala legiones circumuehi, & à tergo suorum fugam sistere, ac nisi parerent, fugientes occidere, ipse cum fortissimo quoque *equite* in constipatum hostium globum facit impetum. iamque propinquus, primus equum in aduersos laxatis frenis concitat. tantaque densitate ac X.

truculentia incurrerunt, vt è Latinis multi, efferatum furorem non sustinentes, in fugam versi occumberent. Interea legatus Herminius suos ex fuga receptos in Mamilii agmẽ duxit: congressusque cum eo viro, statura ac robore omniũ ætatis suæ præstantissimo, & illum interfecit; & ipse, dum cadauer spoliat, gladio in ilia à quodam ictus interiit. At Sextus Tarquinius sinistrum Latinorum cornu regens, resistebat etiam tum fortiter, tandemque dextrum Romanorum cornu loco summouet. sed vt Postumium cum delectis equitibus superuenientem vidit, desperata salute cõiecit se in medios: vbi circumuentus à Romanis equitibus simul & peditibus telis vndique feræ in modum impetitus, *non inultus tamen* periit. interfectis aliquot qui comminus eum lacessere ausi fuerant. Cæsis ducibus mox omnes Latini confertim fugam arripiunt, & castra à custodibus deserta capiunt Romani; vbi luculenta præda inuenta cessit militi. Ea Latinorum clades fuit maxima, corporumque strages quanta nunquam antea: quod malum grauissime illos & diutissime vexauit. nam è quadraginta milibus peditum, tribus equitum quę diximus, vix decies mille domũ rediere incolumes.

Cum Latinis debellatũ

XI. In eo prœlio feruntur Postumio & stipantibus eum *militibus* apparuisse duo equites, statura & forma longe quam nostra natura fert, præstantiores, primæ lanuginis iuuenes, præcedentes Romanum equitatum, hostemque comminus congredientem hastis ferientes, fundentesque ac fugantes. Sed & post fugã Latinorũ, cum & castra essent capta, & prœlium finitum, Romæ in foro sub vesperam visi itidem duo adolescentes militari cultu, procerissimi & pulcherrimi, pari ætate, vultu adhuc retinente quam in pugna habuerant speciem, & equis sudore madentibus. cumque de equis descendissent ambo, lauissentque fontana, quę ad ædem Vestæ profluens paruam sed profundam facit lacunam, multis eos circum sistentibus, rogãtibusque ecquid ab exercitu noui afferrent, pugnam exposuisse dicuntur & victoriam: digressique è foro nusquam cõparuisse postea, quamuis diligenter a præfecto vrbis quæsiti. Postero die cum reip. præsides ex dictatoris litteris inter cetera eius prœlii memorabilia, de numinum quoque visione cognouissent, rati eorundem Deorum fuisse vtrumque spectrum, verisi-

verisimili cōiectura crediderunt Castorum eas fuisse imagines. Eius mirificæ apparitionis numinum in vrbe multa exstant monumenta: in foro templum Castorum publice constructum vbi visæ sunt *eorum* imagines; vicinusque fons numinibus his sacer dictus, & vsque ad nostra tempora creditus: tum sacrificium splēdidum, quod populus Romanus quotannis per proceros equestris ordinis viros Idibus Quintilibus peragit; qua die hæc illi victoria contigit. Præter omnia vero post sacrificium transuectio eorum qui equos habent ex publico; qui per tribus & centurias distincti, ordine in equis vehūtur omnes quasi è pugna redeant, coronati fronde oleagina, & palmatis è purpura togis amicti, quas vocant trabeas; initio pompæ facto ab æde Martis quæ extra vrbem sita est; & tum ceteras vrbis partes per forum transeuntes, tum ædem Castorum prætereuntes, nonnunquam quinque virorum milia, gerentes quæcumque fortitudinis præmia in prœliis acceperunt à ducibus; egregium sane spectaculum, dignumque imperii magnitudine. Hęc sunt quę ob *gemellorum* Iouis filiorum apparitionem dicta factaque à Romanis cognouimus: ex quibus præter alia multa & magna coniicere possis quam cari Diis fuerint eius seculi homines. Castores.

XII. At Postumius illa nocte in castris acta, sequenti luce coronauit eos qui præclaram in prœlio nauassent operam: & captiuis custodiæ traditis, sacra Diis pro victoria fecit. Cui coronato etiamtum & primitias aris adolendas imponenti, speculatores quidam ab editioribus locis cursu in castra delati, nuntiant aduentare hostilem exercitum. erat autem Volscorum selectum robur, Latinis ante peractam pugnam missum auxilio. Quo cognito iussit omnes arma sumere, & intra castra ad sua quemque signa præsto esse, seruatoque ordine & diligentibus excubiis imperata exspectare. Volscorum vero duces, castris in conspicuo Romanis loco positis, vt campum cadaueribus oppletum videre, & stantibus vtrisque castris, neminem è munimentis prodire nec amicum nec hostem, aliquamdiu stupentes, non poterant coniicere quænam esset fortuna partium. deinde vbi ex quibusdam fuga seruatis de toto prœlio cognouere, consultabant inter se quid facto opus foret. Ibi audacissimus quisque censebat optimum esse ex itinere vallum Ro-

manorum inuadere, donec multi laborarēt ex vulneribus, omnes labore fessi essent, armis etiam maxima ex parte inutilibus, obtusis aut fractis, necdum ab vrbe recens subuenisset auxilium: contra sibi adesse magnum validumque & bene armatum exercitum, bellorum peritum, & improuiso aduentu vel animosissimis terribilem. Prudentioribus autem non videbatur tutum absque sociorum auxiliis lacessere viros fortes ac bellicosos, elatosque recenti de Latinis victoria; præsertim cum in alieno territorio de maximis rebus subeunda sit alea; vbi siquid cladis accipiant, nullum habituri sint tutum refugium. prospiciendum potius quo pacto incolumes in patriam quam primum redeant; & pro lucro reputandum si nullum ex ea militia percipiant detrimentum. Alii neutrum horum probabant; *nimis* iuuenilem dicentes eorum audaciam qui ex itinere vellent in hostem irruere; & contra, turpe esse, præter rationem domū refugere: vtrumuis horum facerent, hosti rem gratam facturos. *horum* sententia erat, munirent tunc castra, & pararent se futuro prœlio. interim per nuntios à ceteris Volscis peterent, aut mitti alias copias Romanorum viribus pares, aut iam missas reuocari.

XIII. Quæ vero plerisq; probata, & à proceribus approbata est, suadebat mittendos exploratores in Romanorum castra, protectos legatorum nomine: qui data duci dextra dicerent se socios venire à Volscorum gente: dolereque sibi quod serius aduenerint, nullam aut exiguam relaturi promptæ voluntatis gratiam: ceterum ipsorū fortunæ gratulari, qui è tanto prœlio absque auxiliis victores euaserint. Ita fore vt illos verborum blanditiis decipiant, cōciliataque sibi vt amicis fide, omnia explorent, & renuntiare possint quantus illorum sit numerus, quæ armatura, qui apparatus; quidue animi habeant: quibus probe cognitis tunc demum consultaturos sese, vtrum satius sit aggredi illos accitis aliis copiis, an domum se recipere. Ergo cum approbata hac sententia expediti legati ad dictatorem venissent, productiq; in concione ē exposuissent mandata ad decipiēdū cōposita, Postumius suspēso aliquantulū respōso; Mala cōsilia, inquit, Volsci, bonis verbis tegitis; & cū faciatis hostilia, vultis reportare opinionem amicitię. missi estis à gente vestra contra nos in Latinorum auxilium. nunc quia post pugnā venistis, & illos victos vide-

tis, vultis nos decipere, fingentes eorum quæ facturi eratis contraria: & neque beneuolentia quam verbis in præsens simulatis, neque aduentus vestri prætextus quidquam sani habet; sed omnia fucata doloque plena sunt. non .n. nostræ felicitati congratulatum emissi estis, sed exploratum quam firmæ aut imbecillæ sint res nostræ: & cum re vera sitis speculatores, verbis legatos agitis. Tum illis palam infitiantibus, ait se breui facturum *dictis* fidem: moxque litteras ipsorum, quas Latinorum ducibus scriptas & auxilium pollicentes ante prœlium interceperat, protulit, simulque latores earum produxit. quibus perlectis, & captiuis auditis quænam mandata accepissent *a suis militaris* multitudo ad feriendum Volscos concitata est, vt deprehensos *& cõfessos* speculatores. Postumius vero negabat bonis viris imitandam malorum improbitatem; satius esse dicens & magnanimis viris dignius, iram in eos qui miserint seruare, quam in missos *effundere*: & ob nomen legationis, quam palam præ se ferant, dimittendos eos potius quam sæuiendum propter tectum speculationis facinus: ne Volscis detur honesta belli occasio, simulaturis legatos esse cæsos cõtra ius gentium; nec aliis inimicis occasio præbeatur spargendi, quamquam falsi non tamen ratione nec fide carentis rumoris. Ita cohibito vulgi impetu, reditum illis dari iussit, sed ita vt ne *respicerent quidem, nedum* reuerterentur amplius: simulque equites addidit, qui eos vsque ad Volscorum castra deducerent. *moxq;* speculatoribus eiectis, militem se pugnæ parare iussit, quasi conflicturus in crastinũ sed non opus fuit prœlio. nam Volscorũ duces profunda adhuc nocte excitato milite, domum sese receperant. *Ita* omnibus rebus ex voto cedentibus, humatis suorum cadaueribus, lustratoque exercitu, cum decenti triumpho in vrbem rediit: in qua põpa transuecti sunt multis plaustris armorum cumuli, illatusque magnus militaris supellectilis apparatus, traducta captiuorũ quinque milia, & D insuper. De spoliorũ decimis ludos & sacra Diis fecit quadraginta talentorũ impendio; ædemq; Cereri, Libero, & Liberæ faciendam locauit ex voto. nam initio belli laboratũ est vict[9] inopia, & magnus erat metus ne in totũ deficeret, terra fructus negante, & bello ne cõmeatus aliunde subueherẽtur vetante. in quo metu cũ Sibyllinos libros à suis custodibus

XIV.

De Latinis triumphus.

inspici iussisset, & ex oraculorum monitis cognouisset placanda esse hæc numina, votum fecit prius quam exercitum educeret, si imperii sui tempore benigna vrbi esset annona, vt antea, templa se illis constructurum, & instituturum in singulos annos sacrificia. exaudiuerunt Dii, & effecerunt vt terra non modo satiuarum sed etiam arborearum frugum vberem suppeditaret copiam, & vrbs omnis generis commeatibus magis quam ante afflueret. Quibus consideratis Postumius sanxit vt illa templa tunc exstruerentur. Ita Romani depulso Deorum beneuolentia bello tyrannico, sacris vacabant & feriis.

XV. *Latini pacem petunt.* Post aliquot dies legati totius Latini nominis, ex ea factione quæ bello reclamauerat oppidatim delecti, supplicum ritu cum oleæ ramis & infulis Romam aduenerunt. qui ad senatum adducti, culpam *illati* belli referebant in ciuitatum proceres: vulgus hoc tantũ peccasse dictitantes, quod malis ductoribus propria lucra quærentibus obsecuti essent. Huius erroris, coacti magna ex parte, ideoque minus accusandi, vnamquamque ciuitatem *satis graues* luisse pœnas, deleto iuuentutis robore; ita vt vix domus inueniatur quæ luctu careat. petebantque vt se vltro deditionem facientes reciperent, non amplius de imperio nec de æquo iure contendentes, sed posthac semper futuros socios subditosque; & quidquid fortuna Latinorum dignitati ademptum voluerit, addituros ad felicem Romanorum fortitudinẽ. In fine orationis per cognationem obtestabantur; & ferendis auxiliis promptam quondam societatem reuocabant in memoriam: dumque narrabant quantis calamitatibus insontes oppressi essent, quorum longe maior quam sontium esset numerus, singulis recensendis lamenta & fletus addebant, totique senatui ad genua procidebant, positis ad Postumii pedes supplicum insigniis: ita vt totus patrum consessus ad lacrymas eorum & preces emolliretur.

XVI. Vbi vero è senatu excesserunt, & facta est more solito dicendæ sententiæ copia, Titus Largius qui primus omnium dictator superiori anno fuerat, moderate fortuna vtendum censuit; præcipuam laudẽ dicens, vt singulorum hominum, ita & ciuitatum, non corrumpi felicitatibus, & bona sua ferre æquo modestoque animo. Omnes enim prosperitates inuidiosas esse, præsertim quæ à prostratis & obnoxiis insolentiã & fastum non abstineant. nec

nec fortunæ credendum; cuius versatilem inconstantiam suo malo bonoq; toties experti sint. nec cogendos aduersarios ad extremum periculum; quod eiusmodi necessitate multi præter animi sententiam audaces, & supra vires pugnaces fiant. verendum etiam ne publicum odium sibi cõtrahant omnium in quos affectent imperium, si peccantibus acerbos se præstent & implacabiles; quasi à consuetis studiis degenerarint, & obliti sint quibus rationibus ad *tantam* claritatem euaserint; & imperium quod ante principatus & præcellentia fuerit, in tyrannidem verterint. mediocria esse delicta: nec indignandum si assueti libertati atque imperio populi veterem dignitatem retinere cupiant. quod si optimarum rerum affectatores spe sua frustratos insanabilis mulcta maneat, nihil prohibiturum quo minus omnes homines mutuis excidiis pereant. omnibus enim innatũ esse libertatis desideriũ. Addebat optimũ & firmissimũ esse imperiũ, quod subditos beneficiis magis q̃ suppliciis in officio contineat. illi enim beneuolentiã, huic metũ esse comitem. quidquid autem timeatur, id necessitate naturali exosum esse omnibus. Postremo hortatus vt exempla sibi proponerent egregia maiorum facinora, quibus illi laudes suas illustrarint, recensebat quot illi vrbes vi captas non diruerint, non cæsis puberibus desolauerint, nõ in seruitutem redegerint; sed colonias populi Romani fecerint, & victis quotquot ad se migrare vellent ciuitate data, vrbẽ ex parua magnam reddiderint. Summa sententiæ fuit, renouari pristinum cum Latino nomine fœdus, nec vllius ciuitatis delictum memori mente reponi. *Post eum rogatus* XVII.
Ser. Sulpitius, de pace renouandoque fœdere nihil contradixit. verum cum Latini non tum primum violarint fœdera, vt deceptos se & coactos excusantes mereantur veniam, sed antea quoque sæpius, ita vt castigatione opus habeant; satius esse concessa omnibus venia & libertate ob cognationis respectum, dimidio agri eos mulctari, missisque colonis Romanis partem illam diuidi; qui eo beneficio fruentes, caueant nequis inter eos posthac res nouas moliri audeat. At Spurius Cassius diruenda eorum oppida consuluit, mirari se dicens simplicitatem eorum qui peccata eis impune remittenda suadeant; quod non intelligant eos propter insitam & inexstirpabilem inuidiam qua prose-

quantur crescentem populum Romanum, alia post alia bella serere; nec vnquam sponte quieturos ab insidiandi proposito, donec miserū hunc affectum gerant in præcordiis; quandoquidem postremo non veriti sint immanissimę omnium bestiæ tyrannidem in cognatam sibi ciuitatem asserere, calcatis fœderum pactis, contemptisque Diis eorum testibus; nō alia spe freti quam *nostra clementia*, quod, si bellum ex voto non succederet, nullas aut certe quā minimas daturi essent pœnas. Adducebatque & ipse maiorum exempla, qui Albam vnde ipsi omnesque Latini populi deducti, quod videretur inuidere ipsorum felicitati, & prima venia ad nouas insidias abuti, vna die delendā decreuerint; existimantes perinde esse, nullum mediocre peccatum dignari venia, & in nullum enorme atque incorrigibile animaduertere. esseque stultæ cuiusdam indolentiæ, non humanitatis & modestiæ, inuidiam, quam in *sui generis* suæq; coloniæ auctoribus, cum vltra modum grauis & intolerabilis videretur, passi non sint, eam ferre in cognatis: & iis qui se leuioribus conatibus hostes declararint, vrbe mulctatis, nullas ab iis pœnas exigere qui sæpe multa irreconciliabilis odii dederunt documenta. His dictis enumeratisque omnibus Latinorum defectionibus, & reducta in memoriam multitudine ciuium qui *superioribus* bellis Latinis cecidissent, suadebat eodem modo quo ante Albanos esse tractandos, vt dirutis oppidis ager Latinus Romano adderetur ac Latinos, quotquot aliquam beneuolentiam declarassent erga populum Romanum, retentis suis facultatibus in ciuitatem adscribendos; defectionis vero auctores & fœderis violatores securi (vt proditores) percutiendos: reliquum vulgus egenorum, otiosum & inutile, habendū

XVIII. in mancipiorum numero. Hæ fuere primariorum senatorum sententiæ; è quibus Largii maxime dictatori placuit: & nemine post contradicente, legati in senatum reuocati sunt, vt responsum acciperent. Tum Postumius exprobrata eis incastigabili malitia, Iustū quidē esset, inquit, vos extremis affici malis, quippe qui & ipsi, si res ea qua toties cogitastis via successisset, nos nihilo tractassetis mitius: sed non est Romanum iuri æquitatem postponere, cognationis respectu, & quod confugistis ad offensorum misericordiam, ideo hoc quoque peccatum impune vobis erit, in

gra-

gratiam Deorum quibus cognationis iura curæ sunt; & fortunæ incertæ, cuius beneficio populus Romanus superauit. Nunc igitur ite omni *metu* liberi. vbi vero captiuos dimiseritis, perfugas dedideritis, exsules eieceritis, tum de amicitia societateque legatos ad nos mittite, impetraturos quidquid æquum est. Cum hoc responso dimissi legati, post paucos dies reuersi sunt captiuis remissis, adducentes quotquot capere potuerant transfugas, exsulibus etiam cum Tarquinio pulsis. pro quibus *meritis* à senatu in pristinam amicitiam societatemque recepti sunt, renouato iureiurando quo hæc olim à fetialibus sancita fuerant. Hic finis fuit belli quod cum tyrannis post eorum eiectionem per quatuordecim annos gestum est. Tarquinius rex solus suo generi superstes, nonagesimo ferme ętatis anno liberis orbatus & affinibus, senectamque vel inimicis miserabilem tolerans, nec Latinis eum amplius intra oppida recipientibus, nec Etruscis, nec Sabinis, neque vllo alio propinquo & libero populo, in Campaniam Cumas se contulit ad Aristodemum cognomine Mollem, Cumanorum tyrannum: apud quem cum dies nõ ita multos superuixisset, mortuus & ab ipso sepultus est. Exsulum vero qui cum eo erant, pars Cumis mansit; pars per alias ciuitates dispersi, in exsilio vitam finierunt.

Cum Latinis fœdus renouatur.

XIX.

Intestina turba recrudescunt.

At Romæ post finita bella externa, intestina recruduit seditio, restitutis per senatum iudiciis; & controuersiis quæ propter bellum dilatæ fuerant, ad iudices reuocatis vt dirimerentur legibus. nam contractuum lites eo absurditatis & impudentię processerunt, vt maximas & grauissimas excitarint tempestates, dum plebeii se non esse soluendo fingunt, caussantes se agris ob bellorum diuturnitatem tot annis exclusos fuisse, pecora periisse, mancipia partim transfugisse, partim hostium excursionibus adempta esse, bonaque vrbana militiæ impensis absumpta: fœneratores cõtra referunt, communes omnium fuisse has calamitates, non solis incubuisse obæratis: negantque se ferre posse, si præter illa quibus in bello ab hostibus spoliati sint, insuper ea quoque cogantur perdere, quæ pacis tempore petentibus ciuibus mutuum dederint. itaq; dum fœneratores nihil æqui admittũt, neq; creditores quidq̃ iusti promittunt, & illi nę vsuras quidẽ remittere, hi ne credita quidem per-

soluere sustinent; iam cœtus & circuli fiebant eorum quos similitudo querelarum contraheret;& in foro *conglobati* ex aduerso stabant. nonnunquam etiam manus conferebant: ita vt omnis ordo ciuilis conturbatus esset. Hęc videns Postumius, cui etiamtum honor ex ęquo ab omnibus habebatur, graui bello ciuiles tempestates declinandas esse censuit: & priusquam extremum liberi imperii tempus expleuisset, eiurata dictatura, & indicto comitiorum die, vna cū

XX. collega consule solennes magistratus constituit. Ita denuo

A.V.C.259 conss. Ap. Claudio & P. Seruilio, turbæ domi, & foris bellū cum Volscis.

consules annuū legitimumq; magistratum assumunt, Ap. Claudius Sabinus, & P. Seruilius Priscus. qui probe animaduertentes nihil esse magis è rep. quam vrbanas turbas in externa bella abstrahi, expeditionem in Volscos, cuius alter ipsorum dux esset, apparabāt; vlturi quod cōtra se Latinis auxilia misissent, & nondum satis paratos præoccupaturi. nuntiabatur enim & illos exercitum iam magna cura conscribere, & propinquas gentes ad belli societatem per legatos sollicitare; cognito quod plebs dissideret à patriciis, & spe concepta facile exscindi posse vrbem domestica seditione laborantem. Hoc expeditionis consilium cū senatus quoque approbasset vniuersus, edixerunt vt ad tēpus quod militum conscriptioni præfinierant, omnes militaris ætatis ciues adessent. at cum plebeii sæpius ad militare sacramentum citati non obtemperarent, non idem amplius senserunt vterque, & ex eo dissidii principio per totum imperii tempus constanter alter alteri aduersatus est. Nam Seruilio placebat mitiorem viam ingredi, iuxta Manii Valerii popularissimi *senatoris* sententiam: qui censebat medendū seditionis principiis, decreta remissione aut diminutione debitorum, *si fieri posset*; sin minus, non permittendo vt qui pręstitutum solutioni diem excessissent, *in neruum* tunc abducerentur: ac persuadendos potius quam necessitate adigendos ad sacramentum inopes: pœnas quoq; iussa detrectantibus non graues & immites infligendas, quasi in ciuitate vnanima, sed moderatas & æquitati conuenientes. periculum enim esse ne cœtu facto ad desperatam audaciam se verterent homines quotidiani victus indigi, si cogerentur militare sumptu proprio.

XXI. Appii vero, qui præcipuus erat factionis optimatiū, sententia fuit austera & rigida; non indulgendū plebi molliter, sed

ſed permittendam fœneratoribus debitorum quocunque iure exactionem, & conſiſtoria iudicum more patrio per vrbanum conſulem ordinãda;ac pœnas quas vadimonium deſerentibus leges proponerent,exigendas: nihilq; niſi iuſtum plebeiis concedendum, nec aſtruendam eis malam potentiam. Nunc enim, inquit, immodica libertate laſciuiunt, ſublatis tributis quæ antea pendebant regibus, & pœnis quas illis luebant corpore, niſi iuſſa celeriter facerent. quod ſi *eo* prouehantur *audaciæ*, vt aliquid turbarum mouere aggrediantur, coerceamus eos per ſobriam & ſanam ciuitatis partem, quam vitioſa maiorem futuram videbitis, nec enim paruæ nobis eam ad rem vires ſunt, & patricia iuuentus ad iuſſa facienda eſt promptiſſima. ſed validiſſimum telum ad conficiendam plebeiorum inſolentiam eſt ſenatus potentia;qua ſi pro legibus ſtemus, facile illos terrebimus. quod ſi nos poſtulatis eorum ſubmiſerimus, primo dedecus incurremus, qui plebi rempublicam permiſerimus, cum eam optimatibus liceret capeſſere. deinde magnum periculum eſt ne ſiquis ingenii tyrannici vir, eius fauorem eblanditus, legibus ſuperiorem potentiam ſibi comparauerit, rurſum libertas nobis pereat. Ad hunc modum diſceptantibus inter ſe conſulibus, multisque in ſenatorum conſeſſu vtrique adhærentibus, cum per altercationum mutuorumque conuitiorum inconditos ſtrepitus nihil ſalutare decerni poſſet, ſenatus re infecta dimiſſus eſt.

In has contentiones inſumpto multo tempore, alter conſulum Seruilius, cui expeditio ſorte obtigerat, plebe multis precibus & obſequiis ad belli ſocietatem adducta, conſcriptis non inuitis ſed voluntariis copiis, vt tempus poſtulabat, ad bellum exiit Volſcis etiamtum in apparatu occupatis, opinantibus Romanos nec cum exercitu venturos, vt qui domeſticis ſeditionibus mutuisque inimicitiis adeo grauiter laborarent; nec, ſiquis *vltro* laceſſeret, auſuros congredi; ſibi vero integrum eſſe bellum eis inferre quando liberet. at cum bellare incepiſſent ii qui ipſi debellandi erant, perculſis hac Romanorum celeritate omnibus, ſenes honoratiſſimi ex oppidis ſupplicum ritu cum *infulatis* ramis progreſſi, faſſique peccatum, committebãt ſe in *fidem* & arbitrium Seruilii. qui acceptis in vſum XXII.

exercitus cibariis ac vestibus, trecentisque obsidibus delectis ex nobilissima quaque familia, *retro* abiit, finem belli credens, quæ *verius* erat dilatio, & insperata celeritate preuentis ad instruendum se occasio. cum primum enim Romanus exercitus abiit, denuo Volsci bellum incenderunt, communitis oppidis, ac ceteris locis quæ aliquid securitatis promitterent, firmiore præsidio septis. Ad cuius belli societatem propalam se addiderunt Hernici & Sabini, clam vero & alii nonnulli. at Latini legatos eorum societatis petendæ caussa ad se missos vinxerunt, Romamq; perduxerunt. quibus vt senatus pro firma fide & prompto iuuandi studio (vltro enim offerebant ad id bellum suam operam) gratiam referret, concessit quod eos putabat maxime cupere, sed præ verecundia non audere petere, captorum proximo bello ferme sex millia, idq; sine pretio; & vt debita cognatis munificentia plus haberet ornamenti, omnes vestitu ingenuis digno excoluit. ceterum auxilio Latinorum negauit se opus habere: sufficere Romæ suas vires ad sumendas de imperii desertoribus pœnas. cum hoc responso dimissis Latinis, bellum contra Volscos decreuit.

XXIII. Interim patribus in curia consultantibus quas contra hostem educerent copias, magno natu quidam se in forum proiecit, pannosus, promissaque barba & capillitio squalidus, magno clamore hominum opem implorans. factoque concursu ex proximo, stans conspicuo loco, ait se ingenuum ciuem, post expleta omnia militaris ætatis stipendia, post duodetriginta prœlia, post reportata aliquoties fortitudinis præmia, cum difficilia tempora rempublicam ad extremas angustias redegissent, coactum æs alienum fecisse, vt tributum imperatum conferret: *deinde* agello ab hostibus populato, bonisque vrbanis per annonæ caritatem absumptis, cum soluendo non esset, ductum se à fœneratore vnà cum duobus filiis in seruitium: & quia domino grauius quiddam imperanti responsarit, cæsum flagris affatim. His dictis, pannisque abiectis, ostentabat pectus vulneribus *olim in bello acceptis* plenum, tergumque verberibus *ab hero recens inflictis* cruentum. Vbi coorto circumstantium clamore ac lamentis, senatus solutus est: totaque vrbe discurrebant inopes, deplorantes suum infortunium, opemq; à vicinis postulantes. simulq; è

priuatis

priuatis ædibus nexi ob æs alienum *proripiebant se in publicum* squalido capillitio, catenis & pedicis vincti plerique, nemine retinere audente: quos siquis vel attingeret, statim res agebatur manibus: tanta rabies plebem id temporis corripuit: moxque forum erat plenum profugis *a creditoribus*. Ibi Appius veritus ne in se multitudo impetum faceret, quippe qui malorum istorum auctor esset, & hoc tumultu peti videretur, trepide fugit è comitio. At Seruilius abiecta prætexta procumbens cum lachrymis ante singulos popularium, ęgre persuasit eis vt illo die se continerent, & redirent postero; *promittens* caussam eorum curæ fore senatui. His dictis præconem iussit proclamare, nemini creditorum licere ciuium corpora in priuatum vsum abducere, donec senatus super ea re statuisset: & præsentes posse abire secure quocumque liberet. atque ita tumultus sedatus est, discedente è foro populo.

Sequenti die confluebat non vrbana tantum, sed agrestis etiam è vicinia plebes: forumque à mane plenum *turbis* erat. coacto senatu ad consultandum quid in tali negotio facto opus esset, Appius collegam vocabat assentatorem populi, & ducem istius inopum insolentiæ: contra, Seruilius illum austerum & contumacem, caussamq; malorum præsentium. nec finem faciebant altercandi, donec Latini equites citatissimo cursu in forum aduolantes nuntiarent Volscos magno exercitu exisse, iamque Latii fines attigisse. Ad quem nuntium ordo patriciorum equitumque & quotquot diuitiis aut maiorum gloria eminerent, vt in summo periculo, arma capiebant celeriter. egeni vero, præsertim obærati, nec arma capessebant, nec vllam reipublicæ operam nauabant; sed cum gaudio & desiderio bellum externum accipiebant, quasi per id præsentium malorum finem inuenturi. & siquis eos hortaretur ad defendendam *patriam*, catenas ostentantes ac compedes cum iurgio rogitabant, ecquid ad tutanda ista bona belligerare par esset. nec deerant qui auderent dicere, satius esse Volscis seruire, quam perferre patriciorum iniurias. totaque vrbs eiulatu, tumultu, & lamentis muliebribus implebatur. Id videntes patres alterum consulum Seruilium, qui in præsens gratiosior apud vulgus esse videbatur, obsecrabant vt patriæ succurreret. Is aduocata in concionem *plebe*, XXIV.

ostendit præsentem necessitatem non iam ciuiles contentiones ferre; orans vt nunc in hostem eant vnanimes, nec patiantur euerti patriam, in qua Deos patrios maiorumque monumenta singuli habeant, quæ hominibus sint carissima: parentes reuereantur, qui se per ætatem defendere nequeant: misereanturque mulierum, quibus iamiam ferendæ sint atroces atque infandæ libidines; sed maxime ætatis teneræ, non in has educatæ iniurias & immites contumelias. ceterum postquam præsens periculum pari omnium alacritate depulsum fuerit, tum demum deliberatum iri quomodo constituta æquabili & salubri omnibus republica nec diuitibus insidiæ struantur per pauperes, nec illi insultent fortunis humilium. hæc enim non esse ciuilia: sed fore vt & pauperibus non desit ciuile auxilium, & creditorum conueniens habeatur ratio. nam quod inter homines optimum contra iniurias sit remedium, & concordiam inter omnes ciuitates tueatur, contractuum fidem, non omnino nec in perpetuum è sola Romana republica sublatum iri, *præter morem ceterarum omnium.* Hæc & alia quæ tempus postulabat disserens, postremo adiecit nonnihil de sua erga plebem constanti beneuolentia; proque suo erga ipsos studio rogabat vt secum expeditionem susciperent, quando penes collegam vrbis cura sit, penes se vero bellicum imperium, sortibus ita volentibus. aiebatque pollicitos sibi patres, ratum fore quidquid ipse plebi promissurus esset: seque illis *vicissim*, persuasurum plebeiis ne patriam proderent hostibus.

XXV. His dictis iussit præconem proclamare; quotquot Romanorum contra Volscos ductu consulis profecturi essent, horum domos nemini licere neque retinere, neque vendere, neque oppignerare, neque familias eorum ob vllum contractum abducere, neque prohibere siquis in hanc militiam nomẽ dare vellet. quotquot vero desererent militiam, contra hos pro contractus cuiusque conditionibus, actionem esse creditoribus. Hæc audita flexerunt inopes: moxque omnes magna alacritate ad bellum properabant, pars spe lucri excitati, pars imperatoris gratia; sed plurimi vt effugerent Appium & insultationes quæ manentibus in vrbe essent exspectandæ. At Seruilius assumpto exercitu, magna celeritate continuisque itineribus properat, vt hosti

hosti, antequam in agrum Romanum irruat, obuiam fiat: quem cum in Pometino campo tendentem offendisset, prædantemque agros Latinorum, quod noluissent esse belli socii, sub vesperam circa quendam tumulum, viginti ferme stadiis à Volscorum castris distantem, & ipse castra metatus est. Hos Volsci noctu aggressi sunt, rati paucos esse, eosque fessos de longo itinere, nec satis promptos & alacres propter seditiones inopum; quæ quam maxime vigere videbantur. Seruilius quamdiu nox fuit vallo defenso, vbi prima luce animaduertit hostes sine ordine in prædam effusos, apertis multis è vallo portis occultis, ad vnum signum *totum* in eos immisit exercitum. quibus repentino nec opinato casu territis, pauci resistere conati, ad vallum pugnantes contrucidati sunt; reliqui effusissime fugientes, multis suorum amissis, plerique saucii & inermes, intra suum vallum se receperunt. sed à Romanis è vestigio sequentibus circumdati, post non longam defensionem castra dediderunt, mancipiis & pecoribus armisque ac cetero apparatu bellico refertissima. captus est etiam liberorum corporum magnus numerus, partim Volscorum, partim sociarum gentium; & pecuniarum, auri, argenti, vestium plurimum, haud secus quam expugnata vrbe opulentissima. quæ *omnia* Seruilius militi concessit, vt *pro se* quisque lucrarentur, nec quidquam in publicum referrent.

Præda diuisa & castris incensis, exercitum ad proximam vrbem Suessam Pometiam duxit. nam hæc amplitudine habitatorumque frequentia, præterque diuitiis & gloria longe ceteras præcellebat, eratque velut gentis caput. hanc obsessam noctesque diesque sine intermissione oppugnauit, nequid otii hosti daretur ad interquiescendũ somnumve capiendum, aut corpora è bello reficienda: qua contentione effecit, vt fame, anxietate, ac suppetiarum defectu pressi, expugnati sint intra non longum temporis spatium. Capto oppido & interfectis omnibus qui pubertatis annos attigissent; hic etiam militibus agere ac ferre permisit quidquid inuenirent opum. Inde ad alias vrbes exercitum duxit, nemine Volscorum resistere amplius valente. XXVI.

Domitis Volscis, alter consul Appius Claudius productos in forum trecentos eorum obsides, nequis posthac fidem datis obsidibus confirmatam temere violaret, virgis XXVII.

cæsos in conspectu omnium decollari iussit. Reuerso deinde post paucos dies collegæ, & triumphum, qui ducibus re præclare gesta concedi à senatu solebat, postulanti, obstitit, seditiosum appellans & prauæ reipublicæ amatorem. in primis vero incusabat quod nihil ex eius belli præda retulisset in publicum *ærarium*, sed *omnia* quibus ipse voluisset, dilargitus esset: persuasitque senatui ne triumphum decerneret. Tum Seruilius iniuriam sibi à senatu factam existimans conuertit se ad insolitam Romanis contumaciam. aduocato enim in præiacentem vrbi campum populo, denarratisque pro concione rebus à se eo bello gestis, & collegæ inuidia, repulsaque quam à senatu passus esset, ait se ex suis factis & à socio certaminis exercitu, habere ob res preclare ac feliciter gestas *triumphalis* pompæ potestatem. His dictis, fasces coronari iussit, coronatusque & ipse, summa veste triumphali, procedebat in vrbem, prosequente toto populo vsque in Capitolium: vbi votis redditis dedicauit spolia. quo facto plebis fauorem sibi conciliauit, patriciorum vero maiorem incurrit inuidiam.

Seruilius iniussu patrũ de Volscis triumphat.

XXVIII. In ista reipublicæ perturbatione intercesserunt quædam *velut* induciæ patriorum sacrorum caussa: & feriæ quæ splendida magnificentia celebrari solebant, plebis in præsens seditionem cohibebant. Dum hoc festum agitant, Sabini, qui iamdudum hoc tempus obseruarant, magnis copiis in eos tendunt, initio noctis iter ingressi, vt adessent priusquam sentiretur in vrbe: fuissentque voti compotes, nisi velites aliquot à reliquo peditatu diuulsi, prædæ cupidine villas adorti, tumultum excitassent. nam agrestes mox cum clamore ad mœnia concurrerunt, priusquam hostes ad portas accederent. quorum aduentum vt cognouit populus, coronatus interim & spectaculis intentus, relictis ludis ad arma discursum est; matureque ad Seruilium voluntariorum manus satis magna confluxit. qua instructa, hostem inuasit fessum nocturno itinere & vigilia, nec exspectantem Romanorum impetum. vt vero intra teli iactum ventum est, pugna præ festinatione sine vllis ordinibus inita est. nam vt forte fortuna legioni legio, centuriæ centuria, viro vir occurrit, pugnabant promiscue pedites & equites: & subueniebant vtrisque è propinquo suppetiæ, quæ laborantibus animos & vires adderent. quo factum vt diu

Sabinos feriarum tempore irruentes fundit & fugat idem Seruilius.

vt diu magna contentione vtrimque sit decertatum. tandem Romani equitatu sibi affluente Sabinos fundunt denuo: multisque cæsis cum magno captiuorum numero in vrbem reuersi, ceteros etiam intra mœnia Sabinos, qui spectandi prætextu venerant, occupaturi (vt inter ipsos compositum erat) in suorum aduentum loca vrbis munita, perquisitos in vincula coniecerunt. Sacra vero per bellum interrupta duplo maiori quam ante sumptu ex senatusconsulto instaurata sunt: atque ita rursum populus fuit in epulis & hilaritatibus.

Nondum finito festo legati ab Auruncorum gente veniunt; quæ Campanæ regionis præcipuos tenebat campos. hi in senatum introducti, reposcebant Volscorum Echetranorum agrum, quem populus Romanus de Echetranis captum, diuiserat eius loci præsidiariis; deducique inde præsidium postulabant. quodni fieret, denuntiabant Auruncos breui venturos in agrum Romanum, & sumpturos pœnas pro illatis in finitimos iniuriis. Quibus ita responsum est: Renuntiate legati Auruncis, iustum videri Romanis, vt quæ quis virtute acquisiuit ex hostibus, ea posteris vt res proprias tradat: neque timere nos bellum ab Auruncis, nec primum futurum, nec grauissimum, nimirum assuetos cum quibusuis de virtute atque imperio dimicare. quod si in procinctu videbimus, excipiemus intrepide. Post hæc Auruncis cum valido exercitu venientibus Romani cum domesticis copiis Seruilio duce occurrerunt ad Ariciam, quæ ab vrbe distat centesimo & vigesimo stadio. vtrique castra posuerunt in *natura* munitis montibus, non multum inter se distantia, valloque communito, in planitiem pugnatum processerunt: collatisque signis à mane vsque ad meridiem tam acriter dimicarunt, vt multi vtrimque caderent. bellicosa enim Auruncorum gens erat, statura & robore trucique oris aspectu præ se ferens ferum quiddam & terribile. XXIX.

Auruncos deuincit idē Seruilius.

In hoc prœlio laudatur equitum Romanorum virtus, & *in primis* ducis eorum Auli Postumii Albi, qui dictator superiori anno fuerat. locus enim in quo pugnabatur, non erat equitabilis, sed cõfragosus saxeis tumulis, & interruptus profundis angustisq; vallibus, vt neutri parti equitatus posset esse vsui. Ibi Postumius equitib. iussis descẽdere, & facto XXX.

ſexcentorum globo, qua maxime parte legiones laborabant, ea hoſtes inuaſit, confeſtimque repreſſit illorum impetum. tũ reiectis ſemel barbaris Romanos audacia ſubiit, accenſis equitum æmulatione peditibus: factoque ex vtriſque cuneo dextrum hoſtium cornu impulſum eſt vſque ad tumulum. quo factum eſt vt pars in caſtra fugientes magna cæde inſequeretur, pars pugnantes adhuc à tergo vrgeret. Sed his quoque in fugam verſis, lenteque ac magno labore recedentibus per accliuia inſtabant, neruos pedum & ſuffrages obliquis gladiis ſuccidentes, donec ad vallum peruenirent. cuius propugnatoribus per vim ſubmotis *facile*, (neque enim multi erant) caſtra quoque ceperunt & diripuerunt; nõ magno lucro militum. nihil enim ibi præter arma equoſque & alia inſtrumenta belli repertum eſt. Hæc ſunt quæ geſſere in ſuo conſulatu Claudius & Seruilius.

XXXI. *A.V.C. 260 conſſ. A. Virginio & T. Veturio, bella intus & foris.*

Poſt hos creati ſunt cõſules, Aulus Virginius Cælimontanus, & Titus Veturius Geminus, principe Athenis Themiſtocle, anno ab vrbe condita ducenteſimo ſexageſimo; inſtante in ſequentem *annum* ſeptuageſima ſecunda Olympiade, qua Tiſicrates Crotonienſis vicit iterum. His conſulibus Sabini rurſus contra populum Romanum maiorem *quam ante* parabant exercitum; & Medullini defecerunt, icto cum Sabinis ſocietatis fœdere. quorum mente cognita patricii maturabant eos totis adoriri viribus; at plebs nolebat obſequi, memor ſe toties falſam illorum de ſubleuanda pauperum egeſtate pollicitationibus, decretis omnibus irritis. itaque cœtus paulatim facientes coniurabant nullo amplius bello iuuare patricios, & vnicuique inopum coniunctis viribus contra cuiuſcumque violentiam ſuccurrere. apparuitque *ſtatim* ea conſpiratio tum in aliis paſſim contentionibus & rixis, tum maxime conſulibus *delectum habentibus*. cum enim citati ad danda nomina venire nollent, & iuſſus eſſet lictor vnum quendã arripere, *mox* conglobati inopes eripuerunt hominem, lictoribus qui captum dimittere nollent, male mulctatis ac repulſis. quod ſiquis eques aut patricius ſe interponeret, ne ab his quidẽ manus abſtinebãt: paulatimq; tota ciuitas cõfuſione ac tumultu repleta eſt. Et interim dũ intᵘ gliſcit ſeditio, foris quoq; bellũ maioribᵘ indies viribus parabatur ab ho-

hostibus, Volscis rursus ad defectionem spectantibus, & *item* Æquis; & crebris sociorum legationibus senatum sollicitantibus ne se desereret obiectos in via hostibus *vrbi bellum inferentibus*. Latini enim aiebant Æquos facta in agrum suum irruptione prædas agere, & diripuisse iam aliquot oppida. Crustumeriæ quoque præsidiarii significabant Sabinos prope esse, præsidii oppugnandi percupidos: alii aliud malum nuntiabant iam factum aut futurum, poscentes opem celerem. Iamque & Volscorum legati aderant, à senatu postulantes vt ademptus sibi ager restitueretur antequam bellum inciperent.

XXXII. Ergo coacto super his senatu; primus sententiam rogatus Titus Largius, dignitate *tunc* præcellens & prudentia, sic locutus est: Mihi Patres Conscripti, quæ ceteri timenda existimant & celeri habere opus remedio, nec timenda videntur nec admodum vrgentia, quæ scilicet ad opem sociis ferendam & arcendos hostes attinent. quæ autem illi nec maxima mala putant, nec curam necessariam nunc postulare, negligentes tamquam nihil damni datura, ea vero mihi horrenda videntur; & nisi reprimantur celeriter, extremam confusionem & subuersionem reipublicæ allatura; *videlicet* plebeiorum inobedientia detrectans iussa consulum, & nostra ipsorum erga refractarios & liberius se gerentes morositas. ego certe nunc nihil *aliud* magis prospiciendum censeo, quam quomodo sublatis ex vrbe his *vitiis*, vnanimes maiore publicæ quam priuatę vtilitatis respectu ciuitatem gubernemus. quæ si concors sit, sufficiet tam tuendis amicis, quam terrendis hostibus: seditionibus vero iactata, vt nunc, neutrum horum præstare poterit: mirum ni seipsam confectura, & hostibus sine labore traditura victoriam. quod per Iouem Deosque ceteros breui fore opinor, si ista reipublicæ forma continuetur. diducti enim sumus, vt videtis, in duas ciuitates; quarum alteram paupertas & necessitas regunt, alteram satietas & insolentia. pudor autem & decorum & ius, quibus conseruatur omnis ciuilis societas, ab vtraque exsulant. itaque manu iam iura reddimus, & summum ius ponimus in summa violentia, sicut bestiæ; malentes aduersarios nostro malo perdere, quam nostræ securitati consulendo vna cum illis manere incolumes. Huic ego rei diligenter prospiciendum, & super ea

consultandum censeo cum primum legatos absolueritis: quibus ita nunc respondendum arbitror. Volscis repetentibus à nobis quæ victores armis parauimus, & ni reddamus, bellum minantibus, dicemus Romanis honestissime acquisita videri quæ legitimi belli iure parta sint; nec posse nos stulta facilitate virtutis decus offuscare, redditis *scilicet* iis quę illi amissa queritantur; sed coniunctis viribus enixuros vt parta & retineamus ipsi, & ad posteros transmittamus. *alioqui* si ipsi ea nobis ademeremus, nos ipsos tractaremus hostiliter. Latinorum vero laudata beneuolentia timorem animemus; pollicentes nunquam eis opem nostram defuturam, donec in fide populi Romani manserint: nec passuros quidquam propter nos; sed mature affuturas eis copias quantæ ad defensionem sufficiant. Hæc responsa puto fore optima & iustissima: post discessum autem legatorum, aio primum senatum dandum vrbanis tumultibus; eumque non diutius quam in crastinum differendum. Hac Largii sententia collaudata à patribus, legati cum iam dictis responsis dimissi sunt.

XXXIII. Sequenti vero die consules coacto senatu dispiciendum proposuere *patribus* quo pacto vrbani tumultus possent corrigi. ac primus sententiam rogatus Publius Virginius vir popularis, mediam viam ingressus dixit: Quoniā plebs superiori anno in bellis pro republica maximam declarauit promptitudinem, Volscorum & Auruncorum validis exercitibus nos inuadentibus opposita, censeo iis qui bella ista nobiscum susceperunt & cōfecerunt, concedendam remissionem, vt creditoribus nec in corpora eorum ius sit, nec in bona. & idem ius esse parentibus eorum vsque ad auos; natis quoque vsque ad nepotes; in ceteros ius esse creditoribus iuxta obligationes contractuum. Post hunc Titus Largius dixit: Mihi P.C. videtur optimum, non hos solos qui fortes in bellis fuerunt, verum etiam reliquam plebem vniuersam à contractibus liberam facere. hac enim sola ratione totam ciuitatem in concordiam redegerimus. Tertius deinde Appius Claudius superioris añi cōs. dixit: Quoties P.C. de hoc negotio proponitur quæstio, semper eandem obtineo sententiam, plebi nihil eorum quæ postulat permittendum, nisi iustum & honestum; neque summittendos *et* generosos ciuitatis animos. nec de pristina sen-

tentia

sententia nūc quidquam muto: alioquin essem omnium mortalium amentissimus, si, cum præterito anno collegæ aduersanti & plebem *in me* concitanti restiterim, & in sententia permanserim, nec terrore deiectus, nec precibus aut gratia flexus, nunc priuatus meipsum deiicerem, & libertatem loquendi proderem. vtcumque cuique vestrum appellare libet hanc animi mei libertatem, siue generositatem siue arrogantiam, numquam, dum vixero, [ab hac recta sententia discedam, nec vmquam] debitorum remissionem in improborum hominum gratiam introducam: imo etiam eius sententiæ auctores totis viribus oppugnabo: reputans quod omnia vitia & dissensiones, & (vt compendio dicam) subuersio ciuitatis ex interuerso ære mutuatitio nascitur. & siue quis prudenter, siue insane, (quod non priuatam sed publicam incolumitatem spectandam censeo) siue quomodocumque hæc à me dicta opinabitur, fruatur sua opinione per me licet; *modo* mihi *vicissim liceat* semper aduersari *noua* instituta præter patriæ morem inducentibus. Quoniam autem tempus *nunc* non æs alienum, sed præsentaneam opem postulat, dicam quod mihi vnicum in præsens seditionis videatur remedium: dictatorem quam primum dicendum censeo, qui pro imperio & senatum & plebem cogat ad consilia reipublicæ vtilissima; alias nullus erit horum malorum finis.

XXXIV.

Hanc Appii orationem iunioribus cum fremitu approbantibus, Seruilius contradicturus assurrexit, & aliquot alii seniores: sed victi sunt à iunioribus, qui & parati *ad hoc* venerant, & caussam magna vi agebant: atque *ita* vicit tandem Appii sententia. Deinde cōsules vnanimi consilio, præter plurimorum opinionem qui Appio dictaturam destinabant vt soli ad hoc idoneo, repulso illo Manium Valeriū fratrem Publii primi consulis, cum popularissimus fore videretur, iam senem creauerunt dictatorem; rati ipsum potestatis terrorem suffecturum esse: ceterum miti viro esse opus in tali negotio, nequid forte *rebus exasperatis* moliretur noui. Is inito magistratu, & electo magistro equitum Quinto Seruilio, fratre eius qui cū Appio fuerat consul, in concionē vocauit populū. qui cū frequens adesset tunc primum ex quo Seruilius magistratum deposuerat, & plebs dum ad militiam cogeretur, ad manifestariam insolentiā se

3 *Dictator M. Valerius.*

verterat; pro tribunali sic locutus est : Sat scio Quirites, semper vos aliquos è gente Valeria magistratus cupere, per quos à grauissima tyrannide liberati estis, nec vlla æquitatis parte frustrati; permittentes vos iis qui omnium viderentur popularissimi. quare non opus est vt vos doceam nos populo libertatem, quam ei iam inde ab initio dedimus, conseruaturos esse; sed vt paucis horter, fidem iis quæ præstare pollicebimur, firmam tribuatis. ea enim ætate sumus, in quam haudquaquam dolus cadit; ea dignitate, quæ impostурarum quam maximè expers est; & quod vitæ superest, non alibi agetur quam inter vos; vt decepti possitis pœnas de me sumere. verum hæc (vt dixi) apud vos totius rei non ignaros tacebo, vt quæ multis verbis non egeant.

XXXV. Ceterum quia quod ab aliis vobis accidit, non immerito de omnibus suspicari videmini, dum semper videtis aliquem è consulibus ad bella vos cohortantibus polliceri, se, quibus indigeatis, à senatu impetraturum, nec tamen vllam promissorum partem implere: hoc *ipsum* & de me suspicari vos iure non posse, duobus potissimum argumentis fidem faciam: tum quod senatus me plebis amantissimo non abuteretur ad tale ministerium, cum non desint alii magis idonei: tum quod non *in aliud* me ornasset hoc summo imperio in quo quæ mihi viderentur optima, etiam sine illis ad iuuandam rempublicam adhibere possem. certe non est cur putetis me prudentem & doli conscium velle vobis inferre iniuriam. quod si me putatis adeo hominum omnium nocentissimum, facite de me quod libet; tantum meis monitis freti, animos vestros ista suspicione liberate: iras porro ab amicis transferte in hostes, qui patria vos & libertate spoliare cogitant, ceterisque hominum iudicio grauibus malis afficere: & nuntiantur iam non longe abesse à nostris finibus. expedite igitur vos alacriter, & ostendite illis, Romanorum vel dissentientes inter se vires concorde aliorum potentia validiores esse. aut enim non exspectabunt nos si contra eamus vnanimes, aut meritas audaciæ pœnas dabunt. Sic enim putate, Volscos esse Sabinosque qui bellum nobis inferunt, multis à vobis victos prœliis; & neque maiora nunc afferre corpora, neque fortiores animos; sed tantum vos ob mutuas discordias contemnere.

temnere. Vbi vero de hostibus vindictam sumpseritis, spōdeo vobis senatum & has de ære alieno contentiones, & alias petitiones æquas, pro bellicæ virtutis merito concessurum. interim libera sunto omnia corpora, omnia bona; nec ciuis Romani honos pigneratione, ære alieno, aut vllius contractus nexu teneatur. qui vero fortiter certauerint, iis pro honestissima corona erit integer patriæ status; nec minus honesta continget laus à sociis. nos quoque talibus eum honestabimus præmiis, quæ & rem familiarem possint restituere, & honore familiam illustrare. Exemplum prompti ad audendum animi à me sumite. pro vobis enim periculis me obiiciam, non secus quam si essem vestrū validissimus. Hæc dicentem tota plebs & libenter audiit, vt nullo amplius dolo eludenda; & mox pollicita est ad id bellum suam operam. decem legiones conscriptæ sunt, singulæ quaternorum milium. è quibus ternæ vtrique consuli attributæ sunt, & equitum quantum cuique tribueret partitio: *alteræ* quatuor *legiones* cum reliquo equitum numero, dictatoris sequebantur auspicia. confestimque instructi maturauerunt iter; in Æquos Titus Veturius; in Volscos, Aulus Virginius; ipse dictator Valerius, in Sabinos: ad vrbis custodiam cum senioribus & pauca iuniorum manu relictus est Titus Largius. Cum Volscis cito debellatum est. fidentes enim maioribus copiis, superiorum cladium memoria citius quam cautius ad certamen impellente, primi Romanos ocius adorti sunt, simulatque illos castra metatos conspexere. inito prœlio cum acriter aliquandiu ac strenue pugnassent, maiorem tamen ipsi accepissent quam intulissent cladem, *tandem* in fugam se verterunt: *simulque* castra *vi* capta, & Velitræ obsidione domitæ, nobile gentis eius oppidum. Pari modo & Sabinorum spiritus intra breue temporis spatium sunt compressi, decretūque vno tantum prœlio: deinde actæ ex agris prædæ, & expugnata aliquot oppidula; vnde magna tum corporum tū opum copia miles potitus est. Æqui autem diffisi suis viribus, postquam audiuere debellatum cum sociis, continebāt se locis munitioribus, non ausi in aciem procedere; & qua poterant, recedebant per montium aut saltuum iuga, elusis aliquamdiu hostibus. non potuerunt tamen incolumem exercitum reducere, cum Romani per ardua ru-

XXXVI.

Volsci profligati.

Sabini deuicti.

Æqui domiti.

pium eos audenter consectati, castra vi cepissent. quo facto fuga se proripuerunt ex agro Latinorum; ac *mox* secutę *crebræ* deditiones oppidorum quæ primo impetu ceperant; aut expugnationes etiam, siqui obstinate arces retinere contenderent.

XXXVII. Valerius confecto ex animi sententia bello, triumphoq; solenni ritu deducto, militia liberauit populum, cum nondum senatui tempus esse videretur, ne *tam cito* inopes promissa repeterent. In agrum de Volscis captum colonos misit, delectos ex egena multitudine qui & contra hostem essent præsidio, & seditiosam in vrbe turbam minuerent. His ita ordinatis petit à senatu, vt cum promptā plebis in prœliis experti sint operam, ipsi quoque promissis stent. qui cū ista negligerent, & vt antea sententiæ ipsius reclamarent, iuniorum factio quæ & numero & vi præpollebat alteri aduersabatur viro, magnoque clamore in eum debacchabatur, *totam* eius familiam infamans vt adulatricem plebis & malarum legum auctorem. *tandem* cum nuntiaretur homines istos in iudicialibus consistoriis vociferari, hoc eius instituto totam patriciorum potentiam esse abolitam, indignatus Valerius, & iniuste se ad populum traduci questus, cum deploratione infelicis talium consiliorum exitus & (vt fieri solet in talibus aduersitatibus) partim ex affectu, partim præcellenti mentis acumine, *multa* vaticinatus è curia se proripuit. aduocata deinde concione sic populum allocutus est: Magnam vobis gratiam Quirites habeo, ob promptam operam quam mihi vltro in hoc bello præstitistis: maiorem etiam, ob spectatam in prœliis virtutem. Sed & referre vobis gratias maximopere studui, tum aliis rationibus, tum præstando quæ senatus nomine vobis sum pollicitus, & reconciliando exasperatos seditionibus animos, veluti consiliarius & arbiter vtriusque partis. Sed huic meæ voluntati obstant qui salutaribus reipublicæ cōsiliis sua præferunt placita; numero ac viribus ceteris superiores, & pro iuuenili ætate feruidiores quam præsens rerum status postulat. Ego contra senex, vt videtis, alios quoque mei similes habeo socios, consiliis quidem pollentes, sed ad ea exsequenda destitutos viribus: & quod reliquum *nobis* est, hæc quæ penes nos esse videtur reipublicæ procuratio, priuata est cum vtraque parte simultas. nam sena-

Domesticæ turbæ recrudescunt.

tus me

tus me criminatur vt *plus satis* studiosum vestræ multitunis: apud vos traducor quasi patres conscriptos maiore prosequar beneuolentia.

Si igitur plebs prior affecta beneficio promissum senatui per me factum fefellisset, respondendum mihi fuisset, vestrum id mendacium esse, nec vllam in me culpam residere. nunc quoniam senatus pollicita sunt irrita, necesse habeo apud plebem caussam meam agere, nō factum id meo consensu, sed fucum factum ambobus, imo mihi magis quam vobis: cui non eo solum fit iniuria quod cum ceteris sum deceptus, sed quod priuatim etiam male audio, quasi prædam de hoste captam egenis plebeiis non ex communi senatus sententia dederim, captans propria commoda; & *nunc* contra senatus voluntatem bona ciuium publicare cupiam; vosque præter disciplinæ rationem inuito senatu absoluerim à militia, quos in hostico castrensibus laboribus & vagis itineribus *diutius* distinere debuerim. Obiicitur mihi & colonorum in Volscos deductio, quod agrum magnum & bonum non patriciis aut equitibus largitus sim, sed egenis ex vestro numero diuiserim; &, quod maximam eis indignationem mouit, quadringenti & amplius è plebe ciues fortunis aucti, *superiori* delectu in equestrem ordinem allecti sint. Hæc si mihi corpore vigenti accidissent, declarassem inimicis quali viro facta sit contumelia. nunc quia sum maior septuagenario, nec possum me ipse vlcisci aut defendere, nec vestras seditiones per me cōpesci posse video, magistratum depono & siqui se à me deceptos putant, eis mei corporis potestatem facio, tractent me vt iustum videbitur. XXXIIX

His auditis tota plebs ad miserationem flexa, è foro discedentem *domum* deduxit; id quod magis etiam senatum exasperauit. ac mox hi motus secuti sunt. inopes non amplius clam neque noctu, vt antea; sed propalam cœtus facientes, consultabant de secessione à patriciis. senatus vero vetare cogitans, iussit consules nondum exercitus dimittere. habebat enim sacras legiones adhuc in potestate; quod sacramento tenerentur, nec quisquam deserere signa vellet. tantum pollebat apud vnumquemque iurisiurandi religio. prætexebatur autem militiæ caussa, quasi Æqui & Sabini ad bellum Romanis inferendū conspirassent. XXXIX

Deinde cum consules cum copiis egressi, castra non longe à se inuicem posuissent, milites armis & signis potiti, in vnum omnes congressi, instigante quodam Sicinio Belluto, raptis signis defecerunt à consulibus nihil enim in Romana militia signis habetur venerabilius; nec minus sacra iudicantur quam Deorum simulacra. creatisque nouis centurionibus, & rei summa delata ad Sicinium, montem quendam prope Anienem fluuium occupant, non longe ab vrbe, qui nunc inde vocatur Mons sacer. cumque à consulibus & centurionibus reuocarentur cum precibus & lacrymis, multa *interim* pollicentibus, respondit Sicinius: Quid vobis vultis patricii, dum eos nunc reuocatis, quos ipsi expulistis patria, & è liberis fecistis seruos? aut qua fide nobis promissa firmabitis, quæ vt constat, iam toties fefellistis? Quando soli vrbem tenere vultis, abite. non erunt vobis molesti pauperes & tenues. nos contenti erimus quacumque terra, vbi libertatem tueri liceat; eamque, vbicunque fuerit, patriam nobis putabimus.

Secessio in montem sacrum.

XL. His in vrbem renuntiatis, magnus tumultus fuit & cóploratio, discursusque per vias, plebeiis vrbem deserere parantibus, patriciis eos *à proposito* diuertere, ac per vim inuitos retinere conantibus: eratque clamor circa portas, & fletus; nec dictis factisque temperabatur hostilibus, nulla ætatis, sodalitatis, dignitatis, virtutisve reuerentia. Reiectis deinde custodibus exituum, qui ob paucitatem non valebát subsistere contra impetum multitudinis, tum vero magna pars plebis se effundebat; ac velut vrbe capta, qui remanebant, lamentabantur, seque inuicem incusabant, dum vrbem desolari videbant. secutæ sunt consultationes crebræ, & accusationes eorum qui caussam secessioni præbuerát. Per idem tempus & hostes prædabundi excurrebant vsque ad mœnia. Sed qui defecerant milites, contenti necessarios commeatus è propinquis agris petere, cetera temperabant à maleficiis, sub diuo manentes & receptantes confluentem ad se tam ex vrbe quam è finitimis castellis plebem, crescente *in horas* numero refugiebant enim eo non hi soli qui æs alienum, iudicia, miseriasque inde secuturas vitabant: verum & cetera turba otiosorum ac segnium, nec habentium vnde satisfacerent suis cupiditatibus: tum eorum qui malis artibus studebant, aut inuidebant feliciori-bus,

bus, vel alia quapiam de caussa iniquo animo ferebant præsentem statum reipublicæ. At patricii his turbis perculsi, metuebant primum ne illi prima quaque occasione cum externo hoste coniuncti, facerent in vrbem impetum: ac velut signo dato correptis armis cum familiaribus & clientelis, pars vias seruabant qua timerent aduentum hostium, pars castella *proxima* occupabant præsidiis, pars pro mœnibus in campis castra metabantur. qui vero propter senium nihil horũ facere poterant, in mœnibus sunt dispositi. Postquam autem cognouere, secessores nec hosti se adiungere, nec agros vastare nec quidquam damni darẽ quod alicuius momenti esset, desierunt metuere: & mutata sententia deliberarunt quibus reconciliari possent conditionibus: dictæque sunt à senatus primoribus variæ longeque discrepantes sententiæ; maximis natu modeste differentibus & pro ratione præsentis temporis: non malitia secessisse plebem, sed partim compulsam calamitatibus, partim inductam à *malis* consiliariis; & iræ magis obsecutam quam sano iudicio, vt fieri ab imperitis solet. adhæc plerosque mali consilii sibi conscios, correctionem delictorum *iam* requirere, modo detur honesta occasio. cum igitur iam factis testentur pœnitentiam, si bona spe in futurum facta, impunitas eis à senatu decernatur, & honestæ pacificationis conditiones proponantur, fore vt contenti sint in proprias sedes se recipere. Simul monebant ne præcellentes cetero, deteriores essent quantum ad iram, neue in id tempus reconciliationẽ differrent, quo pars demens aut sapere necessitate cogeretur, aut maiore malo minori mederi, traditisque armis, & deditis corporibus, ipsam se libertate priuare; id quod videatur pene impossibile. Quod si moderationi studeant *patres*, initium ab eis fore consiliorum vtilium, ipsosque priores reconciliationem quæsituros, reputantes quod imperium & reipublicæ cura magis ad patricios pertineat, & bonos viros deceat pacis & amicitiæ principium quærere. Maiestatem porro senatus non eo detrimentum accepturam, quod necessarios casus fortiter ferens, tuta sequatur consilia; sed si per morosam iracundiam cladem reipublicæ afferat. amentium enim esse, decorum consectando, incolumitatem negligere. Optandum quidem vtrunque,

XLI.

si possint simul contingere: quodsi alterutrum negetur, salutem decoro præferendam esse, vt magis necessariam. Huc denique tendebat horum admonitio, vt legati mitterentur qui cum secessoribus de amicitia agerent; quando
XLII. erratum eorum non esset immedicabile. Placuit id senatui: moxque electi *ad eam legationem* maxime idonei, missi sunt in castra cum mandatis, vt quærerent ab eis, quanam re opus haberent, & quibus legibus in vrbem redire postularent. si enim æqua peterent & possibilia, non aduersaturum senatum. nunc si positis armis in vrbem reuerterentur, concessum iri & delictorum impunitatem, & offensarum in posterum obliuionem. quodsi strenuam operam reipublicæ præstiterint, & periculis pro patria alacriter se obiecerint, non defutura honesta & commoda præmia. His mandatis apud exercitum expositis, legati & alia quæ res postularent addidere verba. Sed respuerunt eam inuitationem secessores, senatuiq; superbiam, morositatem & perpetuam simulationem exprobrarunt: quasi vero ignorarent quibus rebus plebs opus haberet, aut qua necessitate coacta esset secedere. largiri eos sibi secessionis impunitatẽ, quasi *eius* penes illos adhuc esset potestas; cum ipsi egeant ciuium auxilio contra externũ hostem iamiam cum totis viribus affuturum; contra quos ne *vultum* quidem possint attollere, qui *nunc ipsorum* salutem putent nõ tam sibi fore bono, quam ferẽtibus opem commodo. Postremo sic orationem clauserunt: satis iam ipsos scire in qua necessitate constituta sit ciuitas, & *breui* intellecturos quales habituri sint aduersarios: multasque insuper & graues addidere minas. Ad hæc nihil contradixerunt legati, sed reuersi patriciis exposuerunt secessorum responsum. Quo cognito, multo magis in vrbe tumultuatũ & trepidatum quam prius: & neque senatus his malis exitum aliquẽ aut dilationẽ inuenire poterat, cum principes patrum multos dies mutuis altercationibus & criminationibus contererent, & consessus obtusis auribus *re infecta* dimitteretur; neque plebs vrbana, quæ adhuc detinebatur patriciorum fauore aut patrię desiderio, sui perstabat similis: sed hi quoque clam ve palam ve magna ex parte diffugiebant; & nihil firmi videbatur reliquum. Interea consules, cum breue su-
XLIII. peresset imperii tempus, diem indixerunt comitiis. Populus,

lus, vbi tempus aduenit quo magistratus in campo *Martio suffragiis* erant confirmandi, nemine consulatum ambiente, ac ne *vltro* quidem oblatum admittente, ipse designauit consules qui eum magistratum iam *ante* gesserant, viros *ex æquo* gratiosos apud optimates ac plebem, Postumum Cominium & Spurium Cassium; quorum auspiciis Sabini debellati principatu cesserant. *Horum consulatus incidit in* septuagesimã secundam Olympiadem, qua vicit stadio Tisicrates Crotoniensis, principe Athenis Diogneto. Hi cum maturius solito magistratũ inissent Calendis Septembribus, ante omnia senatu conuocato ad patres de plebis reditu retulerunt: primumque sententiam rogauerunt Agrippam Menenium, virum stata ætate insigniq; prudentia; sed maxime laudatum quod sapienter se gereret in republica medius inter partes, neq; superbiam fouens optimatium, neque plebi omnem permittens licentiam: qui senatum ad pacem in hæc verba exhortatus est: Si omnes quotquot hic adestis P. C. eandem mentem haberetis, nec esset qui obstaret paci cum plebe quocunq; modo componendæ, siue iustis conditionibus, siue secus & de his tantũ proposita esset deliberatio, paucis vos edocere quæ mea sit sententia. nunc quoniam quidã de hoc ipso adhuc disquirendũ censent, vtrum satius sit reconciliari plebi, an bellum cum ea gerere, non videtur mihi facile in pauca verba conferre meam sententiã: sed necesse habeo prolixiore vti oratione, vt doceã, eos qui à pacificatione abhorrent, cõtrarium vobis suadere, ac dum leuibus & sanatu facilibus incommodis vos *iam ante* pauidos terrent, *interim* maxima & curatu difficillima satis inconsiderate negligere. quod non aliam ob caussam faciunt, nisi quia magis iræ furorẽ quam rationem in consilium adhibent. Quis enim dicat istos animo præuidere quid vtile sit aut possibile, qui putãt ciuitatem tantam tantisq; rebus potitam, vt inuidiosa iam & grauis sit finitimis, vel sine plebis adminiculo *subditas imperio* gentes facile *in officio* continere ac conseruare incolumes posse; vel pro *hac* pessima, aliam meliorẽ introducere, quæ tum pugnet pro imperio, tum in cõmuni reipublicæ administratione quietissimã se præbeat, nec vel in pace vel in bellis discedat à modestia? quid enim aliud possunt dicere, quo freti nos à pace dehortẽtur? Quam autem

A. V. C. 261
Olymp. 72.
Conss. Postumus Cominius, & Sp. Cassius.

Menenii consilium.

XLIV.

vtrunque hoc stultum sit, vobis ex ipsa rerum facie considerandum relinquo, reputantibus post motus & secessionem infimę plebeculæ, quæ quosdam inciuiliter & immodeste calamitatibus suis abutentes non ferens, præter discessum ex vrbe nihil vobis mali nec facit nec cogitat, tantum honestam pacificationem exspectans; multos ex his qui male vobis volunt, fortuitum hunc casum cupide arripere, erectisque animis putare hoc esse illud tempus optatissimum, quo imperium vestrum euertere queant. Nam Æqui, Volsci, Sabini, Hernici, hostes nostri perpetui, & nunc recentibus exasperati cladibus, agros nostros sibi diuidunt. Campaniæ vero Etruriæque quidquid dubia fide reliquimus, aut aperte desciscunt, aut occulte *defectionem* parant. Quin & Latinorum cognata gens videtur parum constans in officio & fide amicitiæ; verum eius quoque magna pars nuntiatur laborare nouarum rerum cupidine, quarum *plerique* omnes *natura* sunt auidi. Et nos qui hactenus alios oppugnauimus, nunc ipsi obsidemur, aruis sine semente relictis; prospectamusque villas diripi, prædas abigi, seruitia transfugere; nec videmus quo modo his occurrendū sit malis. & hæc patimur quia speramus plebem nobiscum redituram in gratiam, & in nobis positum esse scimus vno senatuscōsulto seditionem

XLV. componere. Ac dum foris adeo malus est rerum status, non minor intra mœnia terror est. nam neque sociorum auxiliis iamdudum nos instruximus ad tolerandam obsidionem, neque ipsi *oppidanorum* multitudine sufficimus ad *excipiendas* tot gentes hostium. atque in hoc ipso modico & imbelli numero maior pars plebeii sunt, mercenarii, clientes nostri, & opifices; non admodum firmi custodes turbati optimatium regiminis. Adhæc crebra illorum ad secessores transfugia, etiam reliquos omnes suspectos faciunt. Super omnia commeatus, qui territorio ab hostibus occupato subuehi non potest, fame nos iam territat: quodsi accesserit inopia, magis etiam terrebit. præter ea, quod nunquam animos nostros conquiescere sinit bellum, omnem malorum atrocitatem superat; mulierculæ secessorum paruuliq; pueri & parentes senio confecti, miserabili ac lugubri habitu oberrant per forum & compita, plorantes, supplicantes, dextram cuiusque ac genua

genua prensantes, lamentantes suam cum præsentem, tum magis etiam futuram desolationem, miserabili & intolerabili specie. nemo enim tam immani est ingenio, vt ad horum aspectum non turbetur animo, & afficiatur hominum infortunio. quapropter si plebeiis fidere nolimus, tollenda sunt è medio & hæc corpora, partim obsidioni ferendæ inutilia, partim inconstantis in amicitia fidei. quibus expulsis quid virium reliquum erit ad vrbis custodiā? aut quibus auxiliis freti audebimus *tot* mala subire? nam proprium nostrum refugium & vnica firma spes, robur patriciorum, paruum est, vt videtis, nec dignum ob quod *de nobis* sentiamus magnifice. Quid igitur belli ferendi auctores *& ipsi* delirant, & nos decipiunt, ac non potius aperte suadent, sine sanguine ac labore vrbem inimicis iam nunc dedere? At fortasse ipse vaniloquus non timenda timeo; cum vrbi nullum aliud iam immineat periculum quam mutatio, res non admodum difficilis; ac perfacile sit ex quibusuis gentibus & locis mercenarios *colonos* & clientelarum vulgus recipere. hoc enim est quod plerique iactant plebis aduersarii; per Iouem non omnino (*vt ipsis videtur*) stolide. nam eo stultitiæ iam ventum est, vt pro salutaribus sententiis afferantur vota inania. Quos ego libenter rogauerim, quantum temporis spatium nobis ad ista exsequenda concedatur, cum hostis tam prope immineat vrbi. aut quam veniam meretur cunctatio in exspectandis auxiliis, aduersitatibus nostris nihil cunctantibus? aut quis mortalium immortaliumve interim nos tuebitur, dum per otium vndecunque contrahuntur & huc adducuntur auxilia? Tum isti qui relicta sua quisque patria commigrabunt ad nos, qui tandem erunt? Vtrum ædes, familiam, opes, & honores apud ciues suos habebunt, vel ob maiorum nobilitatem, vel ob propriæ virtutis gloriam? Et quis sustineat relictis domesticis bonis alienorum malorum turpiter fieri particeps? Non enim vt pace ac deliciis vna nobiscum fruantur huc venient, sed ad bellum & pericula; quorum incertum est an felix futurus sit exitus. An plebeiam & lare carentem introducemus multitudinem, expulsæ huic similem; videlicet ob æs alienum & mulctationes ac huiusmodi mala libenter quocunque sedes translaturam? quam vt demus alioqui frugi & mo-

XLVI.

destam fore, certe vel hoc ipso plebe nostra longe, atque adeo omni ex parte, deterior erit, quod nec familiaris nobis est, aut eidem vitæ rationi assueta; nec consuetudinum nostrarum, legum, & disciplinæ peritiam est habitura. Et indigenæ plebis liberi, vxores, parentes, aliique domestici, hic sunt obsides; atque adeo natalis soli desiderium; quod
XLVII. omnibus inest necessario, nec potest eximi. At accersitum istud & inquilinum vulgus, si nobiscum cohabitet, cum nihil horum apud nos habeat, pro quibusnam bonis se periculis exponere volet; nisi quis eis promittat agros & quantamcumque vrbis partem, spoliatis horum possessoribus, quæ ne ciuibus quidem post multa pro republica certamina concedere dignamur. ac fortasse ne his quidem solis contenti fuerint, affectaturi etiam honores & magistratus, ceterorumque bonorum communionem ex æquo cum patriciis. Ita fiet vt si non concesserimus quidquid postulauerint, inimicos eos habeamus: si vero permiserimus, pereat respublica, à nobisipsis pessumdata. Taceo quod bello aptatis corporibus nunc opus habemus, non agricolis, nec mercenariis, nec negotiatoribus, nec opificibns sellulariis, qui bellando discant bella gerere: durum enim est non assueto periculum facere: quales vtiq; erunt conuenæ isti ex omnibus nationibus collecti. nam militare auxilium neq; in promptu nobis video, neque si se ex improuiso offerret, suaderem temere intra mœnia recipiendum; cum constet multas vrbes oppressas ab introductitiis præsidiis.
XLVIII. Hæc sane atq; alia iam exposita considerantes, simulq; inuitantium vos ad pacificationem memores, quodq; non apud nos solos & primos, pauperes diffideant à diuitibus, tenues ab illustribus, sed in omnibus (vt *breuiter* dicam) paruisq; magnisq; ciuitatibus plerumque inter plus & minus simultas intercedat: in quibus reipublicæ præsides moderatione seruauerunt patrias; superbia vero, & cetera sua bona & seipsos perdiderunt: & quod, quidquid ex multis partibus est compositum, aliqua sui parte vitiosum esse solet: præterea neque in humano corpore semper resecandum membrum vitiatum, ne fœdetur reliqui corporis species, & natura breui deficiat: neque à ciuili societate morbidam partem excludendam *continuo*, quod alioquin partibus paulatim depereuntibus vniuersitas ipsa tandem interitura

teritura sit: *postremo*, cogitantes necessitatis vim, cui soli & Dii cedunt, ne ferte iniquo animo fortunæ vicissitudines, nec quasi semper futuri votorum compotes, tumete arrogantia & inscitia; sed flectimini & cedite, exemplo felicium consiliorum non aliunde quam à vobismetipsis sumpto. Oportet enim tum singulos homines tum ciuitates præclaris facinoribus cum seipsis contendere, operamq; dare vt posteriores eorum actiones à prioribus non degenerẽt. Ergo vos ipsi iam multos hostes post grauissimas iniurias sub iugum redactos neque occidistis neque expulistis è sua patria; sed domibus & agris redditis siuistis eos retinere sedes pristinas, nonnullis etiam ciuitatem largiti & ius suffragii. quodque magis mirandum est, vestrorum ciuium multis, post grauia peccata in vos admissa, pœnam remisistis, contenti in auctores iram effudisse, ex quo numero fuerunt coloni quos misistis Antemnas, Crustumeriam, Medulliam, Fidenas aliique multi. quorsum enim attinet omnes nunc enumerare, quos vi captos moderate castigastis & ciuiliter? nec vllum inde ciuitati aut periculum aut dedecus accidit, sed & vestra clementia laudatur, & vrbis incolumitati nihil decessit. Et qui hostibus pepercistis, cum amicis belligerabitis? qui perdomitis mulctã remisistis, vestros in asserendo imperio socios male mulctabitis? qui vrbem vestram præbetis omnibus eo refugientibus tutum receptaculum, sustinebitis indigenas ex ea pellere, quibuscum educati & instituti estis, multaque bello & pace prospera & aduersa habuistis communia? Non, si, quod iustum est & mores vestros decet, volueritis facere, & sine ira quid vtile sit iudicaueritis. Sed dixerit aliquis: Nobis quoque placet sedari dissidium, & vehementer id cupimus. XLIX. at quonam modo pacandum sit, ostende si potes. vides quanta sit in plebe contumacia: quæ, cum *prior nos* læserit, tamen non dignatur legatos ad nos de pace mittere, ac ne nostris quidem respondet humane & ciuiliter, sed superbit & minitatur; nec quid sibi velit, coniectura est facilis. Audite igitur meum consilium. Ego plebem neque tam infensam nobis existimo vt reconciliari non cupiat, neq; facturam quæ minatur, *hoc inde* coniiciens, quod dictis eius facta non respondere videã: immo puto eam pacificationis magis quam nos cupidam. nos enim & carissimam pa-

triam habitamus; & rem familiarem, domos, parentes, ac cetera quæ plurimi faciunt homines, in potestate nostra habemus: illa exsul vrbe focisque caret, orbata propinquis necessitudinibus, ac ne quotidiano quidem victu affluens. Quodsiquis roget, cur igitur in istis ærumnis neque nostras inuitationes admittit, neque per legatos nobiscum agit? ei hoc tantum referam: quia per Iouem verba tantum hactenus à senatu audit, nec vllum inde humanum & moderatum factum consequi videt; seque multoties à nobis deceptam existimat, dum semper pollicemur nos ei prospecturos, nec tamen vllam eius rationem habemus. nec potest animum inducere vt legatos mittat, verita ne propter istos accusatores suos quotidianos repulsam patiatur. Forsan etiam aliquod vesanæ contentionis subest vitium. Nec mirum; quando & nostri ordinis aliquot occupauit hoc peruicax contentionum studium; & vulgato vitio nolunt aduersæ parti cedere, sed semper quocunque modo vincere, nec prius largiri beneficium, quam accepturos obnoxios sibi fecerint. Hæc sane reputans censeo legatos ad plebem mittendos, ex his quibus facillime fidem habitura sit; dandamque eis potestatem res componendi quibuscunque ipsis æquum visum fuerit conditionibus, nihil ad senatum referendo amplius. Ipsi enim id perspicient, qui nunc superbi & turgidi videntur, vbi senserint serio vos studere concordiæ; & ad æquiores condescendent conditiones; nihilque inhonestum postulabunt nec impossibile. nam irritati animi, etiam si humiles alioqui sint, superbia exasperari solent, & contra obsequiis deleniri.

L. Hæc Menenii dicta magnum consessus murmur excepit, patribus per partes capita conferentibus. nam qui plebi æquiores erant, sese inuicem cohortabantur vt omni studio vrgerent plebis in patriam reditum, quandoquidem eius consilii ducem nacti essent virum ex optimatium factione nobilissimum: contra optimatium factio, quæ nihil omnino volebat mutari de pristino statu reipublicæ cum nullum inueniret præsentaneum consilium, animum quidem mutare nolebat, nec tamen in sententia persistere poterat: integri porro & neutri factioni dediti, pacem cupiebant colere, & dispiciendum censebant quomodo præcaueri posset obsidio. Postquam autem omnes conti-

conticuerunt, ſenior conſul laudata ingenuitate Menenii, ceteros etiam ad ſimilem reipublicæ curam capeſſendam hortatus, libereq; promendum quidquid ſentirent, & impigre exſequendum quæ approbarentur, alium itidem nomine ad ſententiam dicēdam citauit, Manium Valerium, fratrem eius qui cum *Bruto & ceteris* patriam regio dominatu liberauerat, virum nemini optimatiū populari gratia ſecundum. Qui cum aſſurrexiſſet, patres primum de ſuis in republica inſtitutis commonefecit, & cum ſæpe has calamitates venturas prædixerit, verba tamen ſua nihili fuiſſe facta. Deinde rogabat paci reclamantes, vt non de moderatione iam eſſent ſolliciti; ſed quandoquidē ſeditionem non paſſi eſſent eximi ex vrbe priuſquā gliſceret, nunc ſaltē diſpicerent quomodo quātocius tolli poſſet; ne forte lōgius ſerpēs, fieret inſanabilis, aut certe curatu perdifficilis, & multis malis occaſionem præberet. plebis poſtulata nō eadem quæ ante futura eſſe, nec eaſdem cōuentionis conditiones propoſitum iri, ſolam ſcilicet debitorum remiſſionem: ſed forſan illam etiam auxilium quodpiam poſtulaturā, quo tuta permaneat in poſterum. Dictatura enim introducta in rempublicam antiquatam eſſe legem per quam libertas eius antea ſarta tecta fuerit; quæ non ſinebat ciuem indemnatum à quoquā interfici, nec plebeios à patriciis iudicio victos, *patricius* condemnandos tradi; ſed, quibus libêret, iudicium à patriciis ad populum transferre concedebat; & quod populus *de illis* ſtatuiſſet, id ratū eſſe *iubebat*. Reliquam etiam poteſtatem plebi pene in totum ademptam, quæ penes eam ſuperioribus ſeculis fuerit; quando nec triumphum bello partum à ſenatu impetrare potuerit viro eo honore digniſſimo P. Seruilio Priſco. quibus rebus commotum vulgus non immerito animis concidere, & male de ſua ſecuritate ſperare, cum nec cōſul nec dictator, qui curam plebeiorum ſuſceperant, proficere quidquam potuerint, ſed ob plebis ſtudium & curam, eandem cum plebe reportarint iniuriam & ignominiam. quæ *omnia* occultis machinis effecta non à gratioſiſſimo quoque ordinis patricii, ſed à contumelioſis quibuſdam & iniuſtorum lucrorum auidiſſimis; qui ciuibus multas pecunias ſub grandibus vſuris fœnerati, multos *oppreſſos* abduxerint in ſeruitium, & crudeliter iis ac ſuperbe dominando LI.

vniuersam plebem ab optimatibus alienauerint, & factione conflata, ascitoque sibi duce Appio Claudio, viro paucorum potentiæ studioso & plebeis infenso, illius opera subuertant totam rempublicam. quibus nisi sanior senatus pars obstiterit, periculum esse vrbi ne diruatur & in seruitutem redigatur. Postremo probari sibi dixit sententiam Menenii, & vt propere mittatur legatio. legatos vero tentare an possint arbitratu suo seditionem comprimere: quodsi plebs postulata negauerit, acceptanda esse quæ illa concesserit.

LII. *Appii Claudii oratio.*

Post hunc vocatus assurrexit Appius Claudius, aduersæ plebi factionis, vir magnifice de se ipso sentiens, nec *omnino* immerito. nam & quotidiana eius vita sobria erat ac grauis. & generosus in administrandis rebus animus, dignitatis optimatium conseruandæ studiosissimus. Is occasione arrepta ex concione Valerii, verba fecit in hunc modum: Minorem Valerius incurrisset culpam, si contentus suam dicere sententiam, diuersum sentientes non incusasset. sic enim non opus ei fuisset de suis ipsius audire vitiis. Nunc quoniam ei non fuit satis id consulere vnde nihil aliud quam pessimorum ciuium iugum reportemus, verum etiam in sibi aduersantes inuectus, etiam in me velitatus est, valde mihi quoque necesse est de his disserere, & primum effusas in me calumnias diluere. Exprobrauit enim mihi nec ciuile nec liberale studium, quod lucra consecter modis omnibus, multosque pauperes libertate spoliauerim, quodque plebeiorum secessionis non minima sim caussa. quorum nihil verum esse neque sanum, facile perspexeritis. Dic mihi Valeri, scin' aliquos à me ob debita in seruitutem actos? quos *vmquam* ciues in neruo habui, aut nunc habeo? quis è secessoribus propter meam crudelitatem aut auaritiam caret patria? certe proferes neminem. Tantum enim abest vt aliquem ob debitum in seruitutem abduxerim, vt etiam multis mea concesserim, nec vlli eorum qui me defraudarunt, nexum aut infamiam conciliauerim, sed omnes *per me* sunt liberi, omnes gratiam habent vt clientes & amici, atque in maxime necessariis censeri volunt. Nec hoc dico in accusationem eorum qui non idem fecerunt, nec si qui concesso legibus *iure* sunt vsi, iniuste fecisse arbitror, sed obiecta mihi crimina diluo. Quod autem me difficilem appella-

appellauit & malorum hominum antesignanum infensumque plebi & paucorum potentiæ studiosum, quod optimatum regimen tuear, communia hæc mihi vobiscum sunt crimina quotquot, cum sitis *ipsi* meliores, detrectatis deteriorũ imperium, & quam à maioribus accepistis rempublicã non sinitis degenerare in deterrimã omnium speciem, popularis regiminis. non enim iste optimatũ regimen, paucorum dominatum nominauerit; atq; effecerit vt res calumnioso nomine infamata aboleatur. nos multo iustius & verius exprobrauerimus ipsi sollicitationẽ populi & affectationem tyrannidis constat enim *ferme* omnes tyrannos ex plebis adulatoribus fieri; & expedita via est ad opprimendã ciuitatis libertatem quæ per fauorẽ pessimorum ciuium ducit ad potentiam; quos iste semper coluit, ac ne nunc quidem colere desinit. Scitis vos ipsi nunquã hæc ausuros fuisse viles & abiectos homines, nisi à venerando isto patriæ amatore concitatos, proposita spe non modo incolumitatis & impunitatis, verum etiam potioris conditionis quam antea. Et hæc vere à me dici, *ex ipsius verbis* potestis colligere, si recordamini, dum vos bello terreret, & pacificationem esse necessariam vellet ostendere; addidisse, non contentos fore pauperes æris alieni remissione, sed etiam postulaturos aliquod auxilium, nec imperium nostrum vt antea laturos: postremo suasisse vt præsentia boni consuleremus, & permitteremus plebi quascumque conditiones reditus, nullo honesti & inhonesti, iustique & iniusti discrimine. Tanta arrogantia repleuit vesanum vulgus vir senex & nostro fauore omnibus defunctus honoribus. Id vero te dignum erat Valeri, aliis falsa probra obiicere, cum ipse talibus sis obnoxius criminibus? Sed hæc contra istius calumnias suffecerint. Quod vero ad præsentem consultationem attinet, videtur mihi iustum LIII. & populo Romano dignum nobisque vtile, si, quemadmodum à principio dixi, & nunc quoque constanter assèuero, non confundamus bene constitutum reipublicæ statum, nec moueamus non mouendas maiorum consuetudines, nec tollamus ex hominum societate fidem, rem sacram, quæ tutas ciuitatibus præstat sedes; nec cedamus ingratæ plebi res iniustas ac nefarias concupiscenti. Tantũq; abest vt aduersariorũ metu de sententia decedam, qui con-

citatis in me vrbanæ plebis animis, terrere me conantur; vt multo magis inualescat ira mea, plebique talia postulanti duplo magis quam ante succenseam. Vestram quoque P. C. absurdam mentē demiror, qui quod ei negastis prius quam ex professo hostis fieret, æris alieni & iudicatorum remissionem petenti, nunc armatæ & hostiliter agenti cōcedere vultis, & quidquid illi præterea collibuerit. libebit autem ante omnia postulare ius æquum *gerendorum* honorum, & vt earundem rerum quarū & nos sint participes. Ergo ad plebis administrationem patiemini res recidere? quæ forma reipublicæ (vt dixi) est omnium crassissima, & vobis minime digna, qui affectatis in alios imperium. Non; si sapueritis. alias fueritis omnium amentissimi, si, dedignati vnius viri tyrannicum dominium, nunc plebis (belluæ multorum capitum) vos ipsi subieceritis tyrannidi; idque non gratiis inducti, sed necessitate adacti. quasi vero nihil nunc supersit aliud, nisi præter animi sententiam illi cedere. Quodsi *semel* insensatæ multitudini pro debita peccato pœna insuper honorari contigerit, quam arrogantem & superbam putatis fore? non est enim quod speretis eam in postulationibus moderatam futuram, si vos

LIV. omnes sic decreuisse cognouerit. Ac longe hic opinione sua fallitur Menenius, vir integer, & ex suis moribus bene de aliis æstimans. præ superbia enim, quæ victoriam comitari solet; & insipientia, cui maxime vulgus est obnoxium; vos iusto grauius premet: & si non *statim* ab initio, certe aliquanto post ob vnamquamque repulsam correptis armis eadem insolentia vobis insultabit. Itaque si prima ei *postulata* concesseritis, quod sic expedire videatur, mox accersetis vobis aliquid deterius, ac *mox* rursus aliud illo ipso molestius; quasi & prima illa terrore vobis sint expressa; donec postremo vrbe pellamini; sicut in aliis multis *ciuitatibus accidit*, & nouissime Syracusis, vbi geomori (*id est agri possessores*) à *colonis* suis clientibus pulsi sunt. Sin autem pertæsi tandem *improba* eius postulata concessuros vos negabitis, cur non ex hoc ipso tempore liberos exserere animos incipitis? præstat enim leuiori momento impulsos, antequam vllum detrimentum accipiamus, generosum animum promere, quam post multas ærumnas indignari errori præterito, & nihil tale permittere amplius,

seroque

seroq; tandem sapere. Nec est quod aut desertorum motu, aut externo bello terreamini, aut desperetis de domesticis viribus quasi ad vrbis tutelam non sufficiant. nam profugorum *istorum* vis exigua est, nec sicut nũc *æstate*, *ita* per hiemem diu sub diuo in tuguriis durare poterunt, aut rapto viuere consumptis commeatibus, ac ne aliunde quidem comparata aduehere propter inopiã; vt qui nec priuatam pecuniam habeant, nec publicam. nam bella plerumque sustentantur pecuniarum copia. Præterea cum nullus eis imperii sit ordo, & credibile sit confusionem istam secutura dissidia, breui consilia ipsorum dissipabuntur. neq; enim dignabuntur Sabinis aut Etruscis aliisve exteris in seruitutem sese dedere, quibus & ipsi olim libertatem nobiscum ademerunt: immo ne fides quidem improbis istis & fœdis patriæ desertoribus habebitur; *sed metuetur* ne idem facturi sint his à quibus recepti fuerint. reguntur autem & finitimæ gentes ab optimatibus, nec apud vllam earum plebi æquum cum proceribus ius conceditur. haudquaquam ciuitatum illarum primores, cum ne suam quidem plebem mouere quidpiam sinant, externam istam & seditiosam turbam in suas recipient patrias; ac ni æquum illis ius impertiant, ipsi se tandem æquo iure priuari patientur. At si me fallat opinio, & excipiantur ab aliquo populo, ibi tandem hostes esse pernoscentur, & vt hostes tractabuntur. Habemus etiam obsides eorum vxores & parentes ceteramq; cognationem. quo quid potius à Diis optauerimus? hos in conspectu cognatorũ trucidabimus, si nos aggredi ausi fuerint; velut extremis *eos* enecaturi cruciatibus. Qui si audirent *vos* hoc *velle facere*, credite mihi mox venirent supplices, & cum lacrymis inermes se vobis dederent quibuscumque conditionibus. vehementes enim sunt necessitates huiusmodi, & validæ ad quamlibet contumaciam frangendam atque in nihilum redigendam. Iam *satis* dictum *puto* cur ex istis profugis bellum timendum non putem. Externos vero terrores non nunc primum comperimus intra minas consistere, aut siquid *vlterius* hostis in nos audeat, res verbis non respondere. Quod autem aliqui verentur ne nobis domesticæ vires non sufficiant, & ideo maxime bellum timent, sciant se non satis illas persensisse. certe quos desertoribus opponamus habe- LV.

bimus, si delectu ex seruitiis habito, valentissimum quem-
que libertate donare voluerimus. satius enim est hos liber-
tate donare, quam imperio ab illis exui. sunt satis periti rei
militaris; vt qui toties interfuere nostris expeditionibus.
ceterum externo hosti nos ipsi quanta possumus alacrita-
te occurremus, assumptis omnibus clientelis, & reliqua
plebe *quæ manet in officio.* quam vt alacriorem reddamus
ad subeunda pericula, æris alieni remissionem eis largie-
mur, non in commune, sed viritim. nam si tempori ceden-
dum, & moderatio adhibenda est, non erga inimicos ciues
ea vtendum est, sed erga amicos; quibus non coacti sed
persuasi gratificari videbimur. Quodsi his copiis non suf-
ficientibus aliunde indigebimus auxilio, è castellis præsi-
diarios euocabimus, & in colonias dimissos reuocabimus.
quorum quanta multitudo sit, è proximo censu licet co-
gnoscere. censa sunt Romanorum ciuium qui puberta-
tem attigerint, centum triginta milia. quorũ ne septimam
quidem partem æquarit profugorum numerus. *Quid* di-
cam Latinorum triginta populos, quibus propter cogna-
tionem nihil optabilius possit contingere quam vt pugnẽt
pro nobis; si modo decernatur eis æquum ciuitatis ius,
LVI. quod petere non desinunt. Finem faciam si vnum adhuc
addidero; quod, quamuis in bello maximi sit momenti,
nec vos animaduertistis hactenus, nec consultorum quis-
quam monuit. Nulla re ad victoriam æque opus est ac bo-
nis ducibus. his nos abundamus; apud aduersarios rari *aut
nulli* sunt. Numerosa porro turba, si imperitos duces ha-
beat, nihil agit vt decet, sed sua se labefacit multitudine;
tantoque magis conflictatur, quanto maioribus augetur
copiis. boni vero imperatores, etiamsi paruas accepe-
rint copias, breui eas adaugent. proinde quantisper ido-
neos ductores habuerimus, non deerunt qui eorum du-
ctum sequi velint. Hæc igitur cogitantes, & gestorum
populi Romani memores, nihil humile, ignobile, & vo-
bis ipsis indignum decreueritis. Rogare posset *vestrum*
aliquis: Quid igitur nobis faciendum censes? hoc enim
forte iamdudum audire cupitis. Nullam ad desertores
legationem mittendam, nec æs alienum remitten-
dum, nec faciendum aliud quidquam quod vllam ti-
moris ac trepidationis speciem præ se ferat. Quodsi po-
sitis

stitis armis in vrbem reuersi vobis potestatem de se per otium deliberandi fecerint, moderate de eis statuendum: quando scitis omnes stultos, præsertim vulgus, in humiles superbire, erga superbos se demisse gerere. Vbi Claudius desiit, vociferationes & ingens strepitus in senatu diu fuit. LVII.
nam qui optimatium factionis videbantur, nec iusta iniustis postponenda iudicabant, Claudio assentiebantur, hortabanturque *ambos* consules vt meliori parti accederent, memores regiam se potestatem habere, non plebeiam: sin minus, saltem æquos se præberent vtrique factioni, nec alteram supprimerent, donec dinumeratis sententiis appareret maior numerus. Quodsi neutrum horum facere volentes ad se arbitrium rerum traherent, negabant se id permissuros, sed pro viribus restituros; verbis, donec liceret; & armis, si opus foret. erat autem is globus validus, & pene tota patriciorum iuuentus huic adhærebat consilio. Pacis studiosis sententia Menenii Valeriique magis placebat, præcipue senioribus, reputantibus quantæ calamitates solerent ciuilia bella consequi. sed superante clamore atque immodestia iuuenum, contentionem eorum veriti & contumaciam erga consules, ne forte, nisi eis cederetur, non vlterius temperarent manibus, tandem ad preces & lacrymas versi, obtestabantur aduersarios. Sedato tumultu, factoque tandem silentio, Consules prius inter se collocuti, tandem sic suam protulere sententiam. Nos P. C. inprimis vellemus vt omnes consentiretis, cum alias, tum maxime quoties de publica salute incidit consultatio: sin minus, *saltem* senioribus vestrum cedere iuniores, & non contendere; cogitantes sibi quoque, vbi ad id ætatis ventum fuerit, eundem honorem habendum à natu minoribus. Sed quoniam videmus vos LVIII.
ad rixam prolapsos, nocentissimũ inter homines morbũ; & iunioribus vestrum multum inesse arrogantiæ, nunc, quia parũ diei superest, nec consultationi tam cito finis imponi potest, abite, & proximo senatu cum melioribus mẽtibus & maiori modestia redite. Quodsi à contentionibus non destiteritis, iuuenibus posthac nec iudicibus vtemur nec consultoribus, sed in posterum illorum immodestiam lege coercebimus, præscripto annorum numero, quem senatores habere oporteat: seniores vero si denuo rogati

ſententiis diſcreparint, contentionem eorum dirimemus ratione compendiaria, quam vos nunc audire operæpretium ducimus. Scitis ſane legem nobis eſſe iam inde ab vrbe condita, quæ omnia in ſenatus poteſtate ponit, præter magiſtratuum creationem, legum lationem, & belli inferendi deponendique arbitrium. horum trium poteſtatem eſſe penes populi ſuffragia. Nunc non de alio conſultatur, quam de bello & pace. Quare neceſſe eſt vt permiſſis populo calculis, noſtræ ab illo ſententiæ confirmentur. Itaque indictis ex hac lege comitiis, ſententias à vobis dictas committemus populi ſuffragiis; quod hac potiſſimum ratione veſtra contentio tolli poſſe videatur: & quod plurium calculis probatum fuerit, id ratum habebimus. Digni ſane ſunt hoc honore qui permanſerunt in fide reipublicæ, nobiſcum bonorum malorumque futuri participes. His dictis ſenatum dimiſerunt. Sequentibus dehinc

LIX. diebus cum per nuntios iuſſiſſent omnem ex agris & caſtellis multitudinem præſto eſſe, ſenatumque in eandem diem indixiſſent, poſtquam cognouere vrbem plenam eſſe turbis *aduentitiis*, patriciosque à ſeceſſorum parentibus & paruulis liberis partim precibus, partim fletu & lamentis victos eſſe, ad præſtitutam diem progreſſi ſunt in forum, quod iam ſummo mane omnis generis vulgo *differtum &* coarctatum erat: & pro æde Vulcani, vbi concionari mos erat primum laudauerunt plebem quod tanto ſtudio tantaque frequentia conueniſſet; deinde rogauerunt vt quieti exſpectarent donec ſenatuſconſultum fieret. domeſticos autem ſeceſſorum bono animo eſſe iuſſerunt; recepturos breui affectus ſuos cariſſimos. tum ingreſſi curiam & ipſi leniter ac modeſte locuti ſunt, & ceteros orauerunt vt benignas atque humanas proferrent ſententias: primumque rogauerunt Menenium. Is cum aſſurrexiſſet, eadem dixit quæ antea, hortans ſenatum ad reconciliationem, eandem quoque ſententiam, propere mittendos ad profugam plebem legatos cum plena pacificandi poteſtate. Poſt hunc ceteri conſulares ſecundum ætatis ordinem rogati, omnes accedebant Menenii ſententiæ, donec veniretur ad Appium. qui ſurgens, Video, inquit, P. C. & conſulibus & vobis ferme omnibus placere plebem reduci quibus ipſi libet conditionibus: meque ex omnibus qui *ante* reclamabant,

clamabant, solum superesse, & illis iam exosum, nec vobis amplius vtilem. non tamen propterea desistam à pristino proposito, nec reipublicæ caussam volens deseram. & quo magis nunc à ceteris meæ sententiæ fautoribus destituar, eo maiore in pretio aliquando apud vos ero; & viuus laudem, defunctus memoriam merebor apud posteros. Faxis Capitoline Iupiter & Dii vrbis huius præsides, semonesq; & genii quotquot Romanum territorium aspicitis, vt bono commodoque reipublicæ profugi redeant, & ego fallar opinione quam de futuro concepi. quodsi quid mali propter ista consilia ciuitati acciderit, id quod breui apparebit, vos celerem opem tutamque salutem rebus labantibus attuleritis: mihi vero qui nec alias vnquam iucunda malui quam vtilia dicere, nec nunc prodo rempublicam meæ securitati consulens, benigni eritis ac propitii. Hæc sunt vota mea: verbis enim non opus est amplius. ceterum sententiam eandem *nunc* dico quam ante; plebeios qui in vrbe permanserunt, liberandos esse debitis: cum desertoribus vero bellum tota virium contentione gerendum, quamdiu in armis perstiterint. His dictis obticuit.

Porro cum seniores Menenii sententiam approbassent, vbi ad iuniores *secundum ordinem* rogandi ventum est, omnibus patribus exspectatione arrectis, surrexit Spurius Nautius familia natus clarissima. nam auctor eius generis, vnus ex Æneæ in deducenda colonia sociis fuerat; qui Mineruæ Vrbicæ *apud Ilienses* sacerdos, Palladium in emigratione secum transtulerat; cuius custodia *postea* mansit penes successionem gentis Nautiæ. is etiam suis virtutibus inter iuniores conspicuus, videbatur breui consulatum assecuturus: *& tunc* exorsus à communi defensione iuuenum, negauit eos per contendendi studium aut arrogantiam dissensisse à maioribus natu, cum diuersam superiore senatu tuerentur sententiam; sed *siquid* in dicenda sententia deliquerint, per ætatem lapsos esse: ac tandem ait se fidem suis verbis facturum mutatione *sententiæ*. Itaque permittere se eis, vt prudentioribus, decernant quidquid videatur è republica: se nihil cōtradicturos, sed obsecuturos senioribus. Similia deinde ceteris iuuenibus promittentibus, præter paucos propinqua cognatione iunctos Appio, cōsules laudata illorum modestia, iussisque vt semper in publicis consi- L X.

Legati ex S. C. ad secessores missi.

liis ita se gererent, decem legatos elegerunt nobilissimos seniorum, omnes vno excepto consulares. fuerunt autem hi: Titus Largius Flauus, Agrippa Menenius, Caii filius, Manius Valerius Marci filius, Publius Seruilius Publii filius, Publius Postumius Quinti filius, Tubertus, Titus Æbutius Titi filius Flauus, Seruius Sulpicius Publii filius, Camerinus, Aulus Postumius Publii filius Albus, Aulus Virginius Auli filius Cælimontanus, & Spurius Nautius. Dimisso deinde senatu Consules in comitium progressi S. C. legerunt, & legatos produxerunt. Omnibus vero cupientibus mandata eis data cognoscere, aperte responderunt: Vt plebem quocumque modo patriciis reconcilient, sine dolo malo; profugosque in sua primo quoque tempore reducant.

LXI. Cum his mandatis legati eadem die profecti sunt, præuenit tamen eorum aduentum fama omnium quæ in vrbe acta fuerant: moxque totis castris effusa plebs legatis iuit obuiam. Sederat in castris vir quidam admodum turbulentus & seditiosus, qui & mentis acumine futura longe ante præuidere, & (vt erat loquax ac blandus) animi sensa satis feliciter proferre poterat; nomine L. Iunius; quod illi commune erat cum regum expulsore: cognomen Bruti vsurpauit ipse, vt expleret appellationis similitudinem. quæ affectatio plerisque fuit ridiculo; vt per iocum Brutus vocitaretur. Hic cum præfectum castrorum Sicinium docuisset, cõsultius esse plebi si se postulatis præberet difficilem, ne flagitatis exiguis, probrosiorem cõsequeretur reditum; sique aliquantisper aduersaretur, & tragicam rebus laruam affingeret: pollicitus se acturum caussam plebis, commonstratoque quid dicendum esset ac faciendum, persuasit homini. Mox plebe in concionem aduocata, Sicinius legatos aduentus sui causam iussit exponere. Tum progressus Manius Valerius, legatorum maximus natu & popularis maxime, (quod eius erga se studium plebs faustis acclamationibus atque appellationibus testabatur) dato silentio, verba fecit in hunc modum:

Valerii legati oratio.

LXII. Nihil amplius vetat vos Quirites reuerti ad vestra, & in gratiam redire cum patribus. Decreuit enim vobis senatus honestum atque vtilem reditum, cum omnium præteritarum offensarum obliuione: nosque, quos nouit esse vestri amantissimos, & à vobis vi-

vicissim merito honorari, legatos misit cum libera potestate componendi huius negotii: ne nobis opus sit coniecturis vti de vestris voluntatibus, sed audita ex vobis *postulatione*, quibus legibus cupiatis finiri discordiam, si vestra postulata modesta sint & possibilia, & salua Romani nominis dignitate concedi queant, impetretis à nobis, non exspectata senatus deliberatione amplius, non procrastinando nec alendo vlterius inuidiam hostium. Quæ cum senatus decreuerit, libenti animo promptoque studio beneficium illud accipite Quirites, & gratiam istam in magna felicitate ponite: magnasque Diis eo nomine gratias agite, quod populus Romanus, cuius tam late patet imperium; & senatus, qui primas in reipublicæ moderatione obtinet, non soliti aduersariis quidquam cedere, de sua dignitate remittant, seque vobis solis vltro submittant, nec, vt potiores apud inferiores, exacte rimari voluerint, quod sit vtriusque partis officium, sed ipsi priores de pacificatione legatos miserint; ne superbo quidem responso quod proxime legationi dedistis offensi, sed condonantes vobis puerilem istum fastum & contumaciam, non aliter quam indulgentes parentes pueris nondum *per ætatem* recte sapientibus; decreta rursum noua legatione, parati nonnihil de iure suo decedere, & omnes conditiones æquas admittere. Tantam ergo felicitatem nacti ne cunctemini indicare quanam re opus habeatis ciues; & nolite nobis illudere. Missam facite seditionem, ite læti in vrbem quæ vos genuit & aluit, cui malam educationis gratiam redditis, desolatæ quantum ad vos attinet, & relictæ pecorum pascuis. Quodsi hanc occasionem amiseritis, *frustra* sæpe aliam optaueritis similem.

Cum finem *dicendi* fecisset Valerius, progressus *in medium* Sicinius ait, non ex vna oratione quid in rem sit æstimare consultos homines, sed expendere etiam contrariæ orationis momenta, præsertim vbi de tantis rebus disquiritur. simulque iubebat vt responderet qui vellet, pudore atque timore posito. res enim ipsis tāta necessitate circumuentis pudorem & cunctationem non permittere. Silentio deinde facto cùm alius in alium oculos iactantes, requirerent aliquē qui pro vniuersis diceret, nemo exsistebat, Sicinio sæpius eadē verba repetente. Tandē, vt erat pollicitus, LXIII.

L. Iunii Bruti responsio. prodiit Lucius Iunius, qui Brutus cognominari volebat, datisque crebris à multitudine signis, talem concionem habuit: Metus patriciorum, qui animis vestris insedit, Quirites, nunc quoque vos attonitos habere videtur: eoque deiecti non audetis in medium proferre quæ *quotidianis* sermonibus inter vos iactatis. ac fortasse quisque vestrum putat proximum pro cunctis locuturum; & siquid sit periculi, fore vt omnes facilius sustineant, ipseque *interim* in tuto positus, secure pro parte sua fruatur bonis aliena audacia conquisitis: iniquo sane consilio. Si enim is omnibus esset animus, singulorum timiditas vnâ omnes læderet: & dum vnusquisque suæ securitati prospicit, periret respublica. Ergo si antea nesciebatis finem adesse vestro timori, vosque vna cum armis libertatem tenere firmiter, nunc saltem discite his vos docentibus. Superbi enim & imperiosi homines non iam vt antea cum iussis & minis ad nos veniunt, sed rogant & inuitant vt redeamus ad propria, & vt pari libertate præditos alloqui incipiunt. Cur igitur etiamnunc metu attoniti siletis? quin mentem liberam sumitis, & frenis abruptis, quas ab eis acceperitis iniurias, profertis coram omnibus? o miseri, quid timetis? me libere loquendi ducem sequimini. vestrum enim ius apud eos persequar ore libero, nullo respectu periculi, nihilque dissimulās. & quoniam Valerius negat quidquam vetare quin redeatis ad propria, postquam senatus concessit reditum, decretumque addidit de abolenda omnium offensarum memoria: respondebo quod veritas dictat & necessitas postulat.

LXIV. Nos, Valeri, cum aliæ multæ caussæ vetant positis armis vestræ fidei nosipsos committere, tum potissimæ atque apertissimæ tres. Primum, quia nos accusatis quasi peccauerimus, & pro beneficio imputatis concessionem reditus. deinde quia inuitatis ad pacem, nec indicatis quam æquis aut humanis conditionibus. postremo quia toties à vobis decepti & elusi, nihil certi nobis de vestris pollicitis promittere possumus. Dicam seorsim de singulis, & à iure incipiam; cuius in omnibus vel priuatis vel publicis disceptationibus prima debet esse ratio. Ergo si nos vobis iniuriam fecimus, nihil opus habemus nec impunitate nec offensarũ obliuione. imo ne ciuitatis quidem consortium desideramus amplius; sed commanebimus quocumque nos fata duxe-

duxerint fortunam Deosque duces secutos. Quodsi vestris iniuriis exagitati, compulsi sumus hanc fortunam experiri, cur non agnitis vestris in nos malefactis, vobis *potius* venia & offensarum obliuione opus esse fatemini? Nunc vero quam petitis, eam vos dare fingitis: & iram quam vobis remitti cupitis, eam vos remittere iactatis; confundentes veritatis naturam, & iuris rationem inuertentes. Quod autem iniuria non afficiamini, sed afficiatis; quodque plebi pro multis ac magnis beneficiis, tum in tuenda libertate, tũ in asserendo imperio, malam retuleritis gratiam, audite. loquar quæ ipsi scitis: & siquid mentiar, sine mora me arguite obsecro.

LXV. Nostra respublica olim vnius imperio paruit; durauitq; is status ferme septem ętatibus: totoque illius imperii tempore nihil detrimenti plebs accepit à regibus, præsertim nouissimis: vt interim taceam multa & magna commoda quæ ex illorum principatu percepit. nam præter alia blandimenta, quibus eam sibi amicam, vobis infensam studebant reddere, (quod faciunt omnes qui legitimam potestatem in tyrannicam vertere cupiũt) cum Suessam vrbem florentissimam longo bello expugnassent, potuissentque prædam, nemine in partem eius admisso, retinere sibi, & regum fieri ditissimi, noluerunt, malentes eam cedere vulgo militum; ita vt nobis præter mancipia & pecora, opesque ceteras multas & luculentas, viritim quinque minæ argenti tribuerentur. Quibus nos neglectis, quod potestatem tyrannice exercerent, non in plebem, sed in vos; facta eorum pertæsi, à beneuolis regibus desciuimus, vestrasque partes secuti sumus: & vna vobiscum in eos tam in vrbe quam in castris coorti, illis expulsis, vobis principatum eorum detulimus. cumque sæpius licuisset nobis transire ad exsules magnis largitionibus nos sollicitantes, non sustinuimus id facere, ne vestram fidem desereremus: sed multa magna & continua bellorum pericula propter vos exantlauimus; quibus iã decimumseptimum annum atterimur, pro communi libertate pugnantes cum omnibus hominibus. vix dum enim constituta republica (vt fieri solet post repentinas mutationes) duobus nobilissimis Etruscorum populis, Tarquiniensibus & Veientibus, cum magno exercitu reges reducẽtibus obuiam profecti, pauci cum mul-

tis dimicauimus; & alacritate maxima deuictis pulsisq; hostibus, superstiti consuli principatum conseruauimus. nec ita multo post, cum & Porsena rex Etruriæ, tum suis copiis ex vniuersa Etruria conscriptis, tum profugorum regum auxiliis longo tempore collectis, reducere expulsos vellet, ac nos, qui pares illis non essemus, obsidione, inopia, variisque angustiis premeremur, tandem inuicta malorum istorum tolerantia coegimus regem *ex hoste* amicum factum discedere. Tertio dein & vltimo regibus reditum molientibus, ascitis sibi triginta Latini nominis ciuitatibus, vos supplices opem nostram implorantes, &, vt in quemque incideretis, sodalitates communemque vel educationem vel militiam commemorantes deserere non sustinuimus: ratique nihil honestius aut magnificentius quam pro vobis pugnare, iecimus periculosam aleã; & cum hoste congressi multis acceptis vulnerib. desideratis multis cognatis amicisque ac contubernalibus, vicimus, cæsisque ducibus extinximus totum genus regium.

LXVI. Hæc sunt quæ vobis pro libertate contra tyrannos pugnantibus præstitimus, maiore quam pro viribus alacritate, idque non magis necessitate coacti, quam virtutis *ostentandæ* ardore *inducti*. Nunc quam egregiam operam nauauerimus honorem & imperium asserentibus, maioremque existimationem ac potentiam quærentibus, audite, & siquid à veritate discessero, quemadmodum à principio dixi, reclamate. Postquam in tuto visa est libertas, non hac contenti, ausi estis res nouas moliri, habentes pro hostibus quicumque liberi esse cuperent, & bellum pene omnibus hominibus intentantes, rati ad hęc pericula & cupiditatum vestrarum propugnationem abutendum nostris corporibus. *ex eo tempore* quoties singulas binasue ciuitates pro libertate vobiscum decertantes, partim acie victas, partim expugnatas, sub imperium coegerimus, taceo. quorsum enim attinet minutatim recensere gesta, quæ tantam verborum præbent materiam? *malo vti compendio.* Vniuersam Etruriam in duodecim diuisam ducatus, terra marique præpotentem, quis vobiscum edomuit, vestroque subiecit imperio? Sabini isti, gens tanta, tamque pertinax imperii æmula, ne amplius de ęquo iure vobiscum contendat, quorumnam ope factum est? Quid? triginta Latini nominis populos

populos, non potentia solum elatos, verumetiam potiora iura iactitantes, quis perdomuit, effecitque vt deditione facta deprecarentur direptiones & dirutiones suarũ vrbium?

Omitto alia quæ nõdum à vobis dissidentes, & ipsi quoque nonnihil commodorum ex imperio sperantes, vna vobiscum pericula subiuimus. Ceterum posteaquam aperte iam tyrannicam dominationem vsurpantes, deprehensi estis nostra velut mancipiorum abuti opera, & nostros animos à vobis alienastis, desciscentibus interim subditis pene omnibus, initio defectionis à Volscis orto, ac mox eorum exemplum secutis Æquis, Hernicis, Sabinis, multisque aliis: cum potuissent, si per nos licuisset, alterutrum facere, aut excutere vestrum imperium, aut in posterum moderatius reddere: meministisne in quãtam desperationem de imperio veneritis; & quam solliciti fueritis ne vel deseremus vos in istis bellis, vel iræ indulgentes ad hostes transiremus; tum quam multas preces ac pollicitationes effuderitis? Quid igitur nos humiles vestrisque oppressi iniuriis tunc fecimus, victi precibus & inducti pollicitis quę Seruilius hic, vir optimus, eo tempore consul, plebi obtulit? obliti præteritarum iniuriarum, in futurum sperantes melius nos vobis præbuimus; debellatisque breui tempore cunctis hostibus, cum multis captiuis rediimus prædaque egregia. Pro ea opera quam nobis reddidistis gratiam? iustam scilicet dignamque talibus periculis. imo nihil minus: quin etiam nos frustrati estis omnibus quæ consulem iusseratis reipublicæ nomine promittere. ipsumque hunc virum optimum, quo abusi fueratis ad imposturam faciendam, priuastis triumpho, quem magis quam vllus hominũ meruerat: hacque ignominia non ob aliud eum mulctastis, nisi quia postulabat vt pollicita ex æquo & bono præstaretis, nec dissimulabat se fucum *suo nomine* factum ęgre ferre. LXVII.

Nuper autem (hoc enim adhuc addam, & caput de iure finiam) cum in vos Æqui, Sabini, Volsci, de communi sententia & ipsi cõsurrexissent, & ceteros cõcitassent, nonne ad nos coacti estis refugere, venerãdi & graues viri ad humile & vile vulgus, nihil non pollicentes præsentis salutis gratia? & ne nos rursum, vt sæpe ante, decipere velle videremini, prætexuistis fraudi hunc Manium Valerium, virum plebi gratissimum: cuius fide inducti, quasi nullo modo a dictatore, præsertim erga nos benigno, decipiendi, LXVIII.

focii vobis & huius belli fuimus, hostemq; multis magnisque ac luculentis prœliis vicimus. cumque spe citius debellatum fuisset egregie, tantum abfuit vt *eo nomine* lætaremini & debitam plebi gratiam redderetis, vt nos inuitos in armis & sub signis diutius retinere volueritis, quo promissa possetis euitare, sicut decreueratis à principio. Dictatore vero elusionem istam & rei turpitudinem indignante, relatisque in vrbem signis milites ad sua dimittente, vos arrepta fallendi occasione, & ipsum affecistis iniuria, nec nobis quidquam è pactis præstitistis; sed vno eodemque facto tria grauissima delicta commisistis. nam & senatus maiestatem diminuistis, & viri istius fidem violastis, & benefactores laborum præmio fraudastis. Hæc aliaque huiusmodi multa cum possemus vobis patriciis obiicere, non dignabamur vobis fieri supplices, nec velut post graue aliquod delictum, impunitatis & obliuionis iniuriarum conditionibus reditum impetrare. Non tamen hæc accuratius nunc excutienda iudicamus, quando de concordia acturi conuenimus, sed obliuioni tradenda potius.

LXIX. Quin igitur aperte dicitis, qua de caussa *huc* legati veneritis, quidve *ipsi* petatis? quanam spe vultis nos vrbem repetere? quam fortunam sequi? quo gaudio, quibus excipiendos gratulationibus? nihil enim humanitatis aut benignitatis nobis offerri hactenus audiuimus, non honores, non magistratus, non leuamen inopiæ, non aliud quidquam. quamquam non quid facturi sitis, sed quid feceritis, dicere oportebat: vt consideratis aliquibus beneuoli animi factis, cetera quoque talia futura possemus coniicere. Respondebunt, opinor, venire se cum libera totius negotii potestate, ac ratum fore quidquid inter nos conuenerit. Sit ita; & fiat quod est consequens; nihil contradico. Sed cupio ex ipsis discere, quid sit futurum postea. vbi nos conditiones proposuerimus quibus recipi velimus in vrbem, easque impetrauerimus, quis erit sponsor pacta non fore irrita? quis erit fideiussor, positis armis tuto nos posse in horum potestatem concedere? vtrum credemus futuro senatusconsulto? nam nondum vllum super hoc negotio factum est. & quid vetabit id rursus antiquari decretis aliis, quando Appio & eius factioni visum fuerit? an dignitati legatorum suam fidem interponentium? atqui per hos & antea nos decepe-

deceperunt. an Diis teſtibus, iureiurando firmata fide? at hæc mihi magis quam humana ſuſpecta eſt, quando eam à poteſtatibus contemni video. & ſocietates quæ inter imperandi auidos & inter libertatis tenaces non ſponte coeunt, ſæpe iam didici tantiſper durare, quamdiu eas continet neceſſitas. Quænam igitur hic intercedet amicitia & fides, vbi coacti, non ex animo, alteri colemus alteros, vtriſque ſuas temporum opportunitates obſeruantibus? Suſpiciones vtique ac mutuæ calumniæ numquam aberunt, nec odium atque inuidia, ceteraque malorum genera, vtriſque alteros dolo præuenire contendentibus, & in mora periculum intelligentibus.

Nihil autem eſt omnium confeſſione ciuili bello peius, in quo victos ſequitur miſeria, victores impietas, & alteri à cariſſimis perimuntur, alteri perdunt cariſſimos. Ad tales fortunas & calamitates abominandas nec vos vocate patricii, nec nos plebeii obſequamur vocantibus, ſed quando nos fortuna diuiſit, contenti ſimus eius beneficio. habeant ſibi vrbem totam, & ſine nobis ea ceteriſque bonis omnibus fruantur ſoli, humili & ingloria plebe è patria expulſa. eamus & nos quocunque fortuna duxerit, exiſtimantes nos alienum locum, non vrbem noſtram deſerere: quando noſtrum nemo illic relinquit agellum aut patrium domicilium, aut ſacra cõmunia, aut dignitatem velut in patria, vt inuiti retineamur eorũ deſiderio: immo ne libertas quidẽ ſupereſt armis parta & laboribus. omnia vel bellum peſſumdedit, vel quotidiana abſumpſit inopia, & *ſiquid relictum eſt*, ceſſit ſuperbis illis fœneratoribus. ad vltimũ *eo miſeria ventum eſt, vt* noſtros agros illis cogamur colere, fodiendo, plantando, arando, pecora paſcendo, noſtrorum mancipiorum conſerui, pars catenis nexi pars pedicis, nonnulli (velut truculentiſſimæ beſtiæ) boiis, aut maſſis orbicularibus. taceo tormenta & contumelias, flagraque & labores è nocte in noctem, ceteramque violentiæ crudelitatem & iniurioſam ſuperbiam, quam ſuſtinuimus. Tot ergo tantisque malis Dei beneficio liberati, læto animo & quanta quiſque virium contentione poſſumus, fugiamus, fortuna & Deo duce, qui nos *e periculis* ſeruant, habituri libertatem pro patria, virtutem pro *domeſticis* facultatibus. quæuis enim terra nos in conſortium recipiet hoſpitibus

LXX.

nec molestos futuros, nec inutiles.

LXXI. Exemplo nobis sint multi Græci, plurimi barbari: præcipue vero horum simul & nostri auctores generis, quorum pars Æneæ ductu in Europam profecti ex Asia, vrbem in Latio condiderunt; pars aliquanto post ex Alba secuti Romulum, coloniam deduxerunt in loca quæ nunc relinquimus. suntque nobis vires non solum paulo, sed etiam triplo quam illis maiores, & caussa migrandi iustior. illi enim ex Ilio emigrarunt, pulsi ab hostibus: nos vero hinc à ciuibus. minus autem miserabile ab alienis pelli quam à domesticis. Tum qui secuti sunt auspicia Romuli, meliorem terram consectati, despexerunt patriam: nos autem qui hactenus sine vrbe ac lare viximus, nec Diis inuisam, nec hominibus molestam, nec terrę cuiquam grauem deducimus coloniam: non cruore nec intestinis cædibus conflictati cum expulsoribus, nec igni ferroque vastata terra quam deserimus, nec vllo alio sempiternæ inimicitiæ monumento relicto; (vt facere solent nationes quæ contra fœderis leges violatæ, & ad duras necessitates redactæ fuerint) sed Deos geniosque testati, qui iuste moderantur res mortalium, illisque committentes vindictam. Illud vnum postulamus qui habemus in vrbe paruos liberos & parentes, & siquæ nobis vxores fortunæ comites esse voluerint, vt illorum corpora nobis recipere liceat. hoc nobis sufficit, nec aliud quidquam petimus è patria. Sed valete felices, & viuite vt libet; quando tam inciuilibus animis humiliores à communione excluditis.

LXXII. Sic Brutus dixit: visusque est tum de iure tum de senatus superbia vera dixisse; præsertim cum pactorum fidem plenam doli ac fraudis fuisse argueret. Ad vltimam autem iniuriarum commemorationem quas à fœneratoribus pertulerant, renouata singulis miseriarum suarum memoria, nemo erat animo tam rigido vt contineret lacrymas, aut abstineret à lamentationibus. idque non plebeiis tantum accidit, sed iis etiam qui à senatu venerant. nam nec legati temperare à lacrymis poterant, cogitantes quæ vrbis distractionem consequerentur miseriæ: diuque mæsti & lacrymantes stabant, & quidnam *ad hæc* dicerent dubitabant. Vt vero sedatis lamentis silentium concioni redditum, prodiit ad respondendum is qui ceteros ciues ætate ac dignitate

gnitate videbatur antecedere, Titus Largius bis cōſul, qui dictaturæ ſumma cum laude geſtæ plurimum ſacræ cuiuſdam ac venerandæ maieſtatis addiderat, cum ea poteſtas alias inuidioſa ſit. aggreſſusq; de iure diſſerere, & nunc fœneratores incuſans, qui ſe tam crudeles & immanes geſſiſſent; nunc inopes taxans, qui iniqua poſtularent, ærisque alieni remiſſionem vi extorquere quā gratia obtinere mallent, & immerito ſenatui, à quo nihil æquum impetrarent, iraſcerentur, potius quam his qui in culpa eſſent: conansq; oſtendere minimam plebis partem cōtra voluntatem peccare, coactamque longa inopia remiſſionem petere, ſed pleroſque luxui & laſciuiæ deditos pro libidine velle viuere, ac per rapinas cupiditatibus ſuis de alieno ſatisfacere: diſcernendoſq; cenſens improbos à miſerabilibus, & odio dignos à benignitate indigentibus: aliaque in hanc ſententiam locutus, vera quidem, ceterum non perinde grata cūctis auditoribus, nihil proficiebat, obmurmurante ad ſingula multitudine, aliis indignantibus refricari dolorem, aliis aperte vera eum dicere fatentibus. ſed hi longe pauciores erant alteris, vt obſcurarentur in turba, prępollente clamore indignantium. Cumque præterea Largius adiecisset pauca in temeritatem eorum & rebellionem: excipiens eius verba dux plebeiorum Sicinius, magis etiam exaſperabat eorum animos, dicens eos vel ex his verbis poſſe diſcere, qui honores, quæ gratiæ reuerſos in patriam maneant. Quibus enim nunc in ipſo periculorum feruore plebis opem ſollicitantibus nulla humanitatis ac modeſtiæ verba in mentem veniunt, quales induent animos ſi res ex voto ſucceſſerint, & quos nunc contumelioſis verbis lacerant, poteſtati ſuæ habuerint obnoxios? à qua inſolentia temperabunt, quibus tormentis, quibus immanitatibus tyrannicis? Si vobis placet ſeruitutem ſeruire toto vitæ tempore, & vinculis, verberibus, igni, ferro, fame, ceteriſque cruciatibus enecari, quid cūctamini proiectis armis & manibus *poſt terga* reflexis *in vrbem* eos ſequi? quodſi libertatis aliquo tangimini deſiderio, nolite eos ferre *amplius*. Et vos legati aut dicite quibus nos conditionibus reuocetis; aut ſi hoc non vultis, è concione diſcedite non enim vos audierimus poſtea. Finita oratione, admurmurauit tota multitudo, verba eius vt præſentaneum conſilium approbans.

T. Largii oratio.

LXXIII.

Sicinii reſponſio.

LXXV. Orto dein silentio, Agrippa Menenius, qui in senatu quoque pro plebe verba fecerat, & vt legatio cum plena potestate mitteretur, præcipuus auctor fuerat, significauit se quoque velle dicere. Id vero pergratum fuit plebi, sperans se nunc demum veraces conditiones & rationes vtrique parti salutares audituram. ac primum magno murmure acclamatum est vt diceret: mox tantum silentium tota concio præbuit, vt locus is nihil differret à solitudine. Ille post cetera ad persuadendum quam fieri poterat appositissima, & ad auditorum sensus *velut* collineantia, postremo concionem clausisse dicitur fabula ad Æsopearum formulam conficta: quæ, quoniam ad rem præsentem accommodatissima, visa est maxime flexisse plebem, celebrata omnibus priscis historiis. Locutus est autem in hanc sententiam.

Agrippæ Menenii oratio. Nos à senatu missi sumus ad vos Quirites, nec pro illo responsuri, nec vos accusaturi: (hæc enim nec tempus habere, nec quidquam ad præsentem reipublicæ fortunam cõferre visa sunt) sed modis omnibus daturi operã vt compositis dissidiis in pristinũ ordinem restituatur respublica. Cumque in hoc potestatem acceperimus liberam, non opus videtur de iure disserere; quod prolixa oratione fecit Iunius. Quibus vero conditionibus dissidium humane possit dirimi, & qua fide pacta nostra confirmari, de his quid ipsi censeamus audite. Nos animaduertentes quamlibet seditionem in quauis ciuitate recte curari, si tollantur eius caussæ, necessarium duximus præcipuas huius dissidii caussas cognoscere atque abolere. compertoque quod inclementes æris alieni exactiones præsentium malorum caussa fuerint: sic eas corrigimus. Qui soluendo non sunt, iis omnibus æs alienum remitti æquum censemus. Et si quorum corpora, quod præstitutum *solutionis* diem excesserint, ex lege iam tenentur, hæc quoque placet esse libera. Si qui etiam per iudices addicti sunt creditoribus, & hos liberos esse volumus, eorumque condemnationes irritas facimus. Et de præteritis quidem contractibus, propter quos hæc secessio videtur facta, ita statuimus: de futuris vero, quidquid vos, populus, & senatorum consessus communi consilio statueritis, sancita lege ratum fiet. Nonne hæc sunt quæ vos plebeios alienarunt à patriciis; & his impetratis contentos vos fore putabatis

ne

nec quidquam præterea desiderabatis? dantur nunc vobis. *quare* ite iam læti in patriam.

Ad confirmanda vero hæc pacta & præstandam vobis securitatem, fides dabitur iis rationibus quæ legitimæ ac solennes habentur in omnibus inimicitiarum diremptionibus. Senatusconsulto hæc sancientur, & inter leges adscribentur: vel potius nos hic scribamus quod videbitur, & senatus assentiet. Hæc autem quæ nunc conceduntur firma fore, nec senatum post quidquam contra moliturum, primum nos legati vobis spondemus, oppignerantes vobis corpora & animas & familias nostras; deinde alii senatores *idem facient*, quorum in S.C. asscribentur nomina. non enim nobis inuitis quidquam scribetur quod plebi officiat: quia nos sumus senatus proceres, & primi sententias dicimus. Vltima fides est *communis* omnibus Græcis ac barbaris gentibus, quam *ex earum vsu* nullum tempus eximet; cum scilicet interposito iureiurando fœdus icitur, Diisque testibus ineuntur pacta; quæ multas priuatorum simultates, multaque populorum bella finiit. hæc quoque dabitur, siue paucos principes pro toto senatu iusiurandum interponere permittitis, siue mauultis omnes senatores, quorum nomina S.C. asscribentur, iurare per *omnia* sacra, vtique se conditiones fœderis seruaturos firmiter. *Huiusmodi* autem fœdera, dextrasque ac fidem Diis testibus acceptam & datam, calumniari Brute desine, nec è vita tolle pulcherrimum institutum: neque vos ceteri auscultate memoranti hominum impiorum & tyrannicorum scelera; à quibus Romana virtus abest plurimum. LXXV.

Vnam adhuc dicam nemini vel ignotam vel dubiam, nec addam amplius. Quænam ista est? Ea quæ communem vtilitatem inuehit, & alteros per alteros seruat. hæc nos prima & sola contraxit in vnum, nec vnquam sinet separari ab inuicem. eget enim semper, nec vnquam desinet egere imperita multitudo prudentibus ducibus: itidem qui præesse possunt & rebus cõsulere, opus habent vulgo quod parere velit. idque non opinione tantum coniectamus, verum etiam *quotidianis* experimentis discimus. Quid igitur terremus & terremur inuicem, alterique alteris facessimus negotia? quid malis dictis vtimur, cum bona facta sint præ manibus? cur non *obuiis* brachiis complexi nos inuicem, LXXVI.

abimus in patriam, fruituri pristina carorum consuetudine
iucundissima & suauissimum expleturi desiderium, sed re-
quirimus securitates parum securas, & fides infidas, quasi
hostes infensissimi suspicantes omnia in deterius? Nobis
quidem senatoribus vna fides sufficit, vos plebeios post re-
ditum haudquaquam malos erga nos fore: quod scimus
vos probe educatos esse ac legitimis studiis imbutos, cete-
rarumq; virtutum bello & pace sæpe *illustria* dedisse speci-
mina. Quod si videtur fides ad componendas res & confir-
mandam meliorum spem necessaria, nos certe vobis bene
fidimus, nec requirimus à plebe vel iusiurandum, vel obsi-
des, vel alia fidei pignora: vobis tamē nihil eorum quæ po-
scitis denegabimus. atq; hæc de fide suffecerint, ob quā nos
Brutus conatus est traducere. Siqua vero in vobis resides
haud æqua inuidia, malasque vobis de senatu cogitationes
persuadet, libet nonnihil hac quoque de re dicere, quod
vos Quirites per Deos oro vt quieti & attenti audiatis.

LXXVII. Videtur ciuitas humano corpori similis. vtrumque enim
compositum est, & multis constat partibus: quarum singu-
læ nec eandem vim habent, nec vsus pares exhibent. Iam
per se quæque humani corporis pars proprium sensum-
temque vocem accipiat; deinde seditione inter eas orta, re-
liquæ omnes contra vnum ventrem conspirent, dicantque
pedes, totum sibi corpus incumbere, tum manus, opificia
exercere, victum comparare, cum hostibus pugnare, alias-
que multas vtilitates in commune conferre, item humeri
onera se baiulare omnia, os, loqui se, caput, videre se & au-
dire, complexuque suo continere reliquos sensus omnes
per quos *corpus & res cetera* conseruentur, deinde ven-
dicant, Tu vero bone *venter*, quid horum facis? aut quam
nobis refers gratiam, quod emolumentum? immo tantum
abest vt aliquid agas & nobiscum expedias in commune
vsus, vt etiam officias & interturbes, nec ferendus sis no-
cogens ministrare tibi & vndecumq; conquirere quæ tu
cupiditates expleant. age asseramus nos in libertatem,
excutiamus tot occupationes quas sustinemus huius gra-
Si sic visum eis sit & nulla posthac faciat suum officium, si-
rine vllo modo poterit vt corpus diu duret, ac non in-
paucos dies fame consumatur, genere mortis pessimo? n-
mo negare potest. Eodem sane modo & de ciuitate cog-
te. nam & hanc conficiunt multa hominum genera inte-

dissim ilia, quorum quodque proprium aliquem vsum in commune confert, sicut membra suo corpori. quidam agros colunt, alii pro his contra hostes pugnant, alii mercaturam exercentes, per mare important multa commoda, sunt qui necessaria tractant opificia. quod si hæc omnia ciuium genera contra senatum ex optimatibus constantem insurgendo dicerent, Tu vero quid nobis boni facis? cur aliis imperare postulas? non enim vllam caussam afferre potes: nunquamne nos vindicabimus ab hac tua tyrannide, ac sine principe degemus? hæc, inquam, si animum inducerent, & à consuetis studiis desisterent, quid vetabit hanc ciuitatem malam male perire fame, bello, aliisque omnibus calamitatibus? Discite igitur Quirites, sicut in nostris corporibus venter iste vulgo male audiens, alit corpus dum alitur, & seruat dum seruatur, estque velut commune penuarium, suum cuique tribuens, conseruansque pacem omnium: ita in ciuitatibus dispensantem publica senatum & quid cuique conueniat prouidentem, omnia seruare, tueri, corrigere: & desinite inuidiosas in eum voces iactare, expulsos vos patria per eum, vt errones & mendicos vagari. nihil enim mali vobis fecit, nec faciet: immo vocat & orat, pandensque vna cum portis vlnas vos exceptat.

LXXVIII Talia dicente Menenio, multæ variæque per totam concionem ab auditoribus iactabantur voces. postremo cum in fine orationis versus ad lamenta, proponeret calamitates vtrisque imminentes, tam manentibus in vrbe quam expulsis, deploraretque amborum miserias, effusi in lacrymas omnes vna voce conclamarunt, duceret se in vrbem, nec tempus tereret. Nec multum aberat quin celeriter è concione abirent re tota legatis commissa, nihil amplius de securitate laborantes, ni Brutus *in medium* progressus eum impetum cohibuisset, dicens recte habere cetera quæ senatus plebi offerret, magnamque pro his habendam ei gratiam. vereri se tamen futurum tempus & homines tyrannicos, ne arrepta olim occasione, plebem rursus inuaderent, memoresque in eam iras effunderent. Vnam porro securitatem esse omnibus qui se potentiores timeant, si certum sit, etiamsi lædere illi velint, nocendi potestatem eis defore. quamdiu enim malis sit potestas malefaciendi, non defore nec volun-

Bruti postulata.

tatem. Hanc igitur securitatem si plebs assequatur, nihil opus fore preterea. Cumque Menenius iuberet eum dicere quænam esset illa securitas quam à plebe adhuc requiri existimaret: Concedite, inquit, nobis aliquot annuos ex nostro ordine creare magistratus, qui nullam aliam potestatem habeant, nisi vt plebeiis iniuriam & vim patientibus succurrant, nec patiantur quemquam iure suo fraudari. hoc à vobis precibus contendimus præter illa quæ *vltro* dedistis; si non verbis, sed re vera de pace agitur.

LXXIX. His auditis, plebs virum diu magnis acclamationibus laudauit, ac legatos rogauit vt hoc quoque sibi concederent. Tũ legati è concione digressi, post breue colloquium redeunt: factoque silentio progressus Menenius, ita locutus est: Magna Quirites res est, & multis plena suspicionibus absurdis: timor etiam & cura quædam nos subit, ne forte duas in vna faciamus ciuitates: tamen, quantum in nobis est, ne has quidem preces vestras repellimus. hoc tamen nobis concedite, quod & in rem vestram est: permittite legatos in vrbẽ reuerti, & senatui hæc proponere. quamuis enim ab eo potestatem acceperimus pacem nostro arbitratu componendi, & quod visum fuerit promittendi, ipsi tamen non æquum censemus tantum nobis sumere: sed quia præter opinionem occurrit nobis res noua, potestate nostra quodammodo priuati, ad senatum rem totam referimus. confidimus tamen ei quoque probatum iri eadem quæ nobis probantur. Ego igitur hic manebo, & mecum legatorum pars: Valerius ibit cum reliquis. Placuit hoc: propereque conscensis equis, aduolarunt in vrbem qui significarent senatui quid ageretur. & cõsulibus ad senatum referentibus, Valerius censebat concedendam plebi & hanc gratiam. Appius vero, qui ab initio pacificationi contradixerat, tunc quoq; palã se opponebat, vociferans, Deos attestans, prædicensque quantorum reipublicæ malorum semen iacerent. sed nihil proficiebat, quod maxima pars (vt dixi) ad pacem esset procliuior. factumque est Senatusconsultũ quod & cetera legatorum pollicita plebi cõfirmabat, & hanc securitatẽ quam peterent permittebat. His ordinatis legati sequẽti die in castra reuersi, senatus placita indicauerunt. Deinde plebs, monente Menenio vt mitteret ad senatũ qui ab eo fidẽ acciperent, misit Luciũ Iuniũ Brutum

de qu

de quo iam dixi; & cum eo Marcum Decium & Spurium Icilium. ex senatus autem legatis dimidia pars cum Bruto in vrbem profecta est: Agrippa cum reliquis mansit in castris, rogatus à plebe vt legem præscriberet qua magistratus crearent.

Sequenti die Brutus vna cum collegis aderat, pace cum senatu per fetiales quos vocant (εἰρηνοδίκας nos diximus) cõposita. Plebs in eas quæ tunc erant, tributa curias, (quas seu φρατρίας mecum, seu alio appellare velis nomine, per me licebit) annuos magistratus creauit Lucium Iunium Brutum, Caium Sicinium Bellutum, quos & antea duces habuerat; & præter hos Caium & Lucium Licinios, & Spurium Icilium Rugam. Hi quinque primi tribunitiam potestatem acceperunt, quarto die ante Idus Decembres; quemadmodum fit & nostro tempore. Post peracta comitia legatis senatus videbantur bene se habere omnia quorum caussa missi fuerant. Brutus vero concione aduocata suasit plebi vt eum magistratum sacrosanctum & inuiolabilem esse decerneret, lege *in hoc lata* & iureiurando addito quo confirmaretur hæc securitas. Placuit hoc omnibus, lexque ab eo & collegis scripta est, hæc: Tribunum inuitũ nemo, vt vnum è vulgo, quidquam facere cogito; nec verberato, nec alium verberare iubeto: nec occidito, nec occidere iubeto. Siquis contra fecerit, sacer esto; & bona eius Cereri dicata sunto. & qui eum occiderit, purus à cæde esto. Et ne in posterum plebi potestas esset abrogare hanc legẽ, sed perpetuo maneret immobilis, adacti sunt omnes ciues iurare per sacra *omnia*, vtique hac lege in sempiternũ vsuros & se & posteros: additaque imprecatio vt eius obseruatoribus superi & inferi essent propitii: transgressoribus vero à Diis & semonibus accideret contrarium, tamquam grauissimo obstrictis piaculo. Indeque mos apud Romanos obtinuit, vt tribunorum corpora sacrosancta sint; qui manet vsque ad nostrum seculum. LXXX.

Tribuni plebis.

His ita decretis aram posuerunt in vertice montis eius in quo castra habebant; quam à *Panico* terrore quo tunc correpti fuerant, patria lingua nominarunt Iouis Fauni, quod significat Διὸς Δειματίου. Quo sacrificiis placato, & consecrato *ipso etiam* loco in quo consederant, cum legatis in vrbem reuerterunt. Vbi vero & vrbanis Diis gratias ac LXXXI.

ſacra perſoluerunt, impetrata ſui magiſtratus confirmatio ne à patriciis, petunt inſuper à ſenatu permitti ſibi vt quotannis duos è plebe viros deſignent, qui tribunis ſubminiſtrent quidquid opus ſit; & lites, quas tribuni eis commiſerint, iudicent: ædiumque ſacrarum, locorum publicorũ, atque annonæ curam habeant. Hoc quoque per ſenatum conceſſo, creauerunt quos *tunc* miniſtros & collegas ac iudices tribunorum appellabant: nunc vero ab officiorum vno vernacula lingua *AEdiles* (*id eſt*, ſacrarum ædium curatores) vocant, poteſtatem habentes alterius magiſtratus miniſtram, vt antea. Commiſſę vero eis ſunt multæ ac magnæ res; ſuntque maxima ex parte Græcorum ἀγορανόμοις (*id eſt, fori & rerum venalium arbitris*) ſimiles.

AEdiles pl.

LXXXII. Porro pacatis iam rebus, & reſtituta in priſtinum ordinem republica, externorum bellorum cauſſa delectus ſunt habiti magna plebis alacritate, ita vt intra breue temporis ſpatium ad bellum parata fuerint omnia: ac mox cõſulibus ex more ſortitis munia, Spurio Caſſio cura rerum vrbanarum obtigit, relictumque militum quantum *ad præſidium vrbi* ſufficere videretur. reliquum exercitum eduxit Poſtumus Cominius, in quo non modo Romanorum erat iuſtus numerus, ſed & Latinorum non contemnenda auxilia: primoſque Volſcos adoriendos ratus, ex itinere cepit oppidum eorum Longulam. etſi enim oppidani animos ſumerent, & cum exercitu prodirent ad arcendum hoſtis incurſum, turpiter tamen intra mœnia ſunt compulſi, priuſquam præclarum aliquod edidiſſent facinus: atque adeo ne in mœnium quidem defenſione fortitudinis vllũ dedere documentum. Vno igitur die tum ager eorum ſine puluere (*vt vulgus loquitur*) in poteſtatem redactus eſt, tum oppidum ipſum expugnatum non magno negotio. Conſul præda militibus conceſſa, & relicto ibi pręſidio, cum exercitu ad aliud Volſcorum oppidum contendit, nomine Poluſcam, non procul à Longula diſſitam: nemineque occurrere auſo, facile agrum emenſus, admouit exercitum ad mœnia. Ibi milites, pars valuis portarum exciſis, pars muro per ſcalas ſuperato, primo oppugnationis die potiti ſunt eo etiam oppido. Quo capto, in paucos quoſdã, qui defectionis auctores fuerãt animaduertit, reliquos pecuniis & armis mulctatos populi Romani iuſſa facere coegit in poſterum.

Volſci debellati.

Hic quoque relicta modica præsidiariorum manu, sequenti die cum exercitu Coriolos petiit, vrbem nobilem & Volſcorum quaſi caput; in qua & validæ erant copiæ, & firma mœnia, reſq; ad bellum neceſſariæ iam dudum ab oppidanis cōparatæ. hanc cum vſque ad veſperam oppugnaſſet, amiſſis ſuorum compluribus, repulſus eſt. Poſtero die comparatis arietibus, cratibus, & ſcalis, inſtauraturus erat oppugnationem totis copiis: ſed vt cognouit Antiates Coriolanis ob cognationem magna manu ſuccurrere, diuiſo exercitu, dimidium ad oppugnationem reliquit cum legato Tito Largio; reliquo hoſtem arcere ſtatuit. eodemque die res vtrobique geſta eſt feliciter, omnium egregia opera, ſed vnius viri virtute incredibili; cuius facinora nulla exæquarit oratio. is genere patricius erat, non obſcuris natus parentibus, nomine Caius Marcius; homo frugi, & perliberali *ac generoſo* animo. Pugnatum eſt autem vtrobique in hunc modum. Largius prima luce admoto exercitu ad Coriolana mœnia, multis locis tentabat aditum. oppidani vero erecti Antiatium auxilio, quod credebant breui affore, omnibus portis apertis confertim in hoſtem fecerunt impetum. Romani primam impreſſionem exceperunt *fortiter*, irruentibus inferentes multa vulnera: deinde pluribus ſuperuenientibus, impulſi per decliuia, receſſerunt. Quo viſo, Marcius, de quo ante dixi, cum paucis reſtitit, excipiens incurrentem hoſtium cateruam. proſtratiſque multis, reliquos inclinantes & in vrbem fugientes inſequitur, cædens interim quotquot aſſequeretur, & ſuos ex fuga reuocans, ſeque fidenti animo ſequi iubens. Quo feruore illi pudefacti, pedem referunt, hoſtemque prementes cædunt ac fugant: breuiq; tempore obuiis quibuſq; fuſis, aduolant ad muros ac Marcius audacius iam periclitans, magis ac magis progreditur: ipſaſque aſſecutus portas, vna cū fugientibus intra mœnia irrumpit. cumque & alii cum eo multi multis partibus in vrbem irrumperēt, magna vtrimque ſtrages edebatur, dum alii per vicos, alii in ædium expugnationibus dimicarent. In eo certamine mulieres quoque iuuabant oppidanos, è tectis hoſtem tegulis impetentes: & pro ſe quiſque quanta poterat alacritate opem ferebat patriæ. non tamen diu reſtiterunt, coacti ſe dedere victoribus. capta in hunc modum vrbe, LXXXIII

ceteri Romani ad direptionem vrbis versi, diu prædis incũbebant, quod magnam offenderent opum & mancipiorum copiam.

LXXXIV At Marcius qui primus impetum hostium retuderat, & præ ceteris tum extra tum intra mœnia insigniter pugnauerat, in secunda pugna contra Antiates maiorem etiã virtutem præstitit. nec enim æquum putabat huic deesse prœlio; sed mox post deditionẽ Cariolanorum, cum paucis qui consequi poterant, accurrit: cumque offendisset instructas iam acies moxque congressuras, & vrbem captam primus suis nuntiauit, fumum ostendens ex incensis ædibus erumpentem; & exorato consule, se hostium robori obiecit. Sublatis dein pugnæ signis, primus oppositos aggressus, multis cæsis in mediam perrupit aciem. nam Antiates non sustinentes eum comminus, qua se inferret, loco cedebant; densaque corona circumstantes, iaculis impetebant, cedentes *interim* incurrenti & insequenti. Quo cognito, Postumus veritus ne desolato grauius aliquid accideret, auxilio submisit validissimam iuuenum manum. qui densatis ordinibus irruunt in hostes; versisque in fugam aduersariis, *prouecti* vlterius inuenerunt Marcium consauciatum vndique, & circa eum magnam stragem, alios occisos, alios semineces. Post Marcio duce coniunctis viribus inuaserũt ceteros qui etiamtum seruabant ordines; cædentes quotquot resisterent, haud aliter quam vilissima mancipia. Memorabilem operam in eo prœlio nauarunt Romani milites, cum alii, tum præcipue qui Marcium protexerunt: sed omnes superauit ipse Marcius; cui citra controuersiam imputabatur victoria. Cũ vero iam cõtenebrasceret, Romani se in castra receperunt, elati eo successu; multis Antiatium

LXXXV. cæsis, multos etiam captiuos secum ducentes. Sequenti vero die Postumus aduocato in concionem exercitu, prolixe laudauit Marcium, coronisque redimitum ob præclare vtroque prœlio nauatam operam, remunerauit aliis etiam præmiis, donato equo bellatore, imperatoriis insigniis exornato, decemque captiuis corporibus, ipsius optioni permissis; argentique quantum ipse ferre posset, & ex reliqua prę da eximiis primitiis. Militibus vero frequenti acclamatione laudantibus & gratulantibus, progressus *in medium* Marcius, ait se consuli ceterisque omnibus, ob præmia qui-

bus

bus ſe dignati ſint, agere gratias: non tamen ſe vſurum iis donis, ſed equo contentum fore, ob inſignium ſplendorẽ; & vno captiuo, qui hoſpes ſibi ſit. Tum milites, qui prius venerabantur viri fortitudinem, magis etiam diuitiarum contemptum admirati ſunt, & in tanta felicitate tantam modeſtiam: eſtque ex illo facinore Coriolanus cognominatus & omnium ea ætate clariſſimus exſtitit. Poſteaquam vero cum Antiatibus ſic depugnatum eſt, reliqui Volſcorũ populi ſimultates aduerſus Romanos depoſuerunt, & ſiqui alii hoſtiles gerebant animos: & quotquot vel in armis iam erant, vel ſe ad bellum inſtruebant, conquieuerunt. Quibus omnibus clementer habitis, Poſtumus domum reuerſus dimiſit exercitum. Alter conſul Caſſius in vrbe relictus, interea ædem Cereris & Liberi Liberæque dedicauit; in fine circi maximi ſuper ipſos carceres ſitam; quam Aulus Poſtumius dictator prœlium cum Latinis initurus, Diis pro republica vouerat, & ſenatus poſt victoriam è manubiis faciendam decreuerat, operæque tum demum abſoluerant. *Domeſtica.*

LXXXVI Eodem tẽpore cum Latinorũ populis omnibus fœdus renouatũ eſt, & inſtaurata amicitia: quoniã ſeditionis tempore nullos tẽtarant motus; & publice gratulati plebis reditum in bello contra defectores promptam nauarant operam. Continebantur autem hęc in eo fœdere: Romanis & Latinorum populis omnibus mutua pax eſto dum cælũ & terra ſtationem eandem obtinent: & neutri alteris bellum inferunto; nec aliunde hoſtes inducũto, aut bellum inferentibus iter tutum præbento: & bello infeſtatis opem ferunto totis viribus, bellique prædam ac ſpolia ex æquo diuidunto. De priuatis contractibus lites iudicio dirimuntor intra decem dies, in foro eius populi vbi contractus is factus fuerit. His fœderis conditionibus nihil addere aut demere liceto, niſi ex conſenſu Romanorum & Latinorũ omnium. In has conditiones fœdus inter vtroſque ictum eſt iuratumque per ſacra *omnia*. Sacrificia etiam ex ſenatus conſulto inſtituta ſunt, & actæ Diis gratiæ pro reconciliatione plebis: feriiſque Latinis dies tertius additus; cũ prius duo tantum eſſent; primus, conſecratus à rege Tarquinio, quo tempore deuicit Etruriam; alter, à populo additus, quãdo pulſis regibus libertatem adeptus eſt. *tunc* vero ter-

tius accessit ob plebis quæ secesserat reditū. Harum feriarum sacrificiis & ludis præfecit senatus tribunorum administros, qui (vt dixi) *Ædiles à Latinis appellati*, similem ἀγορανόμοις *nostris* potestatem habent ornauitque prætexta
LXXXVII. & sella eburnea, ceterisque regiis insignibus. Nec ita multo post consularium vnus Agrippa Menenius diem suum obiit, is qui deuictis Sabinis clarissimum ex eis triumphum retulerat: cuius suasu senatus profugis concesserat reditum; & cuius fidem secuta plebs ab armis discesserat: elatusque est impensis publicis, honestissimaq; & splendidissima ornatus sepultura. cum enim priuatæ facultates hominis non sufficerent ad magnificum funus & sepulcrum; ideoque liberorum tutores decreuissent vt vnum è vulgo vilibus impensis efferre & humo condere: non permisit hoc plebs; sed tribuni aduocata concione, gestis eius tam bellicis quam ciuilibus prolixe prædicatis, temperantiaque & frugalitate, atque inprimis pecuniarum abstinentia summis euecta laudibus, indecorum aiebant tantum virum ignobiliter & humiliter funerari ob inopiam: auctoresque plebi fuerunt vt in funeris sumptū conferrent quantum ipsi censuissent. Gratum hoc plebi fuit; moxque singulis imperatum conferentibus, magna vis pecuniæ collecta est. Quo cognito puduit senatum permittere vt Romanorum nobilissimus collata viritim stipe sepeliretur; decreuitque sumptum ex ærario, commissa hac cura quæstoribus. Hi funere maxima pecunia locato, corpore splendidissime ornato, ceterisque sumptibus magnifice suppeditatis, defunctum pro virtutum dignitate sepelierunt. Quam senatus munificentiam æmulata plebs, nec ipsa cōtributum illud æs à quæstoribus recipere voluit; sed largita est ipsius liberis, miserata inopiam, ne quod indignum paternis virtutibus studium capesserent. Eodem tempore & census à consulibus actus est, censaq; capitum centum & decem milia, eoque amplius. Atque hæc sunt gesta his consulibus.

DIO-

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATUM Romanarum Liber septimus.



ITO Geganio Macerino, Publio Minucio consulibus magna annonæ caritas vrbem inuasit, ex secessione orta. plebs enim à patriciis secesserat post æquinoctium auctumnale, sub ipsum sementis initium: agerque per hos motus à colonis desertus est, dum ditiores *senatum & patricios*, at mercenarium vulgus plebis partes sequitur: manseruntq; ita separatim donec pacata ciuitas rursus in vnum coiret, quod paulo ante brumam contigit. medio temporis spatio, quo tempestiua satio conficitur omnis, rura colonis erant vacua: atque etiam post agricolarum reditum aliquamdiu cultura ægre poterat reparari, vt quæ seruitiorũ fuga & iumentorum interitu, quorũ opera colendi erãt agri, afflicta esset, nec magnum vel seminũ vel alimentorum in sequentem annum comparatum erat subsidium. Quo cognitó, senatus legationes dimisit in Etruriam & in Campanos atq; Pometinos cãpos, ad coemenda frumenta quanta possent maxima. In Siciliam missi sunt Publius Valerius & Lucius Geganius, alter, Poplicolæ filius: alter, Gegani consulis frater. *In ea* tum oppidatim tyranni regnabant, & inter hos eminentissimus Gelo Dinomenis filius, qui recens *tum* in Hippocratis fratris sui dominationem successerat, non Dionysius Syracusanus, vt Licinius scripsit & Gellius, aliique aliquot Romani historici; nulla temporum ratione

I. *A.V.C.262. T. Gegani & P. Minucio conss. annona caritas.*

habita, vt res ipsa indicat, sed temere quod in mentem venerat, affirmato. nam hæc legatio in Siciliam enauigauit secundo anno septuagesimæ secundæ Olympiadis, principe Athenis Hybrilide, elapsis post pulsos reges annis septemdecim, vt & hi & alii fere omnes scriptores vno consensu produnt: at Dionysius senior anno post hæc quinto & octuagesimo Syracusis inuasit tyrannidem, Olympiadis nonagesimætertiæ anno tertio, principe Athenis Callia, qui successit Antigeni. Ferendum erat siquis paucis annis falleretur in supputatione temporum, *præsertim* in prisca & multorum annorum historia; sed totis duabus aut tribus ætatibus à vero aberrare non permittitur. Videtur autem qui primus hoc in temporum tabulas retulit, (cuius vestigia secuti sunt ceteri) hoc tantum in priscis commentariis inuenisse, his consulibus legatos missos in Siciliam frumenti comparandi gratia, & inde cum tyranni munere rediisse; nec amplius scrutatus Græcorum historias quis tum fuerit Siciliæ tyrannus, sine vllo examine, Dionysii nomen, quod forte occurrebat, posuisse.

II. Illi igitur Siciliam petentes, aduersas in mari tempestates habuerunt; & circumnauigare insulam coacti, sero ad tyrannum peruenerunt; exactaque ibi hieme, in Italiam æstate demum reuersi, aduexerũt multum commeatuum. Qui vero in Pometinum campum missi sunt, parum abfuit quin à Volscis interficerentur pro exploratoribus, falso delati ab exsulibus Romanis: ægregeque hospitum suorum studio seruatis corporibus, amissa pecunia re(q)ui infecta, in vrbem reuersi sunt. Idem accidit his qui Cumas venere. cum enim in hac vrbe multi Romani exsules degerent, qui cum Tarquinio rege euaserant ex vltimo prœlio, primo ad capitis supplicium hos viros à tyranno deposcebant. quo non impetrato postulabant vt sibi liceret ea detinere pignora, donec ipsi bona sua reciperẽt, quæ aiebant iniuste publicata à populo Romano; & eius litis tyrannum faciebant iudicem. Dominabatur tunc Cumis Aristodemus Aristocratis filius, vir non obscuri generis; qui à ciuibus appellabatur Malacus (*id est Mollis*) eaque appellatione progressu temporis *longe* quam *proprio* nomine fuit notior; siue quod in pueritia fœmina fuisset, & quæ mulieribus conueniunt passus esset, vt quidam produnt: siue, vt alii malunt

malunt, quod miti esset ingenio, & in ira mollis. Qui cuiusmodi tyrannidis occasiones habuerit, quibus ad eam viis peruenerit, quomodo imperium administrauerit, & quem habuerit vitæ exitum, non intempestiuum videtur suspensa paulisper Romanarum rerum narratione compendio dicere. Olympiade sexagesimaquarta, principe Athenis Miltiade, Cumas Græcam vrbem in Opicis ab Eretriensibus & Chalcidensibus conditam, Etrusci qui Ionium sinum accoluerant, atque inde post à Gallis expulsi fuerant; cumque his Vmbri & Daunii aliique nonnulli barbari, conati sunt exscindere; non ob iustam aliquam caussam, sed tantum ob felicitatem. erant enim eo tempore Cumæ per totam Italiam diuitiarum, potentiæ, certerorumque bonorum nomine celebres, quod agrum haberent Campani campi fertilissimum, & portus circa Misenum opportunissimos. quibus bonis insidiantes barbari, expeditionem contra vrbem eam fecerunt; peditum quingenta milia, non minus; equitum duodeuiginti milia. His non procul ab vrbe castra habentibus mirum accidit prodigiũ, quale nullum vnquã exstitisse memoratur, nec apud Græcos nec apud barbaros. qui præter eorum castra fluebant amnes, Vulturnus & Glanis, omisso naturali meatu verterunt cursus, aliquamdiu ab ostiis retrocedentes ad fontes suos. quod vbi Cumani audiuerunt, tum demum ausi sunt cum hoste congredi; interpretati Deum depressurum elatas res hostium, suasque humiles elaturum: diuisaque trifariam tota iuuentute, parte vna ad vrbis prȩsidium, altera ad nauium custodiam relicta, tertiam in aciem produxerunt, excepturi impetum hostium. erant autem sexcenti equites, peditum quatuor milia, & quingenti *insuper*. tam paruo numero sustinuerunt tam multa milia. Quos vt pugnare paratos animaduerterunt barbari magno vlulatu more barbarico eos inuaserunt, nullo ordine, permixti peditibus equites; quasi omnes deleturi. erat autem ante vrbem vbi confligebatur, vallis angusta, montibus & paludibus clausa, pro virtute Cumanorum faciens, iniqua barbarorum multitudini. protrudentes enim & proculcantes se inuicẽ, cum alibi, tum circa cœnosas paludis voragines, priusquam ad manus cum Græcis venirent, ipsi se inuicem obterebãt. ea ingens ille pedestris exercitus mutua collisione afflictus,

Marginal numbers: II. (beside "dicere. Olympiade…") III. (beside "numero sustinuerunt…")

nullo facinore memorabili edito, aliis alio dispalatis, in fugam se dedit. equites autem congrediebantur quidem, & multum negotii facessebant Græcis: sed quia propter loci angustias circumuenire hostem non poterant, ipso etiam Deo Græcos fulminibus, tonitribus & imbribus adiuuante, territi & *ipsi*, fugæ se mandarunt. In hac pugna præclaram nauarunt operam Cumani equites, fueruntque omnium confessione potissima caussa victoriæ: sed inter omnes Aristodemus Malacus enituit. etenim ducem hostium singulari certamine interemit, aliosque multos viros fortes. Finito bello, persolutisque numini victimis & gratiis, sepultisque honorifice qui in pugna ceciderant ciuibus, magna contentione disceptatum est cuinam deberetur prima corona ob rem gestam fortiter. nam sinceri iudices, Aristodemum hoc honore dignabantur, plebe quoque fauente: potentes ciues & senatus vniuersus, propensiores erant in Hippomedontem magistrum equitum. erat autem tunc penes optimates Cumana respublica: plebs vero non multum poterat. Ex hoc ambitu orta seditione, veriti natu maiores ne in arma & cædes exiret contentio, persuaserunt vtrique factioni, vt ambos viros æqualibus honorari præmiis finerent. Ea occasione plebis patrocinium suscepit Aristodemus; seque in ciuili facundia exercens, concionibus eam ductabat, gratisque institutis sibi conciliabat; proceresque nonnullos publica interuertere arguens, priuata pecunia multos ciuium adiuuabat. quapropter optimatium

IV. proceribus molestus erat & formidabilis. Vigesimo deinde anno post pugnam illam barbaricam, supplicum ritu ad Cumanos venerunt Aricinorum legati, opem orantes contra Etruscos. namque post pacem cum Romanis initam, rex Etruscorum Porsena filium suum Aruntem, qui propriam sibi dicionem parare cupiebat, cum dimidia copiarum parte miserat, vt supra dictum est. is tum Aricinos oppugnabat compulsos intra mœnia, sperans se breui eos fame in suam potestatem redacturum. Hac legatione admissa, proceres optimatium Aristodemo infensi, & timentes ne ille in aliquam calamitatem coniiceret rempublicam, videbantur sibi egregiam occasionem nacti tollendi hominis sub prætextu honestissimo: persuasoque populo vt Aricinis duo milia virorum auxilio submitteret ductu Aristode-

stodemi, quod esset bellator præclarus, postea machinabātur vt vel ab Etruscis in pugna interimeretur, vel inter nauigandum periret. cum enim delectus habendi potestatem à senatu accepissent, ex nobilibus aut alicuius pretii hominibus nullius nomen retulerunt in matriculam: sed conscriptis ex plebe pauperrimis ac nequissimis, quos semper vt nouandarum rerum cupidos habuerant suspectos, ex his classem confecerunt, deductis decem vetustis & nauigationi parum idoneis triremibus, quibus præerant Cumanorum egentissimi; & proposita pœna capitali siquis se expeditioni subduceret.

Aristodemus hoc tantum præfatus, non latere se inimicorum mentem, qui auxiliorum ferendorum specie se in manifestam mitterent perniciem, suscepit earum copiarum imperium: moxque cum Aricinorum legatis soluens, mare quod inter Cumas & Ariciam est, magno labore magnoq; periculo emensus, ad proximum Ariciæ litus appulit: relictoque tuendis nauibus idoneo præsidio, confecto prima nocte terrestri itinere, quod à mari non est longum, diluculo se Aricinis nec opinantibus ostentat. cumque prope vrbem castra posuisset, persuasit obsessis vt in campum prodirent; confestimque hostem ad certamen prouocauit. ac mox collatis signis commissum est acre prœlium; non tamen Aricini diu locū suum tenuerunt; sed *semel* impulsi, confertim rursus intra mœnia refugerunt. Aristodemus stipatus lectissimo quoque, quorum exiguus erat numerus, totam eius pugnę molem sustinuit: & sua manu cæso duce hostium, fugatisque barbaris, pulcherrimam acquisiuit victoriam. His gestis, honoratus ab Aricinis perquam munifice, abnauigauit quantocius; vt ipse Cumanis suæ victoriæ afferret nuntium. sequebantur eum permultæ Aricinorum onerariæ, vehentes captiuos Etruscos & spolia. Iamque propinquus Cumis, naues ad litus appulit: & aduocata concione militum, multis verbis inuectus in ciuitatis proceres, prolixeque laudatis qui se fortes in pugna præstiterāt, diuisa viritim pecunia, & muneribus Aricinorū in mediū propositis, rogabat vt beneficiorū memores, postquā in patriam restituti essent, siquod sibi periculū ab optimatibus immineret, opē ferrent ꝓ viribus. V.

Omnibus autem vno ore gratias agentibus, quod ipsius ope præter spem & salui rediissent, & plenis manibus; seque suas citius animas quam illius salutem inimicis prodituros pollicentibus, laudata eorum voluntate concionem dimisit. Deinde vocato in suum tentorium scelestissimo quoq; & manu promptissimo, largitionibus, comitate, spequé *meliorum* (qua decipi omnes solent) eos corrupit, vt paratos
VI. haberet ad tollendum præsentem statum reipublicæ. His assumptis operis ac periculi sociis, monitis prius quid agendum cuique, & captiuis quos secum portabat, sine pretio libertate donatis, vt eorum quoque vteretur beneuolentia, ornatis nauibus in portus Cumanos delatus est, effusis ad litus cognationibus militum, ac parentibus, liberis, & coniugibus, suos lacrymis, osculis, amplexu excipientibus, suauissimisque appellationibus consalutantibus. necnon & cetera multitudo vrbana cum gratulatione plausuque ducem deducebat ad ipsius domicilium. Quam rem moleste ferentes proceres, præsertim qui copiarum imperium ei dederant, & alia in perniciem ipsius machinati fuerant, male de futuris cogitare cœperunt. Ille post paucos dies, quos votis exsoluendis insumpsit, & recipiendis tardioribus onerariis; ratus iam adesse tẽpus, ait se velle apud senatũ de rebus eo bello gestis disserere, & spolia inde parta ostendere. cũq; primores frequẽtes in senatum conuenissent, affuit & ipse, omniaq; concionabund⁹ denarrauit ordine. interim parati iã ante facinoris socii, sicas habẽtes sub veste, magna caterua in curiã irrumpentes, interemerũt totam optimatiũ factionẽ. ac mox omnes è foro diffugere, domũ quidã, extra vrbem alii, exceptis consciis, qui arcem & naualia, locaque vrbis munitoria occupant. Sequẽti vero nocte solutis vinctis & reis capitis, quorum magnus erat numerus, ac maiis- que vna cum ceteris amicis, in quibus erant etiam captiui Etrusci, satellitium ex his circa se constituit: & postquam illuxit dies, conuocato in concionem populo multum in occisos à se ciues inuectus, pronuntiauit se meritas de illis pœnas sumpsisse, qui toties illorum insidiis esset appetitus: ceteris ciuibus afferre se libertatem & ius æquum, aliaque bona plurima.

VII. His dictis, repletisque mirifica spe plebeiis omnibus, à duobus egregiis institutis administrationem reipublicæ orsus

orsus est (quæ solent esse cuiuslibet tyrannidis exordia) agrorum diuisione, & alieni æris remissione: seque vtrumque illis procuraturum est pollicitus, si absolutum sibi daretur imperium, donec pacatis rebus popularem reip. formam instituisset. Cumque improbum vulgus alienorum bonorum direptionem libenter acciperet, sumpta sibi plenaria potestate, aliud intulit consilium; per quod deceptos ciues pariter libertate omnes exuit. Fingens enim vereri se nequis tumultus à diuitibus in plebem cooriretur, propter agrorum diuisionem & æris alieni remissionem, neue bellum ciuile cædesque intestinæ existerent, ait se vnicum modum inuenire quo caueri hoc possit; si omnes arma ex ædibus prolata Diis dedicent; vt queant eis vti contra externum hostem, siquando opus fuerit; non contra se ipsos. interim rectissime deponi penes Deos. Quod vbi persuasit, arma Cumanis omnibus eadem die ademit: deinde sequentibus scrutatus *priuatas* ædes, multos bonos viros in eis occidit, quasi non omnia Diis arma repræsentassent. Quo facto, tribus custodiis tyrannidem suam communiit: quarum vna constabat ex sordidissimis & nequissimis ciuibus, quorum ope reipublicæ gubernacula optimatibus ademerat: altera, ex impiis seruis, quos ipse ob heros interfectos manumiserat: tertia, ex conductitiis barbaris immanissimis. hi non pauciores erant duobus milibus, in re militari longe præstantiores ceteris. Interemptorum effigies ex omnibus templis in profanos locos transtulit, suis in locos earum substitutis. domos eorũ & prædia bonaque cetera inuadens, exportato inde auro argentoque, & siquid aliud inerat dignum possessione tyrannica, reliqua largiebatur suæ dominationis assertorib⁹. sed plurima & maxima dona dabat iis qui heros suos occiderant. at illi petebant etiam vxores eorum & filias in coniugium.

Ceterum masculam occisorum progeniem quam principio nihili fecerat, postea seu ex oraculo, seu verisimili cõiectura, magno suo periculo educari cogitans, conatus est omnem vna die perdere. sed deprecantibus id matrum maritis apud quos alebantur pueri, obnixæ omnium petitioni hoc etiam munere gratificari volens, vitam quidem eis præter animi sententiam concessit sed ita tamen vt ca- VIII.

ueret nequando conspiratione facta molirentur aliquid contra tyrannidem : iussitque omnes ex vrbe abire alium alio, & per rura sparsos degere procul omnibus liberalibus disciplinis ac studiis, *pecora* pascentes, & alia huius generis rustica opera facientes; mortem interminatus siquis eorũ deprehenderetur intra mœnia. Illi relictis paternis laribus ruri alebantur quasi mancipia, seruientes patrum suorum interfectoribus. Et ne in ceterorum quoque ciuium vllo animus exsisteret generosus ac masculus, dedit operam vt effœminaretur tota vrbanæ iuuentutis educatio, sublatis gymnasiis & armorum meditationibus, & mutata victus ratione qua prius vtebantur pueri. iussit enim eos more virginum comam alere, flores & cincinnos gerere, reticulisque crinium nodos religare; indui pictis tunicis talaribus, tenuibusque & mollibus amiciri lænulis, & in vmbra degere. in ludum saltatorium, & ad tibicines, aliosque musicarum illecebrarum artifices, comitabantur eos pædagogæ mulieres cum vmbellis & flabellis; ipsæque lauabant eos, pectines in balnea deferentes, & alabastros vnguentarias ac specula. huiusmodi educatione corruptos vsque ad annum ætatis vigesimum, tum demum inter viros censeri passus est. Cumque his aliisque multis modis illusisset & insultasset Cumanis ciuibus, a nullo libidinum crudelitatum ve genere temperans, iam in tuto esse ratus suam tyrannidem, senecta ætate stirpitus excisus, meritas Deorum & hominum iudicio pœnas dedit.

IX. Insurrexerunt enim in eum, & ciuitatem pristinæ libertati reddiderunt filii cæsorum ab ipso ciuium; quos cum olim omnes vna die occidere statuisset, flexus (vt dixi) precibus satellitum, quibus puerorum matres *vxores* dederat, *ex vrbe summotos* ruri degere iusserat. nam cum aliquot annis post, per pagos iter faciens, animaduertisset in eis multum iuuentutis validæ, timens eorum cõspirationem, & præuenire volens, cogitauit omnes ex improuiso interficere: adhibitisque amicis consultabat quomodo incautos cito & facile opprimeret. hoc vbi cognouere iuuenes, siue alicuius cõsciorum indicio, siue suspicione moti verisimili, fugerunt in montes arreptis ferramentis rusticis: moxque adfuit eis auxilium Cumanorum exsulum qui agebant Capuæ: inter quos nobilissimi erant, & plurimos Campanorum

norum habebant hospites, Hippomedontis filii, eius qui Etrusco bello fuerat magister equitum: qui non modo ipsi armati erant, sed etiam illis *alteris* arma afferebant, validāque mercenariorū & amicorum manum è Campania cōtraxerant. Hi omnes coniunctis viribus agros inimicorū infestabant latrociniis, prædas abigentes, & seruos abducentes à dominis; exemptosque è custodiis sontes armabant: & siquid rerum pecorumue ferre aut agere non possent, exurebant vel iugulabant. Ibi tyranno hæsitanti qua ratione inimicis occurreret, quod nec aperte rem gererent, nec eodem loco subsisterent diutius, sed pro nocturni diurniue itineris spatio, nunc hic mane, nunc illic vesperi grassarentur, eluderentque militem præsidio missum agrestibus; quidam è numero exsulum se obtulit, quem illi fœdato verberibus corpore, transfugæ specie miserāt. Is securitatē à tyranno stipulatus, promisit se, si copiæ secum mitterentur, perducturum illas eo loci, vbi sequentem noctē acturi essent exsules. & habita est fides homini, quod nihil *præmii* poscēs, seipsum præberet obsidem. moxq; missi ducum fidissimi addito equitatu & mercenariis copiis, cum mandatis vt exsules omnes si possent, aut certe plurimos, vinctos in vrbem pertraherent. Quibus fabricatis *fictus* ille transfuga exercitum per vias cæcas & desertos saltus itinere laborioso tota nocte continuato, abduxit ab vrbe quā longissime. Interea fugitiui exsulesque in monte prope Auernum non procul vrbe positis insidiis, vbi signo (vt cōuenerat) à speculatoribus dato cognouerunt egressas tyranni copias, miserunt ex suis circiter sexaginta audacissimos, pellibus incinctos & fasces sarmentorum gerentes: qui crepusculo alii per alias portas velut operarii se clam in vrbem insinuauerunt: depromptisque quos in fascibus celauerant gladiis, in vnum conuenere; factoque agmine, confertim portā quæ ad Auernum ducit, inuaserunt; ac cæsis custodibus somno oppressis, suos iam mœnibus propinquos admiserunt portis patentibus, nemine sentiente. erat enim illa nocte festum quoddam publicum & totū vulgus vacabat potationibus ceterisq; hilaritatibus; ita vt sine periculo cunctas ad tyranni regiā vias peruaderēt. ac ne circa ianuam quidē multi vigilabant custodes: sed hic quoq; alios iā sopitos, alios ebrios cōfoderunt nō magno negotio: X.

& irruentes in ædes vno agmine, ceteros omnes nec corporis iam nec mentis præ vino cõpotes, iugulauerunt more pecorum: Aristodemum vero cum liberis & cognatis comprehensum, & in multam noctem fœdis verberibus ac tortura, & (vt *vno verbo* dicam) omni cruciatus genere afflictum, interfecerunt. atque *ita* radicitus exstirpata tyranni familia, vt nec paruulos liberos, nec mulieres, nec vllum ex eorum vniuersa cognatione reliquum sinerent; scrutati etiam per totam noctem cunctos tyrannidis adiutores, diluculo in forum processerunt: aduocatoque in concionem populo, arma ponunt, & pristinam reipublicæ formam restituunt.

XI. Ad hunc igitur Aristodemum, anno tyrannidis eius circiter quartodecimo, exsules Tarquiniani venerunt, poscentes sibi ius reddi contra patriam. Legati primum restiterunt, vt qui nec ob hanc litem venissent, nec caussæ pro republica dicendę potestatẽ haberent, q̃ à senatu non accepissent; deinde cum nihil proficerent, viderentque tyrannũ ob studia & preces exsulum in aduersam partem inclinare, petito ad defensionẽ spatio, & vadati pecuniis, nemine amplius obseruante, interim dum caussa pendet, clam dederũt se in viam. famulitium eorum & iumenta, allatasq; frumẽtationis gratia pecunias, tyrannus detinuit. Ob hos igitur casus hæ legationes re infecta reuersæ sunt. Ceterum qui missi fuerant in Etruriam, milium & far ab eius regionis populis coemptum, in vrbem comportauerunt nauibus secundo flumine. Quo cõmeatu breui absumpto, laborabatur inopia sicut antea; ita vt nullum cibi genus, ad quod necessitas adigere solet, intentatum relinquerent. quo factũ est vt multi vel præ inopia, vel præ insuetis alimentis, affectis essent corporibus; pauperes vero, quod curare se non possent, prorsus inualidis. Quod vbi Volscis nuper deuictis est cognitum, occultis legationibus se inuicem ad bellum sollicitabant: rati populum Romanum nequaquam parem fore fami simul & hostibus. Sed Deũ benignitas, cui erat curæ ne populus Romanus inimicis succumberet, tum quoque manifestissime vim suam exseruit. tanta enim pestilentia repente Volscos inuasit, quanta nullibi nec apud Græcos nec apud barbaros fuisse memoratur, nulli ætati parcens, nec vlli conditioni vel sexui, siue inde biles inci-

deret,

deret, siue in validos. cuius cladis magnitudo satis liquere potest ex nobili eius gentis vrbe, Velitris; quę magna prius & populosa, sic tum exhausta est, vt decima tantum pars incolarum reliqua mãserit, ceteris omnibus exstinctis. Quare tandem qui huic calamitati superfuere *incolumes*, legatis *in hoc* missis, desolationem patriæ conquesti, se & sua dediderunt in fidem populi Romani. nam & antea colonos ex vrbe acceperant: ideoque tunc iterum nouos in *vacantem* agri partem submitti postulabant.

Quo cognito, Romanos calamitatis miseratio subiit; nec putarunt in eo infortunio reminiscendas *& persequendas* hostium iniurias; rati satis pœnæ Diis luisse inimicos pro cogitato scelere. Velitras vero non paruum colonorum numerum mitti placuit, reputantibus multa inde prouentura commoda. nam & locus ipse, si occuparetur valido præsidio, satis magno impedimento futurus esse videbatur iis qui res nouas moliri vellent: & coniectura erat non parum in vrbe remissuram alimentorum inopiam, si emigraret non contemnenda plebis portio. Sed nihil æque ad decernendam coloniam impulit atque seditio, quæ, priore nondum probe restincta, denuo exardescebat. rursus enim vt ante plebs concitabatur, & patriciis succensebat: multaque in eos & grauia iactabantur conuitia: aliis incuriam *eorum* & socordiam incusantibus, qui non multo ante pręuidissent futuram annonæ caritatem, maloque matura quæsiuissent remedia: aliis data opera caritatem ab illis inductam asseuerantibus, vt qui secessionis recordatione inflammati, plebem *nunc ista ratione* affligere cuperent. Has igitur ob caussas maturabatur coloniæ missio; designatis à senatu ad eam deducendam triumuiris. Plebi principio gratum erat mitti aliquos in coloniam; vt qui & famem effugituri essent, & regionem habituri fortunatam. deinde considerantes pestem quæ destinatam ipsis vrbem vacuefecerat absumptis habitatoribus, & aduenas metu similis tractationis terrebat, paulatim mutabant animos: vt multo pauciores darent nomina, quam quot senatus decreuerat. atque hos ipsos iam consilii pœnitebat, & tergiuersabantur exitum. relicta est tamen *domi* hæc pars, & quotquot non sponte proficisci cuperent; senatusconsulto facto vt ex omni ciuium numero sorte coloni ducerentur,

XII.

Coloni emissi.

grauissima & indeprecabili mulcta proposita iis qui ex sorte migrare detrectassent. Ita bene magna manus necesse habuit Velitras migrare: nec multis diebus post alia Norbam, Latini nominis vrbem non ignobilem.

XIII. *Intestina seditio recrudescit.*

Fefellit tamen sua spes patricios, nec seditio, vt cogitauerant, quidquam remisit: quinimmo reliqua plebs magis etiam exasperabatur animis, vehementer in patres vociferans, per cœtus & sodalitia, paucis primum coeuntibus, mox gregatim, grauius iam premente inopia; factoque in forum concursu, tribunos inclamabant. Per quos coacta concione, progressus *in medium* Spurius Icilius, qui tunc collegii princeps erat, & ipse vehementer in senatum inuectus est, inuidia eum quantum poterat grauans, & ceteros quoque iubebat suas in commune conferre sententias; inprimis Sicinium & Brutum tunc ædiles nominatim citans, qui & primæ secessionis plebi auctores fuerant, & introducto in rempublicam tribunatu primi eum magistratum assecuti erant. Hi iamdudum malignissimas conciones meditati, progressi *in medium*, declamitarunt quæ plebi audire gratum erat, quasi data opera & insidiis diuitum exorta esset præsens annonæ caritas, quia libertatem illis inuitis plebs per secessionem inuenisset. plurimum enim abesse vt parem in hac calamitate difficultatem sentiant locupletes atque inopes. nam illis esse tum alimenta in occultis penuariis, tum pecunias ad emendos commeatus aduectitios; quibus freti hoc malum plane contemnant: plebeios autem carere vtroque. addebant, coloniam in morbosos locos emissam, manifesto & longe atrociori obiectam periculo; difficultatem verbis quantum poterant exaggerantes, & rogantes quis tandem malorum finis; refricantesque memoriam prioris diuitum sæuitiæ, qua *in nexos* vsi fuerant, & alia similia declamantes magna licentia. Postremo Brutus sermonem suum comminatione clausit: si vellent sibi parere breui se effecturum vt qui malum hoc accendissent, ipsi restinguerent. ita tum concio dimissa est.

XIIII. Postera die consules senatum conuocarunt, nouationem timentes, verentesque ne Brutus sollicitatione populi magnum aliquod malum inueheret. multa ibi & varia dicta sunt tum ab ipsis consulibus, tum à natu maioribus, non-

nullis censentibus deliniendam plebem omni verborum comitate, & pollicitatione operæ; mitigandosque duces eius, proposita rerum difficultate, & communicato cum plebe consilio dispiciendum quid esset è republica aliis contra suadentibus nihil indulgendum vulgo imperito & refractario. nec alendam audacem & intolerabilem eius adulatorum insaniam, sed respondendum, nullam huius mali culpam esse in patriciis, & senatui rem curæ fore pro viribus. ceterum turbatores plebis obiurgandos cum interminatione, daturos meritas pœnas ni seditiones fouere desinerent. Huius sententiæ princeps fuit Appius, quæ & vicit, maxima patrum contentione: ita vt & populus clamoribus eorum territus *e comitio* ad curiam concurreret, & in exspectationem erecta esset tota ciuitas. Post hæc die iam vergente, consules vocato in concionem populo progressi *in medium*, conabantur senatus voluntatem ostendere: sed obstabat tribunus, & nec alternis, nec decenti ordine verba vtrimque fiebant: sed vna clamitabant, & alter obstrepebat alteri: ita vt auditoribus difficile esset quid sibi vellent intelligere. Consules, vt potiori potestate præditi, imperio suo subiectum volebant quidquid in vrbe esset: è diuerso tribuni contendebant suum locum esse concionem, sicut illorum senatum: & quidquid à plebe iudicari ac decerni soleret, id omne in sua esse potestate. pro his plebs stabat, acclamatione *addens animos*, & parata congredi cum obstantibus, si opus foret: pro consulibus, patriciorum globus. eratque ingens certamen, nec alteri cedendum putabant alteris, quasi hac vna cessione pars victa in posterum alteri suo iure cessura esset. iamque sol circa occasum erat, & concurrebat è domibus in forum cetera quoque multitudo: videbanturque, ni nox litem oppressisset, à manibus & lapidum iactu non temperaturi. quod ne fieret, progressus *in medium* Brutus, à consulibus dicendi potestatem sibi petiit, seditionem se compositurum pollicens. Illi cessum sibi rati, quod præsentibus tribunis concionator plebeius *a se*, non ab illis dicendi copiam petiisset, permiserunt ei dicere. qui, silentio facto, nihil aliud locutus, sic interrogauit consules: Meministisne, inquit, nobis, cum dissidium componeremus, hoc concessum à vobis ius, vt quoties tribuni concionem quacumque de re

XV.

aduocauerint, ei se patricii non misceāt, neq; interturbent? Meminimus, inquit Geganius. Tum Brutus: Cur igitur impeditis nos, & non sinitis tribunos quæ volunt dicere? Respondit Geganius: Quia non ipsi conuocauerunt plebem in concionem, sed nos consules; quam si ipsi vocassent, non impedituri essemus, nec curiosius obrepturi. nunc quia nos concionem aduocauimus, non hos concionari prohibemus, sed nos ab illis prohiberi iniquum ducimus. Tum Brutus, Vicimus, Quirites; concesserunt nobis aduersarii quidquid volebamus. Abite nunc, & desinite contendere: cras vobis ostensurum me polliceor, quantam habeatis vim. Vos quoque tribuni in præsens foro eis cedite; ad extremum tamen non cedetis, vbi didiceritis quantam magistratus vester habeat potestatem. intelligetis autem breui. Hoc vobis polliceor, me & istud vobis declaraturum, & superbiam illorum redditurum modestiorem. Quodsi vos elusisse comperiar, tractate me vt libet.

XVI. His verbis cum nemo contradiceret, soluta est concio, variante exspectatione partium. nam inopes putabant egregium aliquid excogitasse Brutum, nec temere tam ingentia pollicitum: patricii vero contemnebant leuitatem hominis, audacia promissa rati non vltra verba processura. nihil enim à senatu concessum tribunis, nisi vt opem ferant plebeiis iniuriam patientibus. Non tamen omnes, præsertim natu grandiores, negligebant hoc negotium; sed animaduertendum censebant ne graue aliquod malum crearet hominis insania. Sequenti vero nocte Brutus communicato cum tribunis consilio, & comparata manu plebeiorum non modica, descendit cum eis in forum; & prius quam clara dies illuxisset, occupata æde Vulcani, vbi conciones haberi solebant, vocarunt plebem in comitium. ac *mox* referto foro (neque enim vmquam antea tanta turba conuenerat) progressus *in medium* Icilius tribunus, multis verbis accusauit patricios, memorans omnia quæ *vmquam* contra plebeios egerant. deinde aiebat se hesterna die per eos à dicendo prohibitum, & potestate sui magistratus exutum. Quod enim nobis (inquit) relinquetur ius, si ne loqui quidem permittimur? quomodo vestrum alicui per illos oppresso poterimus succurrere, si nobis potestas conuocandi vos adimitur? Verba enim

initium

initium ſunt omnium operum: nec obſcurum eſt, quibus dicere quæ ſentiunt non licet, iis nec faciendi quæ volunt fore poteſtatem. aut igitur recipite poteſtatem quam nobis dediſtis, ſi eam confirmare vt tuta ſit non vultis; aut lege lata vetate nequis nobis poſthac impedimento ſit. Hæc locutus, cum plebs eum magno clamore iuberet ferre legem ſcriptam iam habens, recitauit; permiſſoque plebi calculo iuſſit ſtatim ferre ſuffragia, quod res dilationem aut cunctationem non ferret, ne forte impediretur interuentu conſulum. erat autem lex hæc: Concionanti apud populum tribuno nemo contradicito, nec dicentem interpellato. Siquis contra fecerit, vades dato tribunis ſoluturum ſe mulctam quam impoſuerint. qui vades non dederit, morte mulctator, & bona eius ſacra ſunto. Siquid controuerſiæ mulctarum huiuſmodi cauſſa inciderit, iudicium penes populum eſto. Hac lege confirmata ſuffragiis *populi*, tribuni concionem dimiſerunt. Plebs bono animo abiit, magnam Bruto habens gratiam, cuius inuentum eſſe hanc legem exiſtimabat.

XVII. Secutæ ſunt deinde multæ multis de rebus altercationes tribunorum & conſulum; & neque plebs ſenatuſconſulta rata habere voluit, neque ſenatus approbare plebiſcita. ita per contentionem vtrique ſuſpecti erant alteris. non tamen odium hoc proceſſit ad facinus aliquod grauius, vt fieri ſolet in huiuſmodi perturbationibus. nam neque pauperes impetum fecerunt in ædes diuitum, vbi putarent inuenturos ſe alimenta recondita, aut proſtantem commeatum aggreſſi ſunt diripere; ſed perferebant res paruas emere magno pretio, & cum argentum deficeret, contenti erant radicibus & herbis: neque diuites freti ſuis ac clientelarum viribus, licet magnis, vrbem ſoli tenere voluerunt, per vim pulſis aut cæſis inopibus; ſed, vt patres qui ſe moderatiſſime gerunt erga filios, ita peccatis illorum iraſcebantur, vt ſimul beneuolam eorum curam agerent. In hoc rerum vrbanarum ſtatu, propinqui populi inuitabant ſiqui vellent ad ſe migrare, offerentes vltro ius ciuitatis & alia humanitatis officia; quidam beneuolo animo, calamitatem *vrbis* miſerati; ſed plerique ob priſtinæ felicitatis inuidiam. multique cum totis familiis emigrarunt, & ſedes alibi poſuerunt: quorum alii remigrarunt

pacatis in vrbe rebus: quidam in totum emanserunt.

XVIII. Hæc videntibus Consulibus, placuit ex S. C. delectu habito exercitum educere. nacti autem erant honestam occasionem, quod hostes crebris incursionibus & rapinis grauia intulissent damna: reputantes interim & alia huius expeditionis commoda, *videlicet* educto extra fines exercitu, reliquis in vrbe, numero imminutis, leuiorem fore annonam, & armatos maiorem alimentorum copiam habituros missis in hosticum frumentatoribus, seditionemque, quoad militia duraret, interquieturam. Videbatur etiam plurimum ad confirmandam reconciliationem facere communis patriciorũ ac plebeiorum militia, interque pericula prosperæ ex æquo aduersæque fortunæ societas. Verum plebs non obediebat, nec, vt ante, sponte offerebat nomina. cogere vero eam legibus nolebant consules, sed voluntarii quidam è patriciis conscripti sunt vna cum suis clientibus: quibus se pauci ex plebe addiderunt socios. Ductabat autem eos Caius Marcius, qui Coriolos ceperat, & ex conflictu cum Antiatibus fortitudinis palmã retulerat: cuius ductus plerisque ex plebe militibus animum addebat, vel quod ei bene vellent, vel quod rem bene gesturum sperarent. iam enim fama celebrabatur, & magno terrori erat hostibus. *Excursio in Antiates.* Is exercitus vsque Antium progressus præter magnam frumenti vim in agris repertam, mancipiis quoque pecoribusque multis potitus est: breuique domum rediit locupletatus opibus: ita vt qui manserant in vrbe, mæsti obloquerentur tribunis, quorum culpa videbantur simili felicitate fraudati. Atque ita Geganius & Minucius huius anni consules magnis ac variis iactati tempestatibus, cum sæpe vrbem subuertisse viderentur, sine iactura tamen euaserunt, & seruarunt remp. maiore prudentia quam felicitate.

XIX. *A.V.C. 263. M. Minucio & A. Sempronio conss. turbæ domesticæ recrudescunt.* Hos secuti Marcus Minucius Augurinus, & Aulus Sempronius Atratinus, iterum eundem magistratum adepti, viri armis & consilio clari, multam curam habuerunt importandi frumenti aliorumque commeatuum; velut in annonæ vilitate concordia populi consisteret. non tamen eis vtrumque contigit, saturitatem comitante petulantia: & quando minime putabatur, denuo maximum populo Romano exortum est periculum. nam & legati frumentatum missi, è mediterraneis & maritimis

emporiis

emporiis fruges coemptas deuexerunt in horrea publica: & negotiatores frumentarii vndique confluxerunt; quos ciuitas exonerauit, emptasque ex ærario merces publice asseruauit. Venerunt & legati superiore anno in Siciliam missi, Geganius & Valerius, cum multis onerariis, quæ afferebant tritici quinquaginta milia medimnûm Siculorum: quorum dimidium emerant admodum vili pretio, reliquum tyrannus dono miserat, suoque sumptu aduexerat. Eas appulisse postquam in vrbe cognitum est, diu multumque inter patricios de frumenti eius dispensatione agitatum est. nam qui æquissimi erant plebisque amantissimi, considerantes in quantis vrbs esset necessitatibus, & donũ tyranni suadebant diuidendum plebeiis hominibus, & emptum pecunia publica reuendendum eis paruo pretio; docentes hoc potissimum beneficio pauperum in opulentos iras posse mitigari. At arrogantiores & fautores paucorũ potentię, aiebant omnibus modis omnique studio plebem affligendam: consulebantque vt quam possent carissime commeatus ei venderent, vt necessitate ad modestiam cõpelleretur, ceterisque ciuitatis legibus magis subiiceretur.

Ex horum numero erat & Marcius ille, Coriolanus cognomine, non vt reliqui clam timideque sententiam dicẽs, sed aperte magnaque audacia clamitans, multis plebeis audientibus. nam præter publicas odii caussas, etiam priuatim infensus erat plebi ob recentem (vt illi videbatur) iniuriam, consulatum enim ambienti proximis comitiis, cum non deessent patriciorum studia plebs aduersata magistratum eum dare noluerat; verita viri claritatem & audaciam, ne forte his fretus conaretur è republica tollere potestatem tribunitiam; augente metum eum patriciorũ studio, qui nulli vnquã candidato tantopere fauerant. Hac igitur offensa irritatus, & mutatam rempublicam in pristinam formam restitui cupiens, & ipse (vt dixi) palam nitebatur plebem conuellere, & idem vt facerent persuadebat aliis. Iamque circa se habebat validam sodalitatem nobilium iuuenum, quibus & maximus erat census, & amplæ clientelæ, quas eis militiæ cõmoda conciliauerant. quibus elatus ferociebat & agebat splendide, ita vt ad summũ claritatis *fastigium* eueheretur; sed min⁹ felici exitu. Senatu .n. XX.

hac de caussa coacto, & rogatis ex more primum senioribus, in quibus perpauci erant qui aperte contra plebem sententias dicerent, vbi ad iuniores *ex ordine* ventum est, à consulibus petita proferendi quæ vellet facultate, multis annuentibus & aures attentas præbentibus, in hunc modum contra plebem disseruit. Non necessitate inopiaque coactam plebem secessisse P. C. sed malitiosa mente, vt optimatium potentiam destrueret, & ipsa potiretur omnium, puto vos ferme omnes perspexisse è pacis conditionibus, quæ tanto eius commodo facta est: quandoquidem non contenta fidem è contractibus sustulisse, violasseque leges de his conditas, vafro commento nouum instituit magistratum per quem consulatus conuellatur, cumque lege lata sacrosanctum & inuiolabilem fecit, & nunc recenti plebiscito vobis imprudentibus tyrannicam sibi potestatem asseruit. Cum enim eius patroni tantam potestatem nacti, honesto prætextu succurrendi pressis iniuria plebeiis, ea potestate abutentes, agant & ferant quæ libuerit nemine vetante, quod nec priuatus quisquam nec magistratus id audeat metu legis, quæ vobis dicendi pariter & faciendi libertatem adimit, & mortem minatur liberam vocem emittentibus: quodnam ei potestati nomen dabimus, si sapimus, nisi verissimum illud & confessum omnibus, tyrannidis? quid enim refert vniusne viri, an totius plebis, feramus tyrannidem? effectus certe vtriusque idem

XXI. est. Optimum igitur fuisset ne semen quidem huius potestatis admisisse, sed quiduis pertulisse potius, sicut bonus hic Appius censebat, multo ante mala hæc prospiciens. Quod quia non est factum, nunc saltem omnes vnanimiter euulsam radicitus eiiciamus è ciuitate, dum adhuc imbecillis est & oppugnatu facilis. Nec primis hoc vobis P C aut solis accidit: sed multi sæpe præter voluntatem ad necessitates redacti, nec optimum in rebus maximis consilium secuti, cum non obstitissent malorum principiis, saltē eorum incrementa conati sunt tollere: apparuitq; pœnitentiam sero incipientium sapere, licet non conferenda sit cum prouidentia, tamen alio modo non minus rebus consulere, dum euenire non sinit id cuius fefellerāt principia. Quod si qui vestrum moleste quidem ferunt plebis insolentiam, & compescendam putant ne pergat vlterius; sed religione

quadam

quadam tenentur, ne videantur à conuentis priores discedere, & iusiurandum violare: sciant se non inferre iniuriam, sed repellere; nec violare pacta, sed in violatores eorũ animaduertere; nulli Deorum iræ obnoxios, & *pie* iusteque consulentes suis commodis Quod autem non nos, sed plebs prior fœdus & pacta violet, hinc satis liquet, quia non est contenta iis quæ in reditu obtinuit. petiit enim tribunitiam potestatem, ne à senatu læderetur ipsa, non vt senatum *vltro* læderet. vtitur autem ea non ad quæ vti debet, aut ad quæ inuenta est, sed ad corruptelam ac cõfusionem huius reipublicæ. Meministis sane concionis nuper habitæ, tum quam arrogantia & immodesta verba tribuni in ea effuderint, quamque se nunc iactent insani homines, vbi vident in *populi* suffragiis consistere totam vim reipublicę, cumq; nos numero vincant, eam penes se fore. Quid igitur nobis faciendum restat, quando ipsi leges & fœdera cœperunt transgredi, nisi vt transgressores istos persequamur, & quæ hactenus iniuste vsurpant, iuste ab eis extorqueamus, cohibeamusq; cupiditates eorum in posterum: gratiamque Diis habeamus, qui non eam mentem eis dederint, vt conuersa in suum emolumentum republica modeste se in ceteris gerant; sed tantam eis impudentiam & fraudulentiam immiserint, quæ vos cogat & recuperare iam perdita, & reliqua tueri eo quo par est studio. Nec alia melior occasio exspectanda est, si quidem sapere incipitis: quando maxima pars fame afflicti sunt; & reliqui non poterunt diu resistere præ inopia, si rari & cari commeatus præbeantur. cogenturque improbissimi quique, & quos optimatium regimen semper offendit, vrbem deserere, qui vero æquiores sunt, se modeste in republica gerere, necquidquam obturbare amplius. Quapropter commeatus asseruandos censeo, nec remittendum quidquam de venalium pretio, sed quanti vmquam in summa caritate venierunt, tantidem & nunc vendenda esse: cum iustas habeatis occasiones & rationes consentaneas; quia *scilicet* ingrata plebs hanc caritatem, quæ propter ipsorum secessionem accidit, vos machinatos clamitat; quodque agros, agendo ac ferendo, non secus atque hostiles vastauerunt, & ærarium sumptibus in externas frumentationes erogandis est exhaustum. quamquam non his so-

XXII.

lis, sed multis aliis vos affecerunt iniuriis. vt intelligamus tandem qua nos affecturi sint clade, nisi omnia pro libidine plebis fecerimus, sicut concionatores eorum nos territantes minati sunt. quodsi præsentem occasionem emiseritis è manibus, posthac frustra similem optabitis. & si cognouerit plebs voluisse vos vires eius conuellere, ac *metu* destitisse, instabit vobis multo grauius; vosque hostes iudicabit, qui volueritis; ac timidos, qui non potueritis.

XXIII. Ad hanc orationem Marcii variatum est in senatu sententiis, & grauiter etiam tumultuatum. Nam qui iam inde à principio plebi obstiterant, & pacificationem contra voluntatem admiserant, in quibus erat iuuentus pene tota, & è senioribus quisque ditissimus atque ambitiosissimus, moleste ferentes plebis impudentiam, laudabant virum vt generosum & amantem patriæ, optimeque consulentem reipublicæ. At quorum animi propensiores erant in plebem, opesque & honores non iusto pluris æstimabant, nec quidquam pace magis putabant necessarium, oratione eius offendebantur, nec probabant sententiam; censebantque non vi, sed prudentia & moderatione superandos inferioris ordinis homines; & æquitatem non aspernandam vt indecoram, sed amplectendam vt necessariam, cum alias, tum in conciliada ciuium beneuolentia: aiebantque consilium eius furorem esse, non animi in dictis & factis libertatem. Sed pars hæc, vt parua & debilis, cogebatur cedere vi *numeroque* potioribus. Hæc videntes tribuni (aderant enim in senatu, vocati à consulibus) clamitabant & *ira* palpitabant, Marciumque pestem ac perniciem reipublicæ nominabant: quem plebi male loquentem & ciuile bellum in vrbem importantem nisi cohiberent patres, & capite mulctarent aut exsilio, ipsi se id facturos minabantur. Ad quorum verba etiam maiore tumultu exorto, præsertim iunioribus minas illas indigne ferentibus, Marcius audacior factus, acrius & obstinatius in tribunos inuehebatur: Immo vos, inquit, perturbatis rempublicam concionibus vestris seducentes turbam inopem. quod ni desietitis, non verbis posthac vobiscum disceptabo, sed manibus. Exacerbato autem senatu, tribuni cognito plures esse qui vellent potestatem plebi semel concessam adimere, quam qui cuperent stare conditionibus proni-

proripuerunt se curia, vociferantes & inuocantes Deos testes fœderum. Deinde coacta in concionem plebe, indicauerunt quid in senatu locutus esset Marcius, eumque ad caussam apud populum dicendam arcessiuerunt. quos cum ille contemneret, atque etiam viatores eorum à quibus arcessebatur, cum contumelia verborum reiiceret, magis exasperati tribuni, assumptis ædilibus & aliquot aliis ciuibus, properanter in eum tendunt. is forte fortuna hærebat adhuc pro curia, multosque patricios ad se pertrahebat, stipatus etiam ceteris suis sodalibus. Quo viso, tribuni ædilibus imperauerunt vt eum comprehenderent, & nisi sponte sequi vellet, vi ducerent. erant autem tunc ædiles Lucius Iunius Brutus, & Spurius Icilius Ruga. qui vt accesserunt quasi arrepturi hominem, patricii, quod atrox esse videretur aliquem sui ordinis à tribunis ante caussam cognitam vi duci, obiecerunt se pro Marcio, & pugnis abegerunt eos qui propius *illum* accederent. Quod factum cum rumor tota vrbe diuulgasset, prosiluerunt ex ædibus omnes; honorati & diuites, ad protegendum vna cum patriciis Marcium, & recuperandum pristinum reipublicæ statum: at inferioris conditionis homines & egeni, ad defendendos tribunos, & faciendum quidquid illi iuberent; sublata omni reuerentia qua ab mutuis iniuriis cohibiti fuerant hactenus. nihil tamen atrox ea die perpetrarunt; sed distulerunt in crastinum, monitis & precibus consulum flexi. Sequenti die primi tribuni in forum progressi, vocato in concionem populo, vnus post alium grauiter patricios accusabant, quod pacta fefellissent, fœdusque & iusiurandum plebi de superiorum offensarum obliuione datum violassent: afferebantque argumentum parum sincere plebeiis reconciliatorum, frumenti penuriam cuius ipsi machinatores fuissent, missionemque vtriusque coloniæ, & quidquid præterea moliti essent ad minuendam plebis multitudinem. Multis etiam in Marcium inuecti sunt, referentes verba eius quæ in senatu dixerat; vtque à populo ad caussam dicendam arcessitus, non modo venire detrectarit, verumetiam ædiles ad se venientes verberibus reiecerit. citabantque testes in senatu dictorum honoratissimum quemque eius ordinis; factæ vero ædilibus iniuriæ, totum qui tunc in foro adfuerat po-

XXIV. *Marcius arripitur.*

XXV.

pulum. His dictis dabant patriciis, si vellent, pro se dicendi copiam, detinentes in comitio populum, donec senatus dimitteretur. nam forte de hoc ipso consultabatur in curia, vtrum respondere apud populum ad obiectas calumnias esset satius, an eas dissimulare silentio. & quia plurium sententiæ magis humana quam superba consilia amplectebantur, consules, dimisso senatu, processerunt in comitium, tum publicas *pro senatu* diluituri calumnias, tum pro Marcio intercessuri apud populum, nequid in eum grauius statuerent. progressusque senior illorum Mi-

XXVI. nucius, in hanc sententiam verba fecit. Quod ad frumenti penuriam attinet, Quirites, paucis verbis opus est, nec aliis quam vobis testibus. Scitis certe ipsi fruges non prouenisse propter sationem intermissam, nec est quod ex aliis quæratis vnde cetera regionis vastitas sit profecta, quove tandem modo acciderit vt amplissimus & optimus ager vacuus fuerit frugibus, mancipiis, pecoribus, cum partim ab hostibus direptus sit, partim vobis non sufficiat, qui in tanta multitudine nulla aliunde habetis alimenta. Est igitur famis caussa non quam vestri concionatores per calumniam afferunt, sed quam ipsi scitis. Quod cum ita esse vos non lateat, desinite calamitatem hanc imputare nostris insidiis, & irasci nobis immeritis. Ceterum colonos necessitas coegit deduci ex communi omniũ vestrum sententia, vt essent præsidio locis ad bellum opportunis: profuitque id tam iniquo tempore, tum ipsis qui profecti sunt, tum vobis reliquis. nam & illi vberiorem istic rerum habent copiam, & qui hic remanserunt, minori *quam antea* laborant commeatus inopia nec factum improbari potest, quum colonis sorte ductis, nos patricii eandem vobiscum fortunam subierimus. Quid igitur in mentem venit istis concionatoribus criminari nos, qui vt eandem vobiscum habuimus sententiam, ita & fortunam subiuimus eandem, siue malam, vt isti aiunt, siue, vt nobis videtur,

XXVII. commodam? Nam calumnias quibus appetierunt senatum proximum, nolle nos moderari rerum venalium pretia, conari per insidias tollere potestatem tribunitiam, seruare memores secessionis iras, omnibus modis plebem afflictam cupere. & cetera huius generis crimina, breui factis ipsis diluemus, qui nec malo vos vllo affecimus, & tribunitiam

bunitiam potestatem quibus conditionibus tunc vobis concessimus eisdem nunc quoque confirmamus. frumentum etiam ita diuendetur, sicut vobis omnibus placuerit. Exspectate igitur, & siquid horum non præstabitur, tum demum nos accusate. Quodsi velletis accurate examinare hanc controuersiam, iustius nos patricii plebem accusaremus, quam vos senatum. Iniuriam enim nobis facitis Quirites, (quod quæso bona venia audiatis) dum non exspectato consilii nostri exitu, iam illud incusare vultis. Atqui nemo nescit quam facile sit cuiuis res turbare & concordiam è ciuitate tollere, ea criminanti quorum fides incerta pendeat, & non tam nos tueri possit ab incommodis, quam continere in officio. Nec soli duces vestri reprehensionem merentur, qui calumniis senatum impetunt, sed non minus vos, qui eis *temere* creditis, & nondum experti *fidem patrum, iam illis* indignamini: quos oportebat, siquas in futurum timeretis iniurias, iram quoque in illa seruare tempora. nunc certe præpropere magis quam prudenter agitis, dum securitatem *vestram* in maleficentia collocatis. Hæc pro toto senatu contra calumnias tribunorũ puto sufficere. Quoniam autem & singulos nostrum falso criminantur, quasi sententiis in senatu dictis ciuitatis concordiam distrahamus, & nunc Caium Marcium amatorem patriæ, quod libere locutus sit de republica, necare aut in exsilium agere cupiunt, volo de hoc quoque quod iustum est dicere: vos considerate quam modeste ac vere locuturus sim. Vos plebeii cum in gratiam cum senatu rediretis, satis putabatis æs alienum remitti vobis, & in auxilium pauperum, ne vi opprimerentur, magistratus petiistis creari ex vestro corpore: & impetrato vtroque, magnas nobis egistis gratias. magistratum autem consulum abrogare, aut senatui regimen rerum adimere, patriumve reipublicæ ordinem peruertere, nec petiistis, nec vnquam petetis. Quid igitur vobis nunc accidit, vt velitis hæc omnia confundere? & quo iure honores nostros tollere cupitis? Si senatores à sententiis ex animo libereq; dicendis deterrere volueritis, quasnam rationes æquas vestri magistratus afferent? aut quibus legibus patricios aliquos morte vel exsilio mulctare poterunt? nam nec veteres leges hanc vobis potestatem dant, nec

XXVIII.

nouæ conditiones initi cum senatu fœderis. legum porro præscripta transgredi, & vim iure potiorem facere, non plebeium est, sed tyrannicum; si verum audire vultis. Ego suaserim vobis, vt quæ à senatus benignitate impetrastis, retineatis: quæ vero cum rediretis in gratiam, non
XXIX. postulastis, ne nunc quidem vsurpetis. Vt autem liquidius perspiciatis nihil moderatum iustumve concionatores vestros petere, sed iniqua & impossibilia cupere, rem considerate perinde ac si vestrum esset negotium: & fingite à senatoribus vestros magistratus accusari, quod male de senatu loquantur apud vos, & conuellere cupiant patrium optimatium regimen, seditionesque in ciuitate concitent: (quæ sane vera sunt crimina; faciunt enim hæc omnia) denique (quod omnium est grauissimum) quod potestatem concessa maiorem sibi vsurpent, dum conātur quemlibet nostrum indemnatum occidere: ac *deinde postulari* vt talia facientes liceat impune interficere: quomodo ferretis hanc senatus arrogantiam? quid diceretis? an non indignaremini, atrocique vos iniuria diceretis affici, si quis vobis dicendi & faciendi libertatem adimeret, & extremum periculum intentaret iis qui liberam pro plebe vocem emitterent? negare non potestis. Et postea quæ ipsi non ferretis, æquum putatis ferre alios? ciuiliane & modesta sunt hæc vestra consilia? annon hac ratione ipsi criminatoribus vestris fidem astruitis? annon declaratis, iustum & vtile reipublicæ consilium eorum esse, qui suadent ne sinamus iniquam hanc vestram potentiam crescere? mihi certe ita videtur. quodsi contra quam insimulamini vultis facere, me suasore modesti estote; & si quibus verbis offendimini, ea non iracunde ferte, sed ciuiliter. hoc enim modo consequemini vt & ipsi boni esse vi-
XXX. deamini, & inimicos vestros *instituti sui* pœniteat. Ergo cum ratio vobis reddita sit iustissima, vt nobis quidem videtur, suademus, ne quid faciatis præter officium. Benignitatis porro & humanitatis officia quæ *vobis* præstitimus, non vt exprobremus, sed vt vos reddamus æquiores, tum vetera, tum nouissime reditus vestri tempore præstita, quæ nos obliuisci volumus, at vos meminisse par est, ea *inquam* proferre nunc cogimur, & pro multis ac magnis quæ petentibus vobis indulsimus, hanc *vnam* à vobis gra-

tiam reposcimus, ne occidatis neve pellatis virum amantem patriæ, & in re militari omnium excellentissimum. magnam enim iacturam faceremus Quirites, si ciuitas tanta virtute priuaretur. Iustissimum est igitur vt ipsius caussa remittatis iram hanc, & memores quot vestrum bello seruati salutem ei debeant, futilium verborum memoriam egregiorum facinorum recordatione supprimatis. nam verba viri, nihil vos læserunt; gesta, adiuuerunt plurimum. Quodsi eum indignum iudicatis vestra gratia, saltem nostris atque senatus eum donate precibus, & tandem firmiter *nobiscum* in gratiam redite, ac ciuitati pristinam vnitatem reddite. Id si vobis persuaderi non sinitis, scitote nec nos cessuros vestræ violentiæ; sed hoc plebis experimentum omnibus vel sinceræ amicitiæ & beneficiorũ multo maiorem occasionem præbebit, vel noua intestini belli & grauissimarũ calamitatum primordia iaciet. Hæc XXXI. differente Minucio, tribuni videntes tum oratione modesta tum benignis pollicitis flecti multitudinem, ægre ferebant, præsertim vero Caius Sicinius Bellutus, qui egenis secessionis auctor fuerat, & dux armorum tempore, infensissimus optimatibus, & hac vna re inter ciues clarus, tribunatu tunc iterum fungens, omnium collegarum maxime auersabatur ciuitatis concordiam & statum pristinum, vt minime sibi vtilem tantum enim aberat vt pares honores & potẽtiam speraret in administrata per optimates republica homo natura malus, & ignobiliter educatus, nec belli artibus spectatus nec pacis, vt etiam capitis periculum metueret, quippe qui seditionis multorumq; malorum ciuitati auctor esset. Is perpensis animo, quæ dicenda essent & facienda, cõmunicatoq; cum collegis consilio, cum idem & illi sentirent, surrexit, paucisq; deplorata præsente plebis miseria, & laudatis consulibus quod dignati essent plebi rationem reddere, nec humilitatem eius despexissent, patribus quoque aiebat se habere gratiam, quod tandem inciperent agere curam inopum: & adiecit, testem se futurum vna cum ceteris, si dictis facta responderent. His dictis, cum *iam* videretur mitior & ad reconciliationem pronior, versus ad Marcium astantem consulibus, At tu bone vir, inquit, cur non defendis *hic* apud ciues tuos quæ in senatu dixisti? immo non supplex de-

precaris eorum iram vt te mulctent clementius? nam infitiari non suadeo coram tot consciis, aut ad impudentem defensionem confugere, cum sis Marcius, & maiore quam qui priuatum hominem deceat animo. nisi forte consulibus & patriciis decorum est pro te cum plebe agere, te vero idem pro teipso facere dedecet.

XXXII. Hæc autem dicebat non ignorans virum esse magnanimum, nec posse animũ inducere vt ipse se delicti accusaret, pœnamque sibi remitti peteret, & ad preces eiulatusq; præter ingenium suum refugeret, sed aut omnino caussam non dicturum, aut pro insita arrogantia sine modestia blanditiisq; plebem allocuturum: id quod factum est. præbito enim silentio, & pene omnibus inclinatis ad absoluendum hominẽ, si se accommodasset tempori, tam arroganter & contemptim eos affatus est, vt nihil infitiaretur eorum quæ in senatu contra plebem dixerat, nec vllam præ se ferret pœnitentiam, aut miserationem veniamve peteret. immo ne iudicio quidem eorum se vlla in re volebat submittere, vt qui nullam haberent potestatem legitimam. quod si quis apud consules se accusare vellet, dictorumq; aut factorum rationem poscere, vbi leges iubent, paratum se aiebat caussam dicere. nunc vero se prodiisse ad plebeios ipsis vocantibus, partim vt obiurgaret ipsorum iniquas cupiditates, in quas erupissent & secessionis tempore, & post reditum, partim vt suaderet tandem aliquando cupiditates illas cohiberent. Post hæc magna tum sollertia tum audacia inuectus est in omnes, sed in tribunos maxime. inerat autem verbis eius non considerata reuerentia, vt in ciue qui consentaneis rationibus edocet populum, nec sobria cautela, vt in homine priuato, qui multis exosus, potentiorum iras declinat, sed bilis immodica, vt in hoste qui obnoxiis insultat intrepide, grauisque afflictorum cõtemptus. Quapropter & loquente adhuc magnus tumultus erat, vt quidque placeret aut offenderet, in tam diuersis multitudinis voluntatibus: aliis applaudentibus, aliis obstrepentibus: & vbi desiit, maior

XXXIII. etiam coortus est clamor ac strepitus. Nam patricii optimum virum appellabant, laudantes eius in dicendo libertatem, & affirmantes solum ex omni suorum numero esse liberum, qui neque *nuper* hostium in se irruentium turba esset territus, neque *nunc* ciuium superbos & iniquos

quos conatus blanditiis delinire sustinuisset. plebeii vero, ægre ferentes improperia, prædicabant eum molestum & acerbum, hostiumque omnium infensissimum nec deerat quibusdam animus, id quod videbatur facile, statim eum interficere. hos adiuuabant duces multitudinis; & Sicinius potissimum animis habenas laxabat qui acerbissime inuectus in hominem, accenso furore populi, accusationem clausit capitali sententia, quam latam aiebat à *tribunorum* collegio, ob contumeliam ædilibus illatam, quos pridie iussos à se vt eum ducerent, pulsatos abegerit. nam contumeliam ministris illatam, in ipsos qui iusserint recidere. His dictis, iussit eum duci in imminentem foro tumulum. est autem locus vasta rupe horrendus; vnde solebant damnatos dare præcipites. Ædiles igitur accesserunt vt eum comprehenderent. contra patricii cum magno clamore confertim in eos fecerunt impetum; ac rursum plebs in patricios. nec iam in dictis facti sue decorum seruabatur vtrimque, impellentibus se inuicem, nec manus cohibentibus. compressi tamen & temperati sunt hi motus a Consulibus in medios se intrudentibus, & per lictores turbam summouentibus. tanta tum erat eius magistratus reuerentia; tantum honoris tribuebatur potestati regiæ. Ibi Sicinius perturbatus & anxius, quod timeret ne aduersarios cogeret vim vi repellere; nolens à cœptis desistere, quando *rem* semel aggressus esset; nec tamen valens sententiam suam exsequi, sollicite cogitabat quidnam faceret.

Quem hærentem videns Lucius Iunius Brutus, concionator ille, qui pacis conditiones excogitauerat, vir acer cum alias, tum in expediendis difficultatibus, solus solum monet ne contendat, sed ab incepto *nimis* iniquo & calido desistat, cum videat vniuersos patricios irritatos, paratosque omnes, si à cõsulibus vocentur, arma corripere; plebis vero potissimam partem ambigere, nec libenti animo ferre vt vir omnium in vrbe nobilissimus ad supplicium dedatur, præsertim indemnatus. itaque consulere iam quidem cedere, nec pugnare cum consulibus nequid sequatur durius; sed viro diem ad populum dicere; permissoque tribubus calculo, quod plurium suffragiis ratum fuerit, id facere. nam esse violentiæ tyrannicę quod nunc patrare conetur; vt idem sit accusator & iudex, idemque pœnæ arbiter. ciuilius esse, da- XXXIV.

ta ex legum præscripto dicendæ caussæ potestate, reum pa-ti quidquid plurium iudicio pronuntiatum fuerit. Paruit Sicinius, quod nihil videretur consultius: & progressus *in medium*, Cernitis, inquit, Quirites, studia patriciorum ad cædes & violentiam tendere; qui vnum hominem superbum & in totam ciuitatem iniurium, vobis omnibus præferunt. Sed nos non oportet eorum esse similes, nec *tam* præcipites; neque vel bellum inferre, vel inferentibus repugnare. Et quoniam honestum prætextum habent legem, qua *sontem* iuuare volunt & supplicio eripere, quod ea non sinat ciuem Romanum indemnatum occidi, fruantur hoc iure, quamuis ipsi non agant nobiscum iure nec legibus: vt intelligant malle nos erga ciues in nos peccantes vti clementia quam violentia. Vos igitur abite, & exspectate tempus quod breui aderit. nos *interim* res *magis* vrgentes curabimus; præfinitoque huic viro ad caussæ dictionem tempore, iudicium vobis committemus. vos vbi calculi potestatem ex lege acceperitis, mulctam ei quam commeruisse videbitur, irrogabitis. & de hoc quidem hactenus. Quod vero ad frumentum vendendum atque dispensandũ attinet, vt id fiat quam iustissime, nisi consulibus & senatui curæ fuerit, nos prouidebimus. His dictis, concionẽ dimi-

XXXV. sit. Post hæc consules coacto senatu, deliberabant per otium quo pacto hæ turbæ sedari possent: visumque est eis primum demereri plebem annonæ vilitate: deinde agere cum eius magistratibus vt in gratiam senatus *ab incepto* desistant, nec Marcium adducant *in iudicium populi*, quod impetrari si nequeat, *id* quantum fieri possit differant, donec iræ vulgi deferuescant. His decretis, S. C. *de annona* promulgarunt; cunctisque laudantibus, ratum fecerunt. erat autem tale: Pretia rerum ad quotidianum victum venalium esse, quæ ante intestinam seditionem *in annonæ copia* fuissent minima. A tribunis deinde multis precibus, cum solidam remissionem non possent, dilationem impetrarũt *iudicii* quantam petierant; eamque mox ipsi longius prorogarunt hac occasione. Legatos Siculos qui post donum tyranni Romam peruectum, repetebant patriam, Antiates subornato nauigio piratico, interceperant, cum non lõge ab eorum portu in salo iecissent ancoras; direptisque rebus eorum hostiliter, ipsos quoque coniecerant in carcerem.

rem. His cognitis Consules expeditionem decreuerunt in Antiates, quod legati ob hoc missi nihil iusti potuissent impetrare: habitoque iuniorum delectu, vterque *ad bellum* exierunt, decreta *interim* omnium tam publicarum quam priuatarum caussarum suspensione, tantisper dum in armis esset populus Romanus: quod tempus opinione citius exiit. nam Antiates vbi cognouerunt se peti totis viribus, ne tantillum quidem restiterunt; sed *mox* ad preces versi, & res Siculorum reddiderunt, & corpora; vt necesse habuerint Romani vrbem repetere.

Dimisso exercitu Sicinius vocato in concionem populo, diem dixit Marcio, in qua lis decideretur; iussitque non vrbanos modo frequentes adesse ad eius caussæ cognitionem; sed agrestem quoque multitudinem intermissis operibus ad eam diem præsto esse, quasi ferenda essent suffragia pro libertate saluteque totius populi: monito etiam Marcio, vt ad caussam dicendam adesset; quippe nulla legitimi iudicii parte frustrandus. Consules communicato cum senatu consilio, existimarunt non permittendum vt populus tantam sibi potestatem astrueret: videbantur enim sibi rationem vetandi legitimam inuenisse, qua dissoluerent aduersariorum omnia consilia. Post hæc vocatis in colloquium magistratibus plebis vna cum suis necessariis, sic locutus est Minucius: Nobis tribuni videtur ex vrbe seditio tollenda omnibus viribus, nec vlla de re contendendum cum plebe; præsertim cum videamus vos omissa vi iure ac verbis agere. Quam voluntatem vestram laudantes, æquum censemus senatusconsulta *reipublicæ* præire more patrio. potestis autem vos ipsi testes esse, semper ex quo vrbs hæc à maioribus nostris est condita, honorem hunc senatui habitum; nec vmquam quidquam absque S. C. decretum aut approbatum suffragiis populi, non modo nunc, sed ne sub regibus quidem. illi enim quod senatui placuisset, ad populum referebant, atque ita ratum faciebant. Hoc igitur ius nolite nobis auferre, nec inueteratum bonum morē tollite sed siquid iustū & moderatū petitis, apud senatū re proposita, quod patribus placuerit, referte ad populū. XXXVI.

Hęc cōsulis verba ægre ferebat Sicinius, nolens quidquā in senatus potestatem cōmittere. collegæ vero illius ex Decii sententia concesserunt S. C. fieri, cum prius XXXVII.

& ipsi ius quoddam postulassent, quod eis consules negare non poterant: videlicet vt patres data dicendi copia plebeiis magistratibus, aliisque vel eadem vel contraria suadētibus auditis, tum demum quod iustum & è republica videretur pronuntiarent; & omnes, vt in iudicum consessu, præmisso iuramento legitimo, sententiam ferrēt; & quod plures sententiæ deciderent, id esset ratum. Porrò cum concessissent tribuni S. C. fieri vt postularant consules, solutum est colloquium. Postera vero die frequenti senatu, postquam consules indicauerunt patribus quid *inter se ac tribunos* XXXVI conuenisset, tribunos vocatos in senatum iusserunt petitiones suas exponere. Tum progressus Decius, is qui senatusconsultum fieri permiserat, in hunc modum locutus est: Non latet vos patres conscripti, futurum ob certas caussas vt hic noster ad vos accessus senatusconsulti gratia, accusatorem apud plebem habeat vnum è nostro collegio; qui negat opus esse vt quod leges nobis dant, id à vobis petamus; nec ius *nostrum* imputandum pro accepto beneficio. ita vt si vocemur in iudicium, non leuem subituri simus aleam; sed pro trāsfugis & proditoribus damnati, passuri fœdissima. Huius non nescii, tamen ad vos venire sustinuimus, freti iure, & nixi iuramento, quo obligati feretis sententias. Nos quidem viles sumus & longe inferiores quam quos de tantis rebus disserere conueniat: ea tamen de quibus verba faciemus, non sunt leuia. Iis igitur animum attendite; ac si iusta vobis videbuntur, & vtilia reipublicæ; addam etiam necessaria; vltro nobis ea concedite.

XXXIIX Dicam autem primum de iure. Vos P. C. pulsis nostra ope regibus, & constituta hac reipublicæ forma, quam nō reprehendimus, videntes plebeios in iudiciis opprimi quoties litigarent cum patriciis, (id quod non raro fiebat) legē tulistis auctore Publio Valerio consulum altero, licere homini plebeio à patriciis oppresso prouocare ad populum. qua lege nihil fuit efficacius ad tuendam ciuitatis concordiam, & repellendos reges *subinde* tentantes reditum. Hac igitur lege, Marcio huic, à quo *nobis* omnibus iniuriam & vim factam affirmamus, diem ad populum dicimus, & ibi caussam iubemus dicere. nec senatusconsulto hic est opus. vbi enim legibus destituimur, ibi vestris consultis locus est & populi suffragiis. vbi vero præsto est lex inuiolabilis, ei obse-

obsequendum est, etiamsi consulta vestra non præiuerint. nemo sane dixerit, priuatis hominibus iudicio oppressis concedi prouocationem ad populum; nobis vero tribunis non esse idem ius. Huius igitur legis fiducia ne vestrum quidem iudicium refugimus. Quod autem ad naturæ non scriptas nec promulgatas leges attinet, postulamus P. C. vt plebi non plus nec minus iuris sit quam vobis, quæ multa & magna bella vobiscum confecit, egregiamque operam ad debellandum nauauit, nec minima caussa fuit vt non aliorum imperata faciatis, sed ipsi aliis iura præscribatis. Sic autem effeceritis vt non deteriore iuris conditione simus, P. C. si eos qui corporibus nostris & libertati conantur iniuriam facere, proposito iudicii metu cohibeatis. Magistratus sane, principatus, honoresque, virtute ac fortuna inter vos potioribus deberi fatemur: ceterum ab iniuriis esse liberum, & si quis intulerit, in eum iure vindicari, omnibus in eadem republica versantibus ex æquo commune ducimus: & sicut splendida illa & magnifica vobis cedimus, ita quæ *nobis* ex æquo vobiscum sunt communia, nolumus amittere. atque hæc de iure sufficiant; licet & alia multa afferre possim.

Quod autem & reipublicæ profutura sint plebis postulata, paucis accipite. Age si quis vos interroget, quæ sit maxima ciuitatum calamitas & perniciem afferens celerrimam, nonne responderetis Discordia? mihi certe sic videtur. Quis igitur adeo stultus est, aut morosus, aut æquabilitati tam iniquus, vt non videat, data populo potestate iudicandi caussas quas leges ei permittunt, concordem fore rempublicam? sin contrarium vobis placeat, & adimatis nobis libertatem, (libertas enim aufertur ablato iure ac legibus) confestim nobis dissidendi & rebellandi necessitatem vos imposituros. nam ex quacunque ciuitate ius legesque exsulant, in eam seditio bellumque solent ingruere. & qui numquam experti sunt calamitates bellorum ciuilium, non mirum si non offenduntur præsentibus incommodis, nec futura mala mature prohibent. qui vero, vt vos leuibus periculis tentati, se cupide illis exsoluerunt, adhibitis pro tempore remediis hi quid honeste causari poterunt, si rursum in eadem mala inciderint? Quis non magnæ vos amentiæ atque insaniæ damnet, si cogitet, vos, cum nuper XXXIX.

tollendæ seditionis caussa plebi quædam inuiti concesseritis, nec vtilia vobis fortasse nec admodum honesta; nunc, vbi nec fortunæ vestræ, nec honos, nec vlla reipublicæ pars attentatur, ipsam rursus, tantum in eius inimicorum gratiam, exacerbare? Non *facietis*, si sapitis. Equidem libenter vos rogarem, quid cogitātes tunc nobis dederitis reditum quibus voluimus conditionibus; vtrum mente prouidentes *id esse factu* optimum, an necessitate coacti. Si enim credidistis id esse è republica, quin manetis in eadem etiamnum sententia? Quodsi necessitas ita postulabat, nec licebat aliter facere; [aut si recto consilio hæc facta sunt, quod ex vsu reipublicæ futura viderentur,] quin æquo fertis animo? nā principio fortassis expediebat non concedere, si negare poteratis: postquam vero semel concessum est, boni consulere decet.

XL. Mea certe opinione recte prospexistis P. C. paci publicæ; & nunc stare debetis eius conditionibus. Deos enim nobis dedistis sponsores fœderis, multa & dira imprecati eius transgressoribus, tum ipsis, tum in sempiternum eorum posteris. Itaque iusta & vtilia nos petere, quæque etiam necesse sit vos facere, si quidem publici iuramenti memores esse velitis, non video cur pluribus verbis inculcandum sit. Quod vero nostra quoque plurimum intersit ab hoc incepto nec vi depelli, nec dolo deduci, & quod coacti in hoc certamen descenderimus, grauiter & plus quam grauiter offensi ab hoc viro, audite P. C. vel potius in memoriā vobis reuocate. nihil enim dicturus sum, quod non omnes *probe* noueritis simulque verba mea sic accipite, ac si vestrū esset negotium. cogitate enim, siquis è nobis plebeiis ausus fuisset apud populū talia dicere ac facere contra vos, qualia Marcius *apud vos* hic dixit, quomodo in eum affecti essetis.

XLI. Conditiones pacis firmissimas & tantumnon adamantinis astrictas vinculis, quas nec vobis qui eas iureiurando firmastis, nec posteris vestris violare fas est, quamdiu hæc vrbs habitabitur, p[illegible]us vestrū ausus est violare hic Marcius, nondum quadriennio exacto ex quo factæ sunt; non clam, aut in obscuro quopiam angulo, sed palam in hoc loco vobis omnibus præsentibus, sententia lata de abolenda tribunitia potestate; cuius vt primariæ atque vnicæ libertatis nostræ custodis fidem secuti, rediimus vobiscum

in gra-

in gratiam. quin eo arrogantiæ prouectus est, vt libertatem hanc pauperum nominarit petulantiam, & iuris æqualitatẽ tyrannidem; eaque nobis adimenda censuerit. & quod erat omnium eius postulatorum maxime impium, meministis P. C. eum dixisse, *nunc* esse opportunum tempus promendi iras omnibus superioribus plebis erratis debitas: suasisseque, quando plebs exhausta sit pecuniis, diutinaque rerum victui necessariarum inopia laboret, *nunc* sibi permitti vt retineat annonam in eisdem difficultatibus. non enim duraturos nos longo tempore, paucos cibos emptitantes magna pecunia, *vtpote* inopes: sed partim relicta vrbe *alio* abituros; partim, qui remaneremus, interituros genere mortis infelicissimo. & in his suadendis adeo insaniebat agitatus intemperiis, vt præter alia incommoda quæ sequerentur hoc violandi per senatum fœderis consilium, ne illud quidem animaduerteret, pauperes necessariis alimentis exclusos, cum tantus eorum sit numerus, necessitate compulsos, in mali eius auctores, tamquam hostes ex amicis factos, irruituros. quod si vos pari insania consilium eius approbassetis, nihil erat medium; sed aut vniuersa plebs deleta fuisset, aut nihil ex patriciis gentibus superfuisset reliquum. nõ enim adeo seruiliter nos præbuissemus pellendos necandosue; sed Diis geniisque calamitatis nostræ testibus inuocatis, oppleuissemus (mihi credite) fora & vias cadaueribus; statutoque magno ciuilis sanguinis cratere, ita demum accepissemus portionem debitam.

Ad tam impia facinora P. C. tendebat huius concio; talia vobis suadenda existimabat. Nec dictis tantum seditionem moliebatur Marcius, à factis abstinens; sed habens ad nutum suum paratam cateruam hominum, vocatus ad magistratum non paruit; & cum ministri nostro iussu apprehensum vellent ducere, pulsatos repulit; denique ne nostris quidem pepercit corporibus. Quapropter quod ad hunc attinet, tantummodo specioso *sacrosancti & inuiolabilis* magistratus nomine nobis illuditur; nec vllis quę magistratui cõpetunt muneribus fungi cõceditur. & quomodo aliis de iniuria querẽtibus opitulabimur, qui ne ipsi quidẽ in tuto sumus? His igitur contumeliis affecti nos pauperes ab vno viro nondũ tyranno, sed huc aspirante, iniuriasq; vel XLII.

perpeſſi iam, vel iamiam perpeſſuri, niſi veſtrum P. C. maior pars obſtitiſſet, an non merito indignamur, rogamuſq; vt nobis cum indignari ac nobis auxiliari velitis, vocantibus eum ad æquum & legitimum iudicium, in quo totus populus per tribus diuiſus, cauſſa cognita iuratus laturus eſt ſuffragia? 1 Marci illo, & quæ hîc paras dicere, apud vniuerſos tuos ciues congregatos defende, ſiue bono animo hiſce dabas optimum conſilium, ſiue ſuadebas, è republica, ſiue iniuſtum eſt ſententiarum hîc dictarum rationem repoſci, ſiue non inſidioſe nec præmeditatus, ſed per iram effudiſti ſcelerata hæc conſilia, ſiue aliam quamcumque defenſionem habes; deſcende ab illa ſuperba tyrannicaque iactantia ad ciuilem modeſtiam improbe, & tandem facte aliis hominibus ſimilem; ſume rei deprecantis habitum humilem ac miſerabilem, qualem caſus *tuus* poſtulat; & non vim parans contra læſos, ſed eis te ſubmittens, pete ſalutem. Exemplum æquanimitatis, qua te vti erga ciues tuos decet, ab his *ſaltem* bonis viris ſume; qui cum tot ſint numero quot nunc vides, tantis virtutibus ſpectati tam militaribus quam ciuilibus, quibus ne longum quidem tempus recenſendis ſufficeret, nihil ſæuum aut ſuperbum ſtatuerunt in nos viles & humiles ipſi magni & venerandi; ſed priores mentionem pacis fecerunt inuitantes ad concordiam, quando nos ab illis fortuna ſeparauerat; & conditiones non quas ſibi putarent commodiſſimas ſed quales nos poſcebamus, conceſſerunt; ac poſtremo ſuſpiciones de frumenti diuiſione nuper exortas, dignati ſunt accurate diluere. Omitto alia; pro te ipſo tuiſque furiis quas non preces adhibuerunt, tum publice apud totum populum, tum priuatim prehenſando plebeios ſingulos, & pœnam tibi deprecando?

XLIII. Ergo conſules & ſenatum tantæ vrbis præſidem decebat ſubire iudicium populi, ſeque illi de obiectis criminibus purgare; te vero Marci non decet? nec turpe ſibi putãt hi omnes pro te abſoluendo plebem ſollicitare precibus; te vero pudet idem facere? Nec hoc tibi ſatis eſt, vir egregie; ſed quaſi re bene geſta, elata ceruice obambulas iactãs verba magnifica, nec quidquam ſuſtines remittere de *priſtina* ſuperbia. omitto quod præter conuitia & criminationes, etiam minas plebi intentas. Et poſtea non tædet vos

P. C.

P.C. *tantæ* hominis superbiæ, qui maiora sibi vnus, quam vos vobis vniuersi, vsurpat: cũ deberet, etiamsi omnes pro eo pugnare decreuissetis, vestra prompta voluntate contentus, recusare beneficium sibi priuatim contra rempublicam oblatum, potiusque caussam dicere, nec vllius mulctæ periculum refugere. hoc erat boni ciuis officium, re-uera virtutem colentis, non *ostentantis* verbis *inanibus*. At quæ ille nunc per vim agitat, cuius instituti, cuius animi signa sunt? fœdera violare, dextræ datæ fidem temerare, pacis conditiones tollere, bellum cum plebe gerere, non abstinere vim à magistratibus, nec se ad reddendas vllius facti rationes velle sistere; sed contemptis iudiciis, defensionibus, deprecationibus, quasi nemine ciuium non sit superior, obambulare impauide: annon hæc ingenii sunt tyrannici? mihi sane videtur. Et tamen sunt quidam vestri ordinis qui tali suffundant frigidam & applaudant strenue; qui obstinato & implacabili plebis odio *excæcati*, haud intelligunt malum hoc in ciuitate succrescere non magis in humilioris quam in honoratioris ciuium partis exitium; sed putant oppressis iis quos natura dedit aduersarios, res suas fore in tuto. Non ita se res habet, o longe à sano iudicio aberrantes homines; sed Marcii experimentum, & tempus, vos docebit, tum alieno tum vestro ipsorum periculo castigatos, agnoscere quod pullulans contra plebem tyrannis, pullulet contra totã rempublicam: quæ nunc quidẽ à nobis incipit; ceterũ postquam inualuerit, ne vobis quidẽ parcet.

Hæc vbi locutus est Decius, ceteriq; tribuni plebis addiderunt siquid ab illo prætermissum videretur, cum *iã* à consessu dicendæ essent sententiæ, primi assurgebant qui ætate & honore inter consulares antecellerent, ordine citati à cõsulibus: deinde his ætate dignitateq; proximi; postremi iuniores, nõ vt dicerent aliquid, (id enim adhuc pudori apud Romanos erat; nec vllus iuuenis sene sapientiorem se ducebat) sed vt discederent in consularium sententias. iubebantur autem quotquot aderant, quemadmodum solent in iudiciis, iurati ferre sententiam. Tunc Appius Claudius, quem supra patriciorum omnium infensissimum plebi fuisse diximus, nec vnquam pacem ei datam probasse, fieri S. C. non sinebat, locutus in hunc modum. Vellem equidem, id quod sæpe à Diis precatus sum, vt falsus essem opinione, XLIV.

quam,dum de reconciliatione plebis agebatur, habui;censens nec honestum nec iustum nec vobis vtilem fore profugorum reditum: (*quem* etiã *propterea*, quotiescumq; super hoc consultaretur primus omnium, ac postremo solus, cum à ceteris destituerer dissuasi) vtque vos P. C. qui meliora sperantes, mihi non plebi prompte concedebatis, siue iustum esset siue iniustum, intelligentiores me haberemini. nunc quoniam non vt volui atq; à Diis optaui, sed vt *tunc* metui res cecidit, gratiæque vobis in odium atque inuidiã abierunt, delictum reprehendere, vosq; in cassum cõtristare (quod & facillimum est, & fieri à plerisq; solet) omittam, cum intempestiuum esse videatur. tantum quomodo præterita corrigi possint, (quæ scilicet non sunt plane incurabilia) & præsentibus rebus melius consulatur, conabor dicere. quamuis non sum nescius fore vt multis insanire, & in mortem ruere videar, si liberam de his sententiam proferam; cogitans quam periculosa sit dicendi libertas, casumque Marcii reputans, qui nunc non ob aliam caussam currit (*vt sic loquar*) pro capite. Sed nõ arbitror securitatis propriæ maiorem habendam rationem quam vtilitatis publicæ. iamdudum enim periculis obieci corpus meum pro vobis P. C. deuotum certaminibus pro republica. itaq; quidquid fors tulerit, cum omnibus vel cum paucis, aut etiam solus, si necesse fuerit, generose perferam. ceterum quoad vixero, nihil me deterrebit quominus proferam quod sentio.

XLV. Ac primum hoc vos certo scire volo, plebem iniquo & hostili animo ferre præsentem statum reipublicæ; & quæ illi nimis indulgenter concessa sunt, periisse, vosque iam contemni eo nomine, quasi necessitate cogente largiti ea sitis, non ex animi beneuolentia iudiciove. Videte quomodo post defectionem plebis & arma contra vos aperte sumpta, cum nihil aliud quererentur nisi soluendo se non esse, vosque æris alieni remissionem, & per secessionem commissorum impunitatem decreuissetis, quod se nihil præterea postulare dicerent: quamuis pleriq; vestrum (non enim omnes ab istis consultoribus decepti erant) negarent infringendas leges quæ ad fidem contractuum pertinent, aut temere deponendam iniuriarum illarum memoriam: non contenti hac impetrata gratia, cuius vnius desiderio se aiebant

bant secessisse, confestim aliam maiorem magisq; iniquam concedi sibi petierint, & permitti vt tribunos ex suo corpore crearent annis singulis; pretexentes nostram potentiam, vt scil. iniuria oppressis pauperibus auxilium esset ac refugium; sed reuera insidiantes huic formæ reipublicæ, eamq; in plebeium regimen transmutare cupientes. Hoc quoque persuaserunt nobis consultores, vt collegium *tribunorum* admitteretur in senatum, publico reipublicæ malo, præsertim ad augendam senatus inuidiam, me (sicut procul dubio meministis) multum reclamante, testanteq; Deos simul & homines, bellum ciuile perpetuum vos in vrbem introducere, & prædicente quæ vobis iam acciderunt omnia.

Quid igitur fecit bona ista plebs postquam hunc quoq; magistratum obtinuit? non est modeste vsa hac gratia, nec reuerenter eam accepit, sed velut metu expressam à côterritis. Moxque sacrosanctum & inuiolabilem eum magistratum fieri voluit, & iureiurando securitati eius caueri; maiorem honorem postulans quam vos dedistis consulibus. Sustinuistis & hoc, stantesque super extis, iurastis in vestram & nepotum vestrorum perniciem. Quid tum fecit potita hoc quoque? Pro gratia & officio reipublicæ debito exorsa ab istis fraudibus & iniquitatibus per quas ad maiora sibi gradum faciat, inconsulto senatu leges fert, easque sine vestro consensu firmat suffragiis. Vestra decreta nihil moratur, consules incusat male tractatæ reipublicæ & siquid *præter nostram exspectationem* accidit secus quam vellemus, (vt non semper datur consiliis humanis quiduis assequi) non fortunæ (vt dixi) sed malitiæ nostræ imputat; fingensque sibi per vos insidias strui, & periculum esse ne libertate a vobis aut patria exuatur, ipsa in vos has machinas fabricare non desinit; ac satis aperte indicat, se non aliud insidiarum remedium scire, quam si prior quæ timet ipsa nobis inferat. quod cum sæpe alias multis facinoribus declarauit, vt meministis, tum vero nunc maxime, dum Marcium hunc virum bellicosum, nec nobilitate nec virtute secundum vlli nostri ordinis, obiecto crimine quod insidietur sibi & inimicas hîc contra se dicat sententias, indicta causa conata est occidere. & nisi consules indignitatem rei non ferentes, vestrumq; pars sincerior, cóglobati cohibuissetis conatus iniquissimos, vno illo die perdi-

XLVII

dissetis omnia quæ maiores tantis laboribus quæsita vobis reliquerunt, quæque vos non minori studio tuemini, dignitatem, imperium, libertatem: & qui vestrum generosiores sunt, non ferentes sine his bonis viuere, priusquam se his spoliari passi essent, amisissent animã, aut mox, aut paulo post. quid enim vetare poterat, tam fœde abrepto hoc Marcio tamquam in solitudine, quin& ego post eum perissem discerptus inimicorũ manibus, & quotquot vmquam aduersati erant aut in posterum aduersaturi videbantur iniquis plebis cupiditatibus? non enim contenta fuisset nos duos tantum sustulisse de medio, nec intra hos constitisset facinorum limites, si licet futurorum ex præteritis coniecturam sumere; sed à nobis facto initio, quidquid aduersariorum sibi obstitisset, rapuisset violenti torrentis more, inuoluissetque *vno agmine*, non nobilitati parcens, non virtuti, non ætati.

XLVII. Hanc vobis P.C. plebs egregiam gratiam pro tot maximis beneficiis, vel reddidit iam, vel reddítura erat, si non fuisset per vos cohibita. Age nunc & illud rursum considerate, quod fecit post vestrum hoc præclarum facinus & prudentissimum; vt discatis quonam modo agendum cum ea sit. Ille igitur vt animaduertit vos nõ amplius laturos suam insolentiam, sed paratos congredi, territus conquieuit: ac mox seipsum recolligens velut è crapula aut insania, à vi ad ius transiit: diemque viro dixit quasi ad iudicium, ipse futurus & accusator, & testis, & iudex, & pœnæ arbiter. cumque hic quoque resisteretis, rati non ad iudicium vocari hominem, sed ad supplicium: videns se nullius rei plenam habere potestatem, sed dumtaxat post vestra consulta sibi decernendi ius esse, posita nunc superbia quam tunc spirabat ingentem, venit ad vos oratum *vnam* etiam hanc gratiam. His sane consideratis sapite tandem, & sentite quidquid hactenus ei simplicius quam prudentius gratificati estis, totum id cessisse in vestra damna & incommoda: quoties vero generose restitistis iniquitati eius & violentiæ, secutum esse faustum exitum. Quid igitur vobis hæc scientibus suadeo? quæ est mea de præsenti negotio sententia? Quæ plebi quomodocumque largiti estis & pacis caussa cõcessistis, rata seruate, nihil eorum quæ tunc concessistis mouentes, non vt honesta & ex dignitate reipublicæ; (quî enim esse possunt?

possunt?) sed vt necessaria & incorrigibilia. Ceterum quæ extra hæc per vim & præter ius inuitis extorquere nititur, nec concedite, nec permittite; sed dictis factisque repugnate, tam vniuersi quam singuli. non enim siquis semel errauit vel precibus flexus vel vi coactus in reliquis etiam idem facere conuenit: sed prioris *offendiculi* memorem cauere oportet ne in posterum impingat similiter. atque hoc in cōmune vos omnes monitos volo, hortorque vt parati sitis iniquis plebis cupiditatibus resistere.

XLVIII. Quod vero etiam id de quo nunc agitur, ceteris eius iniustis conatibus sit simile, non iustum aut æquum, vt tribunus nos decipiens vult euincere, discite qui nondum clare perspicitis. Lex de iudiciis populi, qua Decius maxime nititur, non contra nos patricios scripta est, sed pro plebeiis vim patientibus; vt liquet ex ipsius legis verbis ambigui nihil habentibus, & confessum est apud vos omnes qui rem tenetis optime: & afferam argumentum quo omnes iuris controuersiæ probe decernuntur, tempus nouemdecim annorum ex quo lex hæc perlata est: quo toto spatio Decius non potest vllam actionem ex hac lege contra vllum patricium ostendere, vel publicam vel priuatam: aut si ait *se posse*, ostendat, & non erit opus verbis amplius. Ceterum conditiones quibus nuper plebs recepta est in gratiam (nam de his quoque oportet vos edoceri, quando eas tribunus male interpretatur) duo hæc ei concedunt, æris alieni remissionem & magistratus huius annuam designationem ad defensionem vim patientium; præterea nihil. Maximo autem argumento colligere potestis nec ex lege nec ex pacto ius esse plebi iudicandi hominem patricium, ex hoc ipso quod nunc plebs facit. petit enim à vobis hoc quod non habet hactenus. nemo vero quidquam ab aliis petierit, quod ipsi legibus est licitum. Iuri porro naturæ non scripto, ad quod nos Decius reuocat, quî consentaneum est, siue accusentur à patriciis plebeii, siue ipsi patricios accusent, iudicium esse populi; patriciorum vero lites, siue plebeios agant reos, siue ipsi rei sint, non dirimi à patriciis: & istorum conditionem vtroque modo potiorem esse, nostram neutro? Quodsi Marcius aut alius quicumq; patricius læsit plebem, & reus est mortis aut exsilii, non apud ipsos sed hîc iudicatus, pœnas ei det, vt leges postulant. nisi forte, Deci, vulgus æquus

erit iudex, & nihil sibiipsi gratificabitur contra inimicum ferens suffragia; hi vero, si committantur ipsis calculi, reum pluris facient quam læsam ab eo rempublicam, è litis eius iudicatione periurium & exsecrationes, & tum hominum odia, tum Deorum iram relaturi, ac mala cum spe vitam acturi non est æquum vt *de* senatu vos plebeii sic existimetis, cui honoribus, magistratibus, & quidquid est in vrbe præstantius, cessisse vos propter virtutem *eius* fatemini, & gratias agitis ob prompte nauatam vobis in vrbem restituendis operam. pugnant enim hæc inter se; nec consistit, vt quos laudatis, eos timeatis; & quibus maiora committitis, eis non credatis cetera. quin potius constanter eis aut omnia creditis, aut de omnibus diffiditis? nunc quos iustis consiliis capiendis idoneos existimatis, eos non satis de his ipsis consultis suis iudicare posse ducitis. Poteram Patres conscripti & alia multa de iure dicere; sed vel hæc sufficiant.

XLIX. Quoniam autem de vtilitate conatus est dicere Decius, bonam esse concordiam, malam seditionem: & si obsecundemus plebi, concordem fore ciuitatem: sin vetemus quos vult patriciorum pellere occidereque, inducturos nos bella ciuilia: cũ multa possim *ad hæc* dicere, paucis contẽtus ero. Ac primum demiror dissimulationem Decii, (non enim dicam stoliditatem) si putat vtilitatem reipublicæ melius intelligi à se qui nuper accessit ad tractanda negotia ciuilia, quam à nobis qui in eis consenuimus, & ciuitatẽ è parua magnam fecimus: deinde si persuasurum se credit, vt aliquem inimicis dedatis ad supplicium, præsertim ciuem vestrum non obscuro nec vili natũ genere, quem ipsi præstantissimum in re militari ducitis, frugique hominem, & in rebus ciuilibus tractandis nulli secundum. Atque hæc ausus est dicere, cum sciat vos *semper* maximum habere respectum supplicum, ac ne hostibus quidem huc confugientibus hanc humanitatem claudere. Quodsi contrariam de nobis opinionem habuisses, Deci, esse nos impios in Deos, iniustos erga homines, quod aliud facinus consulere potuisses grauius, quod nos Diis hominibusque exosos radicitus perderet? Non opus est nobis te consultore Deci, nec de ciuibus dedendis, nec de aliis rebus per nos agẽdis: nec putamus externa prudentia hominis iuuenis decei nẽdum

dum nobis quid sit in rem nostram; qui vsque ad hoc ætatis multa experti bella, tum prospera tum aduersa, etiam minas istas quibus non nunc primum à vobis territamur, sed & ante sæpe *cum à vobis tum* à multis *aliis* appetiti sumus, intrepide, *sed* non consueta *fortassis* lenitate, feremus. & si dictis addideritis facta similia, defendemus nos Diis iuuantibus, qui in belli iniusti auctores vindicant; nec deerũt nobis auxilia hominum à sociis nam & Latini omnes, quibus nuper æquale ciuitatis ius dedimus, pro nobis stabunt, ac pro hac vrbe vt communi iam patria decertabunt; & tam multæ bonæque coloniæ ex hac vrbe deductæ, modis omnibus annitentur vt incolumis maneat vetus patria, defensa ipsorum quoque viribus. Quodsi necessitatem nobis imposueritis opem vndecumque corrogandi, sustinebimus Deci, & seruos ad libertatem, & hostes ad amicitiam vocare; omnibus denique hominibus ad communia victoriæ præmia inuitatis, vobiscum congredi. Quibus *subsidiis* ne opus sit, faxit Iupiter Diique ceteri qui vrbem Romam tenent, vtq; intra verba tantum hic rerum horror consistat, nec quidquam inde sequatur durius.

Hæc Appius. At Manius Valerius senatorum popularis maxime, cuius studium in reconciliandis partibus plurimum *semper* enituit, aperte plebi tunc quoque patrocinatus est meditata oratione castigatis iis qui ciuitatem *scindendo* vnam non esse sinerent, sed plebem à patriciis diuiderent, leuibusque de caussis ciuilia bella rursus excitarent. L.
laudabatque eos qui vtilitatis publicæ respectu omnia cõcordiæ posthaberent: docens si iudicium plebi, vt postulat, permittatur, & hæc gratia ei à senatu volente detur, forte non processuram ad exitum, sed contentam deditione, æquius quam durius consulturam de deditito. Quodsi tribuni litem legitimo iudicio decidi omnino velint, plebem, si calculus ei permittatur, absoluturam reum virtutis eius reuerentia, quando recens etiamnum sit memoria multorum ac præclarorum ipsius facinorũ, relaturamq; senatui pro cõcessa sibi potestate hanc gratiã, proq; facilitate in cõcedẽdis quibuslibet postulatis, modo nõ sint iniqua. Suadebat tamen senatum aduocatorum fungi officio, & adesse causam dicenti homini simulq; consules, totũ senatum, patriciosq; ceteros, frequenti cœtu plebẽ deprecari, nequid in

reum statuat seuerius: id non parui momenti fore ad salutem periclitantis. nec per se tantum reo fauendum, sed per clientes etiam & amicos, ac deuinctos beneficiis plebeios homines; gratiamque dudum debitam hoc suffragiorum tempore ab eis reposcendam. Futurum etiam *hic* magnũ vsum amantium reipublicæ improbitatique infensorum ciuium, quorum non exiguus in plebe sit numerus: ac maiorem etiam eorum qui indolescunt humanis miseriis, & miserari norũt viros honoratos siquando labascant eorum fortunæ. Sed maxima eius orationis pars ad Marcium versa est, miscens monitis preces, & necessitatem precibus. Rogabat enim, quandoquidem ipse haberetur caussa dissidii senatum inter & plebem, & tyrannici animi opinione grauaretur propter ingenium arrogantius, omnesque metuerent ne propter ipsum orta seditione ciuile bellum sequeretur, & calamitates quas id secum solet trahere: ne fidem calumniatoribus suis astrueret, dum de pristina vitæ ratione ciuibus inuisa nihil mutat; sed vt sumpto reorum habitu, eorum sese permitteret potestati, quos læsisse diceretur, & iniuste obiectum crimen iusta defensione dilueret. id & ad salutem eius esse tutissimum & ad gloriam cuius amore teneatur splendidissimum, & superioribus ipsius gestis consequens. sin autem ferociam modestiæ præferat, & periculum suum totum in senatum reiiciat, fore vt ex hac contentione victi discedant cum iniuria, victores cum ignominia. Hic vero multus erat in mouendis affectibus, recensens calamitates maximas & fama celebratas, quæ vrbibus per seditiones accidissent.

LI. Hæc differens cum multis lacrymis, non simulatis sed veris, vir ætate ac virtutis dignitate in primis venerandus, vt vidit senatum oratione flecti, audacius iam locutus est. Quod si *hoc*, inquit, aliqui vestrum terrentur, Patres conscripti, putantque malum in vrbem introduci morem, si plebi contra patricios calculum permittatis, ac verentur ne tribunorum potentia magno *reipublicæ* malo crescat, discant se falli opinione, & contra quam conuenit credere. Vix enim aliud est vtilius ad salutem huius reipublicæ, tuendamque libertatem eius & potentiam, atque concordiam conseruandam, quam assumi plebem ad *publica* negotia; & administrationem rerum ita temperari,

rari, vt nec penes paucos *quosdam optimates*, nec penes *solam* plebem sit imperium, sed mistum ex his instituatur regimen, id vero summe nobis proderit. Nam facillime ad iniurias & iniquitates prolabitur vnaquæque ex prædictis reipublicæ formis, si per se sola sit. quodsi mediocriter misceantur, pars quæ consuetum ac decentem modum excedere videbitur, in ordinem cogetur ab altera magis sobria retinenteq; mores pristinos. nam regia potestas ad sæuitiam inclinata & superbiam, paulatimque in tyrannidem degenerans, à paucis & optimatibus conuellitur. Ceterum paucorum potentia penes optimates sita, sicut nunc penes vos, vbi diuitiis & factionibus elata, iustitiæ ceterarumque virtutum nullam rationem habuerit, plebis prudentia corrigitur. Plebs ipsa vbi à modesto & legitimo regimine ad immodestam & iniquam dominationem deflectere cœperit, ab *vno quopiam* optimo viro compescitur, & vi retrahitur ad officium. Vos autem P. C. satis prouidistis ne regia potestas vertatur in tyrãnidem. pro vno enim, duobus commisistis reipublicæ gubernacula: neq; his infinitum sed annuum imperii tempus præscripsistis: & nihilo minus addidistis eis custodes trecentos viros, ætate & virtute inter patricios eminentes; ex quibus senatus iam constat. vobis autem ipsis, ne ab officii limitibus discedatis, nullam hactenus (vt videtur) adhibuistis custodiam. Ac quamquam vobis non timeo ne nimia felicitate corrumpamini, qui nuper ciuitatem liberastis à diutina tyrannide, & nondum nacti estis otium ad insultandum illudendumve aliis propter continuatam bellorum seriem: attamen dum posteritatem vestram cogitatione præcipio, quantasque mutationes longum æuum afferat, vereor ne quando potentiores senatores nouatis rebus imprudenti ciuitati tyrannicam dominationem ingerant. Ergo si & LII. plebem ad rempublicam admiseritis, nihil hinc nascetur mali: sed si quis exstiterit qui velit plus posse quam alii, & in senatu aliquam factionem in hoc sibi parauerit. (oportet enim prospicere omnia quæ ciuitati accidere est verisimile) die per tribunos dicta cogetur magnus ille vir & venerabilis rationem factorum & cogitatorum reddere vili ac humili plebeculæ: & si conuictus fuerit maleficii, pœnas dabit meritas. Ipsa porro plebs ne petulanter lasciuiat

tantam nacta potestatem, neve improbissimorum hominum instinctu infestet optimates, (solet enim in vulgo tyrannis subolescere) cauebit id & licentiam nimiam comprimet vir aliquis prudens dictator à vobis dictus: qui pro potestate libera vitiosam partem è ciuitate tollendo, incorruptum seruabit reliquum: & correctis moribus ac vitæ legibus, creatisque magistratibus qui prudentissime regant rempublicam, expletis intra semestre imperii partibus, priuatus erit denuo, nihil præter honorem ex ea lucratus. Considerantes igitur huiuscemodi formam reipublicæ optimam esse, nolite arcere plebem: sed sicut quotannis magistratus vrbanos creat, legumque tum sanciendarum tum abrogandarum, & pacis bellique decernendi potestatem à vobis accepit, & nihil horum penes solum senatū est, cum nulla maiora nec potiora sint ciuitatis negotia: sic eam ad iudicia quoque admittite, præsertim in caussis quæ ad rempublicam attinent, vbi quis motæ seditionis, aut tyrannidis affectatæ aut proditionis cum hoste tractatæ aut similium criminum reus agitur. Quanto enim maiorem terrorem proposueritis legum transgressoribus & morum corruptoribus, adhibendo iniustis cupiditatibus multos oculos & obseruatores, tanto melius constitutam habebitis rempublicam. Hæc & alia quædam in hanc sententiam

LIII. locutus desiit. quæ quotquot post eum rogati sunt, paucis exceptis, approbauerunt. Cumque iam scribendum esset S C. Marcius impetrata dicendi copia, sic exorsus est: Quomodo me P C. gesserim in hac republica, & quod propter meam erga vos beneuolentiam in hoc periculum deuenerim, quamque maligne præter spem fauor vester ei respondeat, scitis omnes, & scietis melius vbi negotium meum ad exitum peruenerit. Sed quoniam vincit Valerii sententia, fausta sint ea vobis, meaque de futuris vana sit coniectatio. Ceterum vt & vos qui S C. scribitis, sciatis quibus conditionibus plebi dedendus sim; & ego norim qua de re pericliter, iubete tribunos coram dicere quodnam sit maleficium cuius me accusare parant, & quodnam accusationi nomen inscribant. Hæc ille: ratus se ob ea verba quæ in senatu dixerat, accusatum iri, & volens tribunos profiteri se hac de caussa illum accusaturos. At tribuni communicato inter se consilio, crimen tyrannidis

nidis affectatæ obiecerunt, iusseruntque vt ad id responsurus veniret in iudicium, nolentes crimen in simplicem caussam includere, eamque nec validam, nec gratam senatui; sed astruentes sibi licentiam accusandi pro libito, simulque senatum, quo minus Marcio patrocinaretur, deterrituros se putantes *atrocitate criminis & inuidia*. Tum Marcius: Si ad hanc calumniam respondendum est, permitto me iudicio populi, nec in mora sum quin S. C. scribatur. Eius criminis reum agi gratum fuit plerisque senatorum, duobus nominibus: tum quia non postulabatur vt senator sententiæ à se in consessu dictæ rationem redderet; *id quod alias non caruisset inuidia*: tum quia facile sperabatur diluiturus hunc calumniam, vir in omni vita frugi & irreprehensibilis. Post hæc S. C. fit de hac lite, & spatium reo ad defensionem meditandam prorogatur in trinundinum. Nundinæ autem Romæ nono quoque die celebrabantur, vt nunc etiam. Iis nundinis plebs agrestis in vrbem confluebat, venaliaque permutabat, & iure inter se agebat, & suffragia ferebat de negotiis publicis, de quibus vel leges ei permitterent arbitrium, vel senatus ad eam referret: *reliquis* septem diebus intermediis ruri degebat, quod magna pars ob paupertatem operarentur suis manibus. Ceterum tribuni accepto S. C. progressi in forum, populum in concionem aduocarunt; prolixeque laudato senatu, lectoque eius decreto, diem dixerunt qualis decidenda esset, ad eamque iusserunt omnes ciues adesse, cognituros de rebus maximis. His diuulgatis vtrique se magno studio ad id negotium instruebant: plebeii, vt vindicaturi in hominem arrogantissimum, patricii, *annitentes* ne optimatium propugnator in inimicorum manus veniret: vtrisque omne vitæ libertatisque suæ ius ex huius iudicii euentu pendere arbitrantibus. Vbi vero affuerunt tertiæ nundinæ, agrestium turba, quanta numquam antea in vrbem confluxerat, summo mane forum occupauit. tribuni multitudine conuocata ad tributa comitia, loca fori funiculis distincta cuique assignauerunt tribui: ac tunc primum populus Romanus tributis comitiis viritim tulit suffragia, multum reclamantibus patriciis ne id fieret, & centuriata ex more fieri postulantibus. Superioribus enim temporibus, quoties populus ex

LIV.

LV.

permiſſu ſenatus quacumque de re laturus eſſet ſuffragia, per conſules vocari ſolebat ad centuriata comitia, peractis prius ſolennibus quibuſdam ex lege ſacris; quorum nonnulla etiam noſtro fiunt tempore. conueniebatque multitudo ante vrbem in campum Martium ſub ſignis cum ſuis centurionibus, non ſecus ac in militia. calculos autem ferebant non *vna* omnes, ſed per ſuas quique centurias, nec niſi vocati à conſulibus. Cumque in vniuerſum eſſent centum nonagintatres centuriæ, in ſex claſſes diuiſæ, prima vocabatur ad ferenda ſuffragia cuius cēſus erat maximus, quæque primum obtinebat in bellis ordinem: in qua cenſebantur equitum octodecim centuriæ, octuaginta peditum. Poſt hanc ſuffragia ferebat claſſis cenſu minor, ſecundum in acie locum occupare ſolita; nec perinde armata vt prima acies, ſed *aliquanto* leuius: conſtabatq; hæc multitudo viginti centuriis: quibus attribuebantur duæ fabrorum lignariorum & ærariorum, aliorumque bello vtilium opificum. Tertia claſſis *& ipſa* viginti centuriarum, vt ſecunda; ſed cenſu minor, armaturaque leuior, locum poſt illam tenebat ordine proximum. Quarti deinceps vocabantur, qui vt cenſu *proximis* inferiores erant, ita tutiorem in acie locum obtinebant, & expeditiorē gerebant armaturam. hi quoq; viginti centurias explebant, & attributas habebant duas centurias buccinatorum tubicinumque. Quinto loco vocabatur claſſis minimi cenſus, quæ fundis armabatur & iaculis. hi nullum in acie locum habebant, ſed *velut* expedita manus & velitationibus tantum apta, ſequebantur legionarios, in triginta diuiſi centurias. Egentiſſimi autem ciuium non pauciores reliquis omnibus, vltimum habebant ſuffragium, in vnam *omnes* reiecti centuriam. hi & à collatione tributorum, quæ pro cuiuſque cenſu ſolebat fieri, & à delectibus immunes, militiam non ſequebantur niſi voluntarii; iis de cauſſis auctoritatis in ſuffragando minimæ. Ergo ſi primæ claſſis nonagintaocto centuriæ conſentirent, hoc eſt equites & maximi cenſus pedites, finis erat ſuffragiorum, nec vocabantur reliquæ nonagintaquinque. quod ni fieret, ſecunda claſſis viginti duarum centuriarum vocabatur; poſt tertia, & reliquæ deinceps, donec conſentirent nonagintaſex centuriæ. ac pleræque controuerſiæ primarum claſſium ſuffragiis

giis decidebantur; ita vt non amplius esset opus vltimis: sed rarissime incidebat tanta ambiguitas, vt deueniretur ad vltimam inopum centuriam; quę diuisis *bifariam* prioribus centum nonaginta duobus centuriis, alterutri parti accedens, eam suo momento præponderare faceret, suoque suffragio controuersiæ finem imponeret. Itaque Marcii fautores poscebant *centuriata* comitia, in quibus pro censu ferebantur suffragia; sperantes fore vt à primæ classis nonaginta octo centuriis absolueretur; vel saltem à secundæ tertiæve classis cẽturiis. Tribuni vero idem suspicantes, tributa comitia maluerunt cogere, eisque iudicium cõmittere, ne vel opulenti egenos prærogatiua vincerent, vel classici proletarios; neve plebs in extremam reiecta classem excluderetur à suffragiis; sed omnes calculi & honoris iure inter se æquarentur, atque vna tributim ad suffragia vocarentur. Videbanturque æquum postulare, quod populi iudicium penes plebem potius esse debeat quam penes factionem optimatum, & læsæ reipublicæ crimen ad omnium cognitionem pertineat. Id cum ægre LVI. obtinuissent à patriciis, iamque caussam dici oporteret, primus Minucius consul ascenso *suggestu* exposuit quæ à senatu in mandatis habebat: exorsusque à commemoratione beneficiorum quæ plebs à patriciis accepisset, pro tam multis & egregiis meritis, *senatus nomine* vnam à plebe gratiam, ipsis *tunc* necessariam, & reipublicæ bonam *atque commodam*, repoposcit. post hæc adiicit multa in laudem pacis & concordiæ, recensens quantas felicitates ambæ ciuitatibus afferant; è contra discordiam damnans bellaque ciuilia, quibus & vrbes excisæ sint vna cum suis ciuibus, & nationes integræ internecione deletæ. oratque ne iræ indulgentes deteriora sequantur, neglectis potioribus; sed sobria cogitatione in futurum prospiciant: & cum agatur de re maxima, non nequissimi cuiusque ciuis consilium sequantur, sed virorum optimorum, à quibus sciant pacis bellique temporibus plurimum adiutam patriam, de quorum fide, quasi mutarint ingenium, dubitare non deceat. Summa orationis eo tẽdebat ne suffragia ferrent contra Marcium, sed, si fieri posset, *propter ipsius virtutem* virum absoluerent, memores quomodo sit meritus de republica, quotque egregia & præclara facinora in bel-

lis pro libertate atque imperio populi Romani ediderit. nec esse bonorum virorum officium, vt contra ius ac fas, plus apud se valere sinant verba eius inania quam tot benefactorum gratiam. honestam etiam absoluendi occasionem eis obtigisse; quando ille se vltro aduersariis præbeat, acquieturus in illorum de se iudicio. sin autem cum illo in gratiam redire nequeat, sed implacabile in eum gerant odium, respiciant *saltem* depreca tem pro eo senatũ, trecentos viros totius ciuitatis optimos, flectanturque ac moueantur animis, nec propter vnius inimici pœnam tot amicorum preces repellant, sed in tot bonorum virorum gratiam vnius viri caussam negligant. Hæc & his similia locutus, postremo hanc orationi adiecit clausulam: si suffragiis suis eum absoluerint, fore vt reum propter innocentiam absoluisse æstimentur: sin iudicium ei remiserint, fore vt deprecatoribus eum donasse videantur.

LVII. Vbi Minucius desiit, Sicinius tribunus prodit *in medium*, aitque nec se proditurum libertatem populi, nec sponte passurum vt prodatur ab aliis: sed si patricii hominem serio ad populi iudicium sistant, daturum se populo calculos, nec aliud facturum præterea. Tum Minucius: Quandoquidem, tribune, suffragiis hominem submittere omnino vultis, intra criminis limites stet accusatio: & quando eum tyrannidem affectare insimulastis, hoc *crimen* edocete, eiusque afferte argumenta. Verba autem illius quæ ad senatum contra plebem fecit, vt dicitis, nec memorate nec accusate. nam quod ad hoc attinet, ex senatus decreto absolutus est, & de certo crimine caussam apud populum dicet. His finitis S C. legit, atque ita protestatus descendit. Tum primus tribunorum Sicinius accusationem meditata atq; accurata oratione pertexuit, quidquid vmquam reus contra plebem fecerat aut dixerat, ad tyrannidis affectationem referens. Post eum perorarunt qui plurimum inter tribunos poterant. Deinde vbi vices dicendi venerunt ad Marcium, exorsus inde ab adolescentia sua, recensuit quoties militauerit pro republica, quot victrices ab imperatoribus coronas acceperit, quot hostes viuos ceperit, quot ciues in prœliis seruauerit, & ad singula dicta ostendebat fortitudinis præmia, imperatores testes citabat, & ciues seruatos vocabat suo quemque nomine. qui *vocati*, aderant,

tant, lamentantes, rogantesque suos ciues, ne auctorem suæ salutis vt hostē perderent, vnamq; pro multis animam reposcentes, & seipsos dedentes pro eo mulctandos quo modo liberet. horum pleriq; plebeii erant bene de republica meriti; quorum aspectum & preces reuerita plebs, mouebatur ad miserationem & lacrymas. Vt vero etiam Marcius scissa veste pectus cicatricibus oppletum ostendit, & pari modo affectas ceteras partes corporis, *rogitans* num putent eiusdem esse populum in bello seruare, & seruatum in pace perdere: & *qui consistat vt idem aliquis dicatur* tyrannidem affectare, & plebem ex vrbe pellere, per quam præcipue solet tyrannis coalescere & foueri: nondum loqui desierat, cum mitior & bonorum virorum amantior plebis pars acclamabat absoluendum hominem; pudendum existimans vel hoc ipsum, quod huiusmodi criminis reus ageretur vir qui toties vitam suam contempsisset pro salute omnium. Ceterum qui erant LVIII. ingenio inuido probisque infenso, & ad quaslibet seditiones facillime impellebantur, ægre adduci poterant vt virum absoluerent: nihil tamen aliud facere poterant, cum nihil in eo inuenirent quod in tyrannum vel insidiatorem competeret; de quo crimine *tunc* ferendus erat calculus. Quod vbi animaduertit Decius ille qui apud senatum verba fecerat, atque effecerat vt S C. de hoc iudicio scriberetur, surrexit, & indicto silentio *sic* locutus est: Quoniam Marcii verba Quirites in senatu dicta, quæque inde facta violenta & superba consecuta sunt, absoluunt patricii, ac ne nos quidem accusare permittunt, audite quodnam facinus egregius hic vir præter verba illa perpetrarit, quam arrogans & tyrannicum; & qualem vestram legem homo priuatus violare ausus sit, discite. Scitis nimirum omnes, prædam ex hostibus nostra virtute partam legibus addici populo, & ne ducem quidem exercitus in eam ius habere, nedum priuatum aliquem; sed quæstori eam tradi, vendique, & pecuniam referri in ærarium. Hanc legem nullus ab vrbe condita, non dicam violauit, sed ne reprehendit quidem, excepto vno hoc Marcio: qui contempta eius auctoritate solus nos Quirites publicis fraudare spoliis ausus est, non pridem, sed superiori anno *proximo*.

Cum enim excursionem fecissetis in agrum Antiatem, & multum mancipiorum, pecorum, frumenti, aliarumque rerum acquisiuissetis, ille nec quæstori hæc obtulit, nec ipse vendidit & pretium in ærarium retulit; sed totam prædam suis amicis dilargitus est. Hoc equidem facinus argumentum aio tyrannidis: quid ni? cum adulatores suos & satellites futuræque tyrannidis assertores publica demeritus sit pecunia. eoque facto aperte violatam esse legem assero Alterutrum igitur demonstret Marcius, aut prædam ex hostibus captam se non diuisisse amicis suis; aut factum quidem, sed saluis legibus: quorum neutrum apud vos dicere poterit. nam vtrumque ipsi scitis, & legem & factum; nec potestis nisi contra leges & iusiurandum *hunc* absoluere. Omissis igitur coronis, præmiis fortitudinis, cicatricibus, ceterisque præstigiis, ad hæc responde Marci. iam enim tibi de his dicendi locum facio.
LIX. Hæc accusatio magnam inclinationem fecit in partem alteram, nam qui prius æquiores ei fuerant, eumque absoluere gestierant, his auditis fauebant remissius. at maligna turba, quæ plebis erat pars maxima, hominem modis omnibus perditum cupiens, tanta tamque luculenta occasione arrepta, magis etiam ad id faciendũ incitabatur. Verum enim erat de præda diuisa, licet non malo animo factum esset, nec ad struendam tyrannidem, vt calumniabatur Decius; sed optimo animo, vt publicis malis *ea re* afferretur remedium. cum enim plebs adhuc dissideret à patriciis, hostes audaciores ob eam rem facti, crebras in agrum Romanum faciebant excursiones, multasque inde prædas abigebant; & quoties senatus vellet copias emittere quæ arcerent, nullus plebeiorum exibat, sed alienis malis gaudebant, cladem que negligebant: nec patriciorum manus ad repugnandum per se satis erat valida. quo animaduerso Marcius promisit consulibus, si se ducem facerent, exercitu voluntariorum educto breui se pœnas sumpturum de hostibus. qua potestate impetrata, conuocauit clientes, & amicos, & siqui alii ciues è bellica ducis virtute ac felicitate sperarent aliquid emolumenti. cumque iam videretur habere circa se manum satis validam, ex improuiso hostes inuasit. factaque irruptione in agrum refertum magna bonarum rerum copia,

copia, numerosa præda potitus, permisit milites inter se totam partiri; vt qui se operi addiderant socios, percepto laborum fructu, promptiores ad alias expeditiones fierent; contra qui per pigritiam domi manserant, videntes quantis commodis seipsos propter seditionem priuauissent, in posteras expeditiones sibi cauerent prudentius. Atque hæc tum fuit mens hominis. Vulgus autem subdolum & inuidum maligne interpretabatur factum hoc, vt largitionem tyrannicam, qua sibi conciliaret multitudinem. Quapropter clamoribus ac tumultu totum forum perstrepebat, nec Martio ad hęc respondere valente nec consule, nec vllo alio; vt inopinato & inexspectato sibi crimine obiecto. Porro cum nemo amplius responderet, tribuni inscripta liti perpetui exsilii mulcta, permittebant tribubus calculum; veriti opinor, ne, si capitalem ei pœnam irrogassent, non damnaretur à populo. Perlatis deinde suffragiis, & dinumeratis calculis, non magna exstitit differentia. cum enim vna & viginti tunc tribus essent quibus datus erat calculus, a nouem absoluebatur Marcius: quibus si accessissent duæ, æquatis suffragiis, absolutus fuisset legitime.

Marcius damnatus, & iudiciũ plebi concessum in patricios.

LX.

Hæc fuit prima patricii hominis ad caussam apud populum dicendam citatio: & ex illo tempore morem sibi fecerunt tribuni quibuscumque liberet ciuibus diem ad populum dicere: vnde maximum incrementum potestas plebis habuit; & contra optimatum factio maximum pristinæ dignitatis accepit detrimentum, admissis plebeiis hominibus in senatum, ad magistratus & sacerdotia aliosque primarios honores, qui *ante* solis patriciis peculiares fuerant: quos plebi communicarunt, partim inuiti & necessitate coacti partim sapienti consilio inducti, vt dicetur suo tempore. Ceterum mos iste vocandi potentiores in iudicium populi, multam præbere materiam potest eum vel laudare vel vituperare volentibus. nam multi boni & honesti viri haudquaquam pro virtutum meritis improbe ac nefarie à tribunis vita spoliati sunt: econtra multi qui superbo ac tyrannico essent ingenio, coacti vitæ ac studiorum rationem reddere, pœnas luerunt meritas. quod quoties recto iudicio fieret, legitimeque supprimerentur elati magnatum spiritus, magna & mirifica res visa est, & laudata est ab omnibus. quoties autem virtus in reipublicæ ad-

ministratione spectata, per inuidiam iniuste tolleretur, reliquis id graue videbatur, morisque auctores incusabantur: acciditque iam sæpenumero, vt *senatus* Romanus deliberans satiusne esset eum abrogare, an finere vt erat relictus à maioribus, nullum consilio finē imposuerit. Quod si & mihi de tantis rebus mea interponenda est sententia, videtur mihi mos ipse, si per se examinetur, vtilis, & reipublicæ Romanæ summe necessarius; sed qui magis minusve commodus fuerit pro tribunorum ingeniis. nam quoties hæc potestas incidit in viros iustos & moderatos, amantioresque patriæ quam vtilitatis propriæ, supplicio perniciosis reipublicæ ciuibus pro meritis irrogato, ceteri à similibus conatibus deterriti sunt: boni autem viri, & optimo animo ad rempublicam accedentes, tutì fuerūt à probroso iudicio & alienis ab instituto suo criminationibus. quoties vero nequam & intemperantes auarique homines adepti sunt istam potestatem, fecerunt his contraria. Quapropter non opus fuit morem corrigere vt vitiosum, sed in creandis plebis præsidibus delectum bonorum virorum habere, & non temere cuiuis rem tanti momenti committere.

LXI. Atque hic fuit seditionis exitus, quæ prima post pulsos reges ex caussis iam dictis Romæ exstitit. Prolixior autem in hac narratione fui, nequis miretur quomodo patricii tantam potestatem plebi permiserint, cum neque cæsi neque pulsi fuerint optimates, vt in aliis sæpe ciuitatibus accidit. Nam vnusquisque, dum aliquid præter opinionem audit, cupit caussam eius discere: nec alias fidem habet narrationibus. Cogitabam igitur parum me aut nihil impetraturum fidei, si hoc tantum dixissem, patricios plebi suam permisisse potentiam: & cum possent per optimates rempublicam gubernare, plebi commisisse maximarum rerum arbitrium; caussas porro cur id concesserint, omisissem. eapropter omnes recensui. Et quoniam ea mutatio non vi & armis expressa est, sed verbis impetrata & rationibus, necessarium duxi ante omnia ponere ipsas orationes, quibus tum vsi sunt vtriusque factionis principes. Ac miror si qui res bello gestas accuratissime describendas existimant, & nonnumquam vno prœlio plurimum verborum impendunt, locorum naturas, armorum proprietates, modum quo acies instructæ fuerint, ducum adhortationes, ceteraque

que denarrantes quæ alterutris victoriam pepererint: dum vero seditiones & ciuiles motus produnt, non opus putant orationes commemorare, quarum in admirabilibus negotiis conficiendis tam inopinata fuerit efficacia. Vix enim aliud est in tota Romanæ reipublicæ ratione æque dignum laude atque adeo imitatione omnium hominum, mea quidem opinione, ac mira illa & præclara ciuilitas; vt neque plebs contemptis patriciis, editaque maxima optimatium cæde, omnem eorum potentiam sibi vsurpauerit; neque viri dignitate præminentes plebem vniuersam vel suis opibus, vel externis auxiliis oppresserint, vt vrbem in posterum siue metu tenerent: sed non aliter ac fratres cum fratribus aut liberi cum parentibus in bene instituta familia, de æquo iure disceptantes, verbis & rationibus controuersias diremerint, nunquam progressi ad immania facinora cladesque immedicabiles; qualibus se *alii populi* per seditiones confecisse memorantur, *vt* Corcyræi, Argiui, Milesii, totaque Sicilia, & aliæ ciuitates multæ. Hæc est caussa cur diligentius quam compendio narrare ista maluerim: iudicium esto cuique liberum.

Ergo vbi lis hunc exitum habuit, plebs dimissa dementes sumpsit spiritus, existimans se iam conuulsisse optimatium potentiam: patricii vero, deiectis vultibus & animis, incusabant Valerium, cuius suasu plebi iudicium permiserant. Marcius cum multorum lachrymis & gemitibus domum deductus est: ipse ad eum casum nec gemitum edidit, nec aliud quidquam magnanimitate sua indignum vel dixit vel fecit. sed maiorem etiam animi generositatem & constantiam præ se tulit ingressus ædes, cum videret vxorem matremque scissis vestibus plangentes pectora, & (vt fieri solet cũ coniuges à carissimis necessitudinibus auellũtur morte vel exsilio, aliisue similibus calamitatibus) vociferantes: nihil motus lamentis ac lachrymis mulierum, tantum vale dixit eis, & forti animo infortunium ferre iussis cõmendauit filiolos: quorũ grandior expleuerat decenniũ, minor in vlnis etiamtum gestabatur. alias nihil immoratus affectibus, nec sũptis vllis exsilio necessariis, properauit ad portã nemine sciente quo tenderet. Paucis deinde diebus post comitiorũ tẽpus rediit, & cõsules à populo facti, Quintus Sulpicius Camerinus, & Spurius Largius Flauus ite-

LXII.

LXIII. *A.V.C.264 conss. Q. Sulpicio & Sp. Largio varia prodigia.*

rum. *Eo anno* vrbs multis diuinitus territa est ostentis. nam & spectrorum insolitæ facies multis obuersatæ sunt, & exauditæ voces nemine apparēte qui loqueretur; hominumque ac pecudum fœtus è naturali *forma* in plane monstrosam atque incredibilem *speciem* degenerabant: multisque locis edebantur oracula, & mulieres afflatu diuino instinctæ, terribilem ac miserabilem vrbi fortunam prædicebant. sed & morbus quidam pestilens vulgus tentabat, magno pecorum interitu. hominum tamen mortes crebræ non erant; nec vltra morbos procedebat calamitas: aliis Deorum hanc indignationem esse interpretantibus, quod virum optimum eiecissent è patria: aliis nihil horum ad Deos referentibus, sed fortunę & hos & ceteros hominum casus omnes imputantibus. Tandem venit ad senatum quidam Titus Latinus, ægrotus, lectica delatus; vir senior, & satis amplarum facultatum dominus, ceterum ruri plerumque degere & manibus opus facere solitus. Is introductus in senatum aiebat visum sibi per somnum adstitisse Iouem Capitolinum, ac dixisse, I Latine, dic tuis ciuibus, eos mihi proxima *ludorum* pompa haud bellum dedisse præsultatorem: vt ludos illos instaurent, & denuo celebrent *rectius*. eos enim non acceptaui. Se experrectum nihili fecisse somnium, vt vnum è vulgaribus atque inanibus. sed denuo sibi dormienti obuersatam eandem Dei speciem, indignantis quod iussa non retulisset ad senatum, minantisque, ni cito id faceret, fore vt magno suo malo desceret numina contemnere. De hoc secundo somnii viso se eandem habuisse opinionem, simulque visam sibi rem pudendam vt homo rusticus & senex apud senatum denarraret superstitiosa somniorum terricula, & risum forte moueret. nec multis diebus post, repente amisisse filium iuuenem & elegantem, nec morbo vllo, nec alia quapiam *interitus* caussa manifesta raptum. Deique speciem sibi rursus in somnis oblatam indicasse, neglectum contemptumque monitorum diuinorum partim iam luitum esse amissione filii, partim breui post *alius pœnis* luendum esse. Quibus auditis, se gauisum si mors instaret iam vitæ saturo. At Deum non hanc sibi pœnam inflixisse, sed in omnia corporis membra dolores immisisse intolerabiles, vt nullos artus mouere possit absque cruciatu grauissimo. ac tum

Præsultator haud bellus.

tum demum se amicos in consilium adhibuisse, eorumque iussu *nunc* in senatum venisse. Dum hæc narraret, videbantur dolores paulatim se remittere. vbi vero narrationem absoluit, surgens è lecticula, inuocato Deo, pedibus suis per vrbem domum sanus rediit.

LXIV. At senatum metus inuasit, attonitis omnibus, nec valentibus coniicere quidnam sibi Deus vellet, quisve esset ille pompæ præsultator, qui haud bellus Deo visus esset. Tandem quidam ex illis factum recordatus edisserit, attestantibus ceteris. id erat huiusmodi. ciuis quidam non obscurus seruum *damnatum* conseruis tradiderat ducendum ad supplicium: & quo magis conspicua pœna esset, per forum ceteraque insignia vrbis loca trahi eum flagrisque cædi iusserat, ante *ludorum* pompam quam ciuitas tunc Deo traducebat. porro qui seruum illum ad supplicium abduxerant, expansis ambabus manibus, lignoque ad pectus eius & humeros alligato, quod vsque ad iuncturas vtriusque manus pertingeret, vinctum sequentes, flagris nudum incesserant. Is in tali necessitate constitutus, diras voces & clamores emiserat, quos dolor expresserat, & gestus ad flagra ediderat indecoros. Hunc igitur omnes accipiebant à Deo significari saltatorem haud bellum.

LXV. Quoniam autem ad hanc narrationis partem ventum est, non opinor silentio prætereundum quomodo hi ludi fiant, non vt ad theatricam venustioremque appendicem & ad floridius orationis genus exspatietur narratio, sed vt seriæ cuiusdam rei fidem faciam; videlicet gentes quæ prime domicilia Romæ coniunxerũt, Græcanicas fuisse, illustrissimorumq; populorum colonias, non (vt quidam opinantur) vagas & barbaras. Pollicitus sum enim in fine primi libri, quem scripsi de huius gentis originibus, confirmaturum me hoc argumentis innumeris, in medium productis eorum priscis moribus, legibus & studiis, quæ retinent vsq; ad nostra tempora, sic vt *per manus* acceperunt à maioribus: existimans scribentibus antiquitates regionis alicuius, non satis esse si in eis percensendis sequantur fidem indigenarum, sed opus etiam esse multis & irrefragabilibus testimoniis, si fidem mereri velint: inter quæ primum & præcipuum locum tribuo ceremoniis quæ cuique populo in colendis Diis & geniis sunt patriæ. Has enim iam diutissi-

Ludi, e quibus & ipsis liquet Romanorum progenitores non fuisse barbaros.

me seruat tum Græca tum barbara natio, nec quidquam in eis censet immutandum iræ diuinæ metu: potissimum vero barbari; idque multas ob caussas, quas nunc referre tempus non sinit; nec longa temporum serie adduci potuerunt hactenus vt cultum Deorum, quorum orgia patrio ritu celebrant, dediscere aut aliqua ex parte immutare voluerint vel Ægyptii, vel Afri, vel Galli, vel Scythæ, vel Indi, aliave vlla gens barbara; nisi forte in alienam potestatem redacta, & coacta victoris ritus recipere. Ceterum populus Romanus nunquam eam fortunæ iniquitatem expertus est, sed ipse semper aliis iura reddidit. Ergo si barbarici fuissent generis, tantum abfuisset vt mutassent prima sacra ritusque vernaculos, ob quæ ad tantam felicitatem peruenissent, vt ea potius in omnes gentes subditas inuexissent, illisque sui cultus leges præscribendas censuissent: nec vetuisset quidquam quin per Romanos, si fuissent barbari, tota Græcia in barbariem esset versa, quæ iam septimam ætatem illorum imperio tenetur. Alius forte contentus fuisset ex præsentibus populi Romani exercitiis argumenta non leuia priscorum institutorum sumere. Ego vero, nequis hanc probationem putet inualidam, neue absurde suspicetur *Romanos* post deuictam Græciam vniuersam, meliores ritus vltro inde mutuatos, spretis patriis ceremoniis, coniecturas sumam ex illo tempore, quo nec Græciam tenebant, nec alias transmarinas prouincias; sequarque *idoneum* auctorem Quintum Fabium, qui vnus pro multis mihi sufficit, vt Romanorũ scriptorum antiquissimus; qui argumenta profert non solum ex iis quæ *aliunde* audierat,

LXVI. sed etiam ex iis quæ ipse cognouerat. Ludos igitur hos decreuit senatus Romanus, vt & supra dictum est, ex voto Auli Postumii dictatoris, quod is bello Latino fecerat, cum signa cum Latinis collaturus esset, qui *violato fœdere* desciuerant, & Tarquinium in regnum reducere volebant: & in horum sacrificiorum ludorumque impensas quotannis assignauit argenti minas quingentas: quod obseruatum est vsque ad bellum Punicum. Per eos dies festos tum alia multa more Græcanico agebantur, circa mercatus & excipiendos hospites *communesque* inducias, quæ operosum esset commemorare; tum pompæ, sacrificiorum, ludorumque (ex quibus cetera vel me tacente satis æstimari possunt)

possunt) ratio erat huiusmodi. priusquam ludorum inirentur certamina, viri penes quos summa erat potestas, pompam Diis à Capitolio per forum deducebant in circũ maximum; in qua præibant illorum filii pubertati proximi, qui iam per ætatem pompæ interesse possent; equisque inuehebantur ii quorum patres in equitum censu erant: ceteri, pedites incedebant, qui *aliquando* in pedestrem militiam accensendi essent; illi, per alas & turmas distincti; hi, per classes & ordines distributi, perinde ac si ludum litterarium peterent; vt cernerent hospites quam insignis forma & numero pubes *breui* in virilem ætatem transitura esset. Hos sequebantur quadrigarii, bigarii, & iniugum equorum agitatores: post quos athletæ grauiorum leuiorumque certaminum, nudi cetera, pudenda tantum tecti *subligarib. campestribus*: qui mos Romæ mansit ad mea vsque tempora, sicut olim fuit in Græcia, in qua *nunc* antiquatus est, orto à Lacedæmoniis initio. Primus autem nudauit *totum* corpus, nudusq; in Olympiaco stadio decurrit, Acanthus Lacedæmonius, Olympiade quintadecima: antea vero turpe habebatur apud omnes Græcos totum corpus in certaminibus nudare; sicut colligere licet ex Homero testium omnium grauissimo & antiquissimo, dum succinctos inducit heroas, certe Aiacis & Vlixis luctam ludis in Patrocli honorem funebribus narrans, *sic* ait: LXVII.

Hi duo succincti medium incertamen iere.

Atque etiam manifestius idem indicat in Odyssea, vbi Iri & Vlixis luctam exponit, his versibus.

Sic ait, & cunctis laudantibus acer Vlixes
Pannis præcinxit genitalia, magna venustaque
Enudans femora, & pectus validosque lacertos
Ac latos humeros.

Mendicũ porro metu tergiuersantem introducẽs sic canit:

His dictis Iro deferbuit ardor: at illi
Inuitum cogunt, cinguntque pauore trementem.

Hunc igitur priscorum Græcorum morem dum hodieq; seruant Romani, satis apparet illos eum à nobis non posteriori tẽpore desumpsisse, sed ne mutasse quidem, vt nos, progressu temporis. Porro athletas sequebantur saltatorũ chori diuisi trifariam; primo virorũ, deinceps impuberum, postremo puerorũ; post quos tibicines instantes an- LXVIII.

tiqui moris tibias breues, quarum hucuſque permanſit vſus; cithariſtæque pulſantes eburneas ſeptem fidium lyras, & quæ vocantur barbita, quorum vetus apud Græcos vſus meo tempore deſiit, apud Romanos vero adhibentur omnibus antiquis ſacris. Saltatorum habitus erat tunicæ puniceæ balteis æreis aſtrictæ, gladiis dependentibus: geſtabantque breuiores mediocribus lanceas: viri vero etiam æreas galeas inſignibus criſtis & pinnis exornatas. quemque chorum præcedebat vnus vir, qui præibat ceteris ſaltationis formulas, repræſentans bellicos ac concitatos motus rythmis plerumque proceleuſmaticis. Id genus exercitii apud Græcos olim cum primis erat celebre, armata ſaltatio, quæ vocatur Pyrricha: ſiue id Mineruæ inuentum eſt, quæ poſt deletos Titanas in victoriali lætitia fertur prima cum armis ſaltauiſſe choreaſque duxiſſe: ſiue prius etiam inſtitutum à Curetibus, dum Iouem quem nutriebant, mulcerent armorum ſonitu rythmicoque membrorum motu, vt habent fabulæ. quem ipſum quoque morem priſcis Græcis vernaculum fuiſſe, indicat Homerus cum alibi ſæpe, tum in cęlatura clypei Achillis à Vulcano donati. fingens enim in eo duas ciuitates, alteram pace florentem, alteram bello diuexatam, feliciorem illam deſcribit feſtos dies agentem, vacantemque nuptiis (vt fieri ſolet) atque hilaritatibus. Carmen ſic habet:

In gyrum ſaltat pubes: quos flatilis inter
Tibia cum cithara modulamina dulcia fundunt.
Stant in veſtibulis nuptæ, ſpectantq; choreas.

Rurſus alium chorum Creticum conſtantem ex virginibus & iuuenibus, in eodem clypeo pari elegantia cælatum indicans ſic ait:

Atque chorum varia celarat Mulciber arte,
Formoſæ qualem celſa Minois in arce
Effinxiſſe ferunt Ariadnæ Dædalon olim.
Illic florentes iuuenes nitidæq; puellæ
Saltabant alterna manu ceu vincla tenentes.

Deinde ornatum chori deſcribens, vt mares armatos ſaltaſſe intelligamus, hæc ſubiicit:

Atque has ornabant radiantia ſerta, ſed illos
Faſcia ab argentea dependens aureus enſis.

Salta-

Saltationis etiam duces, qui & choreas inciperent & saltandi modulos præirent ceteris, his verbis introducit:

Circumfusa chorum spectabat turba; duoque
In caput atque manus lepide saltare periti,
Exorsi modulos, cibant medio agmine gyros.

Nec tantum è meditata ista certaminibusque apta chororum saltatione, qua in ceremoniis pompisque Romani vtebantur, eorum cum Græcis perspicitur cognatio; verum etiam è scurrili & ludicra. Post armatos enim choros in pompa sequebãtur chori satyristarum, sicinnen referentes Græcanicam. E quibus qui Silenos repræsentabant, amicti erant tunicis villosis, quas quidam appellãt scorteas amiculisque consertis ex omni florum genere: qui vero Satyrorum speciem induerant, hircinis se pellibus incinxerant, horrentesque in capite gerebant setas, & alia his similia. hi serios illos motus ludicra imitatione magis in risum detorquebant. Sed & Triumphorum deductio arguit Romanis iam olim vernaculos fuisse scurriles istos & satyricos lusus. permittitur enim victores deducentibus, iambos & dicteria iacere in clarissimos viros & ipsos imperatores, quemadmodum Athenis solebant pompã in plaustris ducentes, scõmatibus obuios impetere: nunc autem extemporalia canunt poemata. quin & in illustrium virorum funebribus pompis inter ceteros feretrum præcedentes vidi choros satyricos qui sicinnen saltarent, maxime in diuitum exequiis. Lusus autem satyricos, & saltationes satyricas, nõ Ligurum, nec Vmbrorum, nec aliorum barbarorum Italiam habitantium, sed Græcorum esse inuentum, si prolixius euincere velim, vereor ne molestus aliquibus esse videar, cum res sit in confesso. LXIX.

Post hos choros transibat agmẽ citharistarũ ac tibicinũ: post quos alii gestantes acerras argenteas aureasq;, tũ sacras tum publicas. Extremum pompæ agmen claudebãt Deorum simulacra, quæ humeris baiulabantur à viris, eãque præferebant formam qua finguntur apud Græcos; eundem etiam habitum, eademq; insignia: munera item, quæ singuli inuenisse atque hominibus donasse traduntur: nec solum Iouis, Iunonis, Mineruæ, Neptuni, aliorumque quos Græci inter duodecim Deos numerant; sed antiquiorum etiam, è quibus duodecim illos fabulantur ortos, [*vt* LXX.

Saturni, Opis, Themidis, Latonæ, Parcarum, Mnemosynes, & ceterorum omnium quorum fana & areæ exstant apud Græcos: tum eorum qui postea, ex quo *scilicet* Iupiter accepit imperium, exorti perhibentur,] Proserpinæ, Lucinæ, Nympharum, Musarum, Horarum, Gratiarum, Liberi, semideorumque quorum animæ relictis corporibus mortalibus, in cœlos ascendisse Diisque pares honores adeptæ esse perhibentur, Herculis, Æsculapii, Castorum, Helenæ, Panis, & aliorum innumerorum. Atqui si barbari fuissent Romæ conditores & festi huius institutores, quorsum attinebat Græcanicos Deos geniosq; omnes colere contemptis patriis? aut ostẽdat nobis aliquis præter Græcos nationem aliam cui sacra hæc sint domestica; & tũ

LXXI. demum probationem hãc vt putidam calumnietur. Peracta pompa, confestim sacrificabant consules sacerdotesque quibus fas erat, & victimarii, idque more nostratium. Lotis enim manibus, & lustratis aqua pura victimis, inspersisque in earum capita frugibus cerealibus, conceptisque precibus, tum demũ ministros eas mactare iubebant. quorum alii stantem etiamtum hostiam vecte feriebant in tempora; alii suppositis cultris cadentem excipiebant; ac mox excoriatam concidebãt membratim, delibatasq; ex singulis extis aliisq; membris primitias farrea farina imbuebant & in canistris offerebant sacrificantibus: qui aris impositas succendebant, & vinum inter adolendũ affundebant. Quæ singula iuxta Græcas sacrificiorum leges factitata esse, ex Homerica poesi facile est cognoscere. namque manus lauantes heroas inducit, molisque vtentes, vbi sic canit:

Hinc lotis manibus, salsa hordea porriciebant.

Pilos quoque de capite *victimæ* desectos in ignem iecisse sic ait:

Iniecitque igni sectos de vertice pilos.

Vectibus etiam hostias in frontem ferientes *inducit*, & collapsas mactantes; sicut in Eumæi sacrificio:

Atque mola sparsum, querna sude percutit: inde
Exanimem iugulant, setasque iacentis oburunt.

Primitias item extorum aliorumque membrorum desumentes, easque farina imbutas super aris adolentes *introducit*; vt in eodem sacrificio canit.


Crudaque de cunctis delibans frustula membris,

Pingui

Pingui conuestit: mox omnia polline puro
Conspergit, flammisque adolenda voracibus indit.

Hæc Romanos etiamnum mea ætate in sacris obseruare cognitum & perspectum habeo: & vel hoc vnum argumẽtum mihi sufficit vt credam Romæ conditores non barbaros fuisse sed è multis Græciæ locis conuenas. Fieri enim potest vt & barbari quidam circa festorum ac sacrorum rationem nonnullos ritus cum Græcis communes habeant: sed impossibile est vt conueniant omnia. Reliquum est LXXII. vt & de certaminibus quæ post pompam inibantur, paucis disseram. Primus erat quadrigarum, bigarum, singulariũque equorum cursus, sicut apud Græcos olim in Olympia, & nunc quoque. In *his* equestribus certaminibus duo antiquissimorum Græcorum studia, vt initio instituta sunt, ita hucusque à Romanis obseruantur: alterum, trigariorum; quod defecit in Græcia, priscum & heroicum studium, quo Græcos in pugnis vtentes facit Homerus. nam duobus equis bigarum in morem iunctis adiungebatur tertius funalis, loramentis adnexus; quem παρήωρον vocabant prisci, ἀπὸ τοῦ παρηωρῆσθαι συνεζεῦχθαι, *id est, ex eo quod appensus atque adiunctus esset*. alterum quod apud paucos aliquot Græciæ populos etiamnum obseruatur in quibusdã prisci moris sacrificiis, vectorum cursus. finito enim equorum certamine, viri qui aurigis in curribus assidebãt, quos poetæ παραβάτας Athenienses ἀποβάτας nominant, desilientes è curribus, ipsi stadium inter se certatim currunt. Peractis equestribus curriculis, inducebantur qui suis ipsorum corporibus decertarent, cursores, pugiles, luctatores. hæc enim tria genera certaminum apud priscos Græcos erant, vt Homerus indicat in Patrocli funere. Ceterum medio inter certamina tempore coronabant & præconiis celebrabant benefactores suos, more Græcis vsitatissimo & laudatissimo; sicut Athenis per Liberalia factitatum est: & ostentabant spectatoribus relata ex hoste spolia. Sed enim de his nec silendum erat omnino, cum posceret argumenti ratio; nec iusto prolixius de eis disserendũ est; sed tẽpus nos à diuerticulo ad institutã narrationis seriẽ reuocat. Vt ergo LXXIII. senat⁹ cognouit de seruo qui ante põpã heri iussu *sub furca cæsus &* ad suppliciũ abductus fuerat, è facti nouitate con-

iecit, hunc à Deo innui haud bellum præsultorem, vt *supra* dixi; & requisito hero qui seruum tam fœde tractarat, & mulcta ei pro merito irrogata, aliam pompam aliosque ludos Ioui decreuit duplo maiore sumptu quam antea. Atque hæc sunt quæ his consulibus gesta produntur.



DIO-



DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATUM Romanarum Liber octauus.



POST hos, Olympiade ſeptuageſima tertia, qua vicit in ſtadio Aſtylus Crotonienſis, Anchiſe Athenis principe, conſules fuere Caius Iulius Iulus, & Publius Pinarius Rufus; viri minime bellicoſi, & ob hanc præcipue cauſſam à populo creati: quorum conſulatu exortum bellum Romanam rempublicam in tot & tanta coniecit pericula, vt eam pene funditus eruerit. Marcius enim ille Coriolanus, qui ob ſuſpicionem tyrannidis exſilio perpetuo mulctatus fuerat à populo, indigne hunc caſum ferens, & vlciſci inimicos cupiens, cũ diſpiceret quo pacto & quibus opibus id poſſet efficere, vnam tunc Volſcorum potentiam Romanis parem inueniebat, ſi de communi ſententia ductu prudentis imperatoris bellum eis inferrent: cogitabatque ſi Volſcis perſuadere poſſet vt ſe reciperent, bellique ducem facerent, facile ſe & breui rem confecturum. Sed deterrebat eum conſcientia; quippe qui tot eis clades in bellis intuliſſet, vrbeſque ſocias ademiſſet. Non tamen conatu deſtitit; ſed ſpreta periculi magnitudine, rem tentare, ac quiduis ab illis perpeti decreuit. Obſeruata igitur nocte obſcura, venit Antium nobiliſſimam Volſcorum vrbem, cœnæ tempore: ingreſſuſque ædes viri qui ob generis nobilitatem & opes plurimum poterat, & ob res bello geſtas ma-

I. *A.V.C. 265. conſſ. C. Iulio & P. Pinario, bellum e Volſcis duce Marcio Coriolano.*

gnos gerebat spiritus, totique genti vt plurimum præerat, nomine Attius Tullus, supplex ad focum sedenti accidit: denarrataque necessitate qua compulsus esset ad hostes cõfugere, orabat vt moderato & humano affectu de supplice statueret, neue subditum pro hoste haberet amplius, vel in calamitosum afflictumque vim exsereret; considerans humanarum fortunarum inconstantiam. Eam (inquit) sortis instabilitatem vel meo exemplo queas discere; qui modo in maxima vrbe visus præstantissimus, nunc ab *omnibus* destitutus, exsul & humilis ante te iaceo, passurus quod tibi hosti libuerit. Sed polliceor tibi, me Volscis, si in eius gentis amicitiam recipiar, tantum allaturum boni, quantum intuli mali cum essem aduersarius. Quodsi mauis in me animaduertere, confestim iram exerce, & mortem mihi largire quam citissimam; tuaque manu & ad focum tuum

II. macta supplicem. Nondum hæc effatus erat cum Tullus porrecta dextera *supplicem* à foco subleuat, & bono esse animo iubet, vt qui nihil sua virtute passurus sit indignũ: seque magnam ei gratiam habere dicit, qui ad se venerit, honoris sui caussa id factum interpretans: pollicebaturque se omnes ei Volscos conciliaturum, facto à suis ciuibus initio: quod & præstitit. Nec ita multo post Marcius & Tullus inter se consultarunt de bello Romanis inferendo. Tullus volebat confestim omnibus Volscorum viribus concitis vrbem inuadere, dum seditionibus agitaretur *populus*, & imbelles haberet duces. Marcius vero aiebat prius iustã piamque belli caussam quærendam; docens omnibus negotiis adesse numina; bellicis vero rebus tanto magis, quãto & grauiores sint ceteris, & incertiores sortiri soleant exitus. & erant tunc Romanis ac Volscis induciæ, in duos annos factæ paulo antea. Si ergo inconsiderate (inquit) & præpropere bellum intuleris, violabis inducias, nec habebis numen propitium. quodsi exspectaueris donec ipsi hoc faciant, defendere te videberis & vindicare violata fœdera. Id quomodo fieri possit, & vt illi priores fœdus frangant, nos vero iustum piumque bellum gerere videamur, ego post longam cogitationem inueni. opus est autem vt à nobis decepti iura priores temerent. Modum vero decipiendi, quem hactenus exspectata occasione apud me secretum continui, nunc demum proferre cogor, quando te ad bellum

lum animatum video. is eſt huiuſmodi. Sacra Romani peracturi ſunt, ludoſque celebraturi magnificis impenſis: confluentque ad eos ſpectandos multi hoſpites. Hoc exſpectato tempore & tu ibis, & Volſcorum quantam poteris maximam frequentiam ad viſendum id ſpectaculum excitabis. Vbi vero in vrbe fueris, fidiſſimum aliquem amicum ad conſules mitte, qui occulte moneat, cogitare Volſcos vrbem noctu inuadere,&in hoc veniſſe tam multos. Certo ſcito,ſi hoc audierint,ſine cunctatione vos eiecturos ex vrbe,præbituroſque iuſtam iræ materiam. Lætus id Tullus accepit;& dilata in aliud tempus expeditione, III. *interim* totus erat in apparandis rebus bello neceſſariis. Deinde vbi aduenit ludorum tempus, cum Iulius & Pinarius conſulatum iam iniſſent, præſtantiſſima Volſcorum iuuentus ex omnibus oppidis auctore Tullo ad ſpectandos ludos venit: quorum maior pars ſedes fixit in ſacris & publicis locis, cum non haberent hoſpites ad quos priuatim diuerterent: & quoties per vias incederent,per ſodalitia ſeſe conglobabant, & cateruatim vrbem permeabant: ita vt iam murmur de illis ac ſiniſtra per totam vrbem ſuſpicio exſiſteret. Interea ſubornatus à Tullo index adit cõſules,vt Marcius ſuaſerat: &,vt in re occulta quam de amicis apud inimicos proferret, iuramento aſtringit conſules vt & ſecuritatem ſibi præſtent, nec Volſcorum cuiquam detegant cuius indicio ſint proditi: ac tum demum eis figmentum de inſidiis aperit. creditumque eſt facile: ac mox conſulum iuſſu conuocatis viritim ſenatoribus, index in conſpectum eorum productus, accepta etiam ab illis fide, dixit eadem *quæ ante apud conſules dixerat*. Senatus cum iam ante rem ſuſpectam haberet, videns tantum iuuentutis ex vna gente male pacata ad ſpectacula confluxiſſe, accedente hoc indicio,cuius dolus ignorabatur,valde in opinione ſua confirmatus eſt: placuitque omnibus ſummoueri eos ex vrbe ante ſolis occaſum, pœna capitis per præconem denuntiata iis qui contra feciſſent: vt autem tuto & illæſi diſcederent,id curare conſules.

Hoc ſenatus conſulto facto præcones per omnes vias IV. dimiſſi qui edicerent, Volſcos eueſtigio ex vrbe abire omnes per vnam portam Capenam: alii vero cũ conſulibus deducebant abeuntes: vbi maxime apparuit quantus eorum eſſet numerus, & quantum robur,omnibus eodem

tempore per vnā portam exeuntibus. Primus Tullus exi-
bat propere; occupatoque non longe ab vrbe loco idoneo,
colligebat ibi qui venirent serius. Vbi vero omnes conue-
nerunt, coacta concione, acriter in Romanos inuectus est,
dicens Volscos grauem & infandam ab eis accepisse iniu-
riam, solos omnium hospitum vrbe pulsos: postulabatque
vt quisque in suam patriam id renuntiaret, daretque ope-
ram vt compesceretur Romanorum insolentia, & violati
iuris pœnæ ab illis repeterentur. His dictis homines facto
iam ante commotos, *magis* exacerbauit, atque ita concio-
nem dimisit. Ii cum in suam quisque patriam reuersi cete-
ris *popularibus* narrassent contumeliam, non sine facti ex-
aggeratione, nulla ciuitas ab ira se continuit: missisque op-
pidatim legationibus totius gentis indictum est conciliū,
in quo collatis consiliis de bello ageretur. Nec cessabat in-
stigator Tullus, donec honoratiores vndique conuenissent
Ecetram, præterque hos magna reliquæ turbæ multitudo.
hoc enim oppidum ad ceterorum comitia apto loco situm
videbatur. Ibi post multos sermones à cuiusque ciuitatis
proceribus habitos, data sunt iis qui aderant suffragia: ob-
tinuitque illorum sententia qui bellum suadebant, quan-
V. do per Romanos priores fœdus violatum esset. Cum-
que iam de belli gerendi modo consultarent proceres, pro-
gressus *in medium* Tullus, suasit acciri Marcium, & ex illo
quæri quo modo Romanorum vires conuelli possint. hūc
enim omnium optime scire qua laborent res Romanæ,
qua valeant. Placuit consilium, moxque acclamatum est ab
omnibus, vocarent hominem. Tum Marcius arrepta oc-
casione optatissima, prodiit mœstus ac lacrymabundus: &
post modicum silentium, talem pertexuit orationem: Si
existimarem eandem esse omnium vestrum de mea cala-
mitate sententiam, non necessarium crederem super ea re
disserere. Sed quoniam in tanta ingeniorum varietate pro-
babile est non defore qui falso atque immerito suspicen-
tur me non sine iusta caussa è patria pulsum à populo, arbi-
tror mihi primum omnium coram vniuerso cœtu vestro
reddendam exsilii mei rationem. Itaque per Deos oro, vt
& vos qui iam ante nostis quam indignis modis ac inimi-
cis sim habitus, quamque præter ius ac fas in hoc infortu-
nium inciderim, patienter me audiatis: nec prius meum de
rebus

rebus gerendis desideretis consilium, quam me id prolaturum, qualis sim, examinaueritis. nec enim diu huic parti sermonis immorabor, etiamsi repetenda sit altius. Populus Romanus à principio rempublicam habuit mixtam è regum & optimatum potestate. quam cum vltimus rex Tarquinius in tyrannidem vertere vellet, optimatum proceres eum conspiratione facta eiecerunt ex vrbe: sumptisq; rerum habenis, optimam & sapientissimam reipublicæ formam, vt omnes confitentur, instituerunt. Nuper autem, ante triennnium circiter aut quadriennium, egentissimi quique inertissimique ciuium, malos duces secuti, cùm alia multa proterue fecerunt, tum postremo tentauerunt optimates submouere à gubernaculis reipublicæ: quā rem vniuersus senatus indigne tulit, & dispiciendum censuit quo pacto iniuriosi isti reipublicę turbatores cohiberi possent. sed in tuendis optimatium partibus præ ceteris inter seniores quidem strenue laborauit Appius Claudius, vir multis nominibus laudatissimus; inter iuniores autē, ego: nec desiimus in senatu liberis vti verbis, non plebem oppugnantes, sed suspectam habentes malorum potentiam; nec vt ciuem aliquem seruitute opprimeremus, sed vt conseruata omnibus sua libertate, reipublicæ regimen potioribus redderemus. Hæc videntes nequissimi illi plebis antistites, statuerūt primos nos qui aperte sibi aduersaremur, è medio tollere; non ambos simul aggressi, ad vitandam facinoris inuidiam; sed orsi à me iuniore & oppressu facili. VI.
Ac primo iniudicatum me conati sunt perdere; deinde me sibi à senatu ad supplicium dedi postularunt. Quorum vtroque frustrati, vocarunt me in iudicium cui ipsi erāt præfuturi, obiecto crimine affectatæ tyrannidis. vbi ne hanc quidem absurditatem senserunt, neminem tyrannum cōtra plebem conspirare cum optimatibus; sed contra, plebis ope potentissimum quemque è ciuitate tollere. nec iudiciū mihi datum more patrio centuriatis comitiis; sed quod omnes fatentur improbatissimum iudicium, & de me primo ac solo factū; in quo turba mercenaria, lare carens, & alienis fortunis inhians, plus *virium* erat habitura, quam viri boni qui iustitiam & remp. saluam esse cupiunt. Tantum autem innocentiæ mihi superfuit, vt cum caussa mea disceptaretur à turba cuius maior pars bonis viris infensa est, &

ob hoc mihi quoq; inimica, duobus tantum damnatus sim calculis; tribunis potestatem deponentibus ni ego damnarer, seque à me extrema passuros dictitantibus, & omni studio contentioneque aduersum me connitentibus. Hæc igitur passus à meis ciuibus, reliquum vitæ spatium nõ duxi mihi vitale, nisi pœnas de ipsis sumerem. Quapropter cũ liceret mihi viuere in otio vel in Latinis oppidis ob *gentis* cognationem, vel in quapiam recens à patribus nostris deducta colonia nolui; sed ad vos cõfugere malui, quos sciebam maximis à populo Romano affectos iniuriis, eiq; infensissimos; vt vna vobiscum communes iniurias vlciscerer pro viribus, tum verbis, vbi verbis est opus; tum factis, si factis opus fuerit. habeoque vobis magnam gratiam quod me exceperitis: atque etiam maiorem, quod tanto me honore afficitis, traditis obliuioni omnibus malis quæ vobis
VII. belli temporibus intuli. Ergo qualis vir essem, si honoribus debitis priuatus ab ingratis ciuibus, simulque patria, domo, amicis, penatibus, maiorum sepulcris, aliisque bonis omnibus; & hæc cuncta nactus apud vos, quos ante in illorum gratiam oppugnaui, non infestarem eos quos pro ciuibus inimicos sum expertus, nec benefacerem his quos pro hostibus amicos cõperi? Equidem pro viro non habeo qui nec inimicis irascitur, nec seruatoribus suis beneuult. Patriam porro existimo, non quæ me ciuem dedignatur, sed quæ me externum ciuem sibi asciuit: & regionem eam amicam puto, in qua tutus maneo, non in qua iniuriis exagitatus sum: speroq;, si Deus nos adiuuerit, nec vestra studia, vt par est, defuerint, breui magnam mutationem futuram. Scitis enim populo Romano tot bellis exercito nullum hostem magis formidatum quã vos; nec aliud magis curare semper, quam vt gentem vestram reddant debilem. & ideo populos vestros, alios iam oppresserunt bello, alios amicitiæ spe fefellerunt; ne coniunctis viribus commune bellum eis inferatis. qui si honorifico incensi studio vos illis opponere pergatis, & in bellum consentiatis, vt nunc fa-
VIII. citis, potentiã eorum facile tolletis è medio. Et quoniam ex me cognoscere cupitis quæ rei aggrediendæ ac belli gerendi mihi probetur ratio, siue id peritiæ siue beneuolentiæ meæ testimoniũ est, siue vtriusq;, dicam nihil dissimulans. Ante omnia igitur moneo dispiciatis vt pium & iustũ belli prætextum habeatis. qui quomodo quærendus sit, etiã cum

vestro commodo, audite. Ager quem primum Romani tenuere, paruus est & sterilis. quod autem ei post accessit, ademptum finitimis, amplum est & fertile. quod si quisq; populus partẽ suam per vim sibi ereptam velit recipere, nihil erit tam paruum, egenũ, debile, quã vrbs Romana. Ab hac re vobis censeo sumendum exordium. Itaq; legatos ad eos mittite, qui oppida vestra quæ tenent repetant, & munitionibus eos quas in territorio vestro munierunt, excedere iubeant, & siquid aliud de vestris vi ad se pertraxerũt, reddere suadeant. nec prius bellum inferte, quam illi responsum dederint. Si enim hæc feceritis, alterutrũ eorum quæ cupitis consequemini: aut res vestras recipietis sine sumptu & periculo, aut honestã iustamq; belli caussam habebitis. Est.n. omnium confessione honestum, siquis alieni non appetẽs, contentusque res suas repetere, passus repulsam, armis ius suum persequatur. Agedũ quid putatis Romanos facturos si vos hãc viam insistatis? Vtrum reddituros vobis agrum? & quid vetabit quin mox relinquãt quidquid alienum est? venient enim Æqui, Albani, Etrusci, aliiq; multi, repetitũ terras suas. An retenturos occupata, nihilq; iustum facturos? vt ego certe arbitror. Ergo protestati ab ipsis priorib⁹ ortam iniuriam, sumetis arma necessaria, & habebitis auxiliares quotquot ab eis spoliati sunt, nec sperant se aliter quã armata manu res suas posse recipere. Estque hoc tempus, si vllum aliud, Romanis adoriendis opportunũ, quod fortuna populis iniuria læsis pręter spem offert, dum illi ob seditionẽ suspecti sunt inuicem, & duces habent imperitos militiæ. Hæc sunt de quibus amicos summa fide beneuolentiaque monendos verbis censui: quæ vero in singula momenta factis exsequenda erunt & arte prouidenda, ea copiarum imperatoribus consideranda relinquetis. Sed nec meum vobis studiũ deerit, quemcumq; mihi locũ assignaueritis: operam dabo nequo vel milite, vel centurione, vel tribuno sim deterior. accipite me, vtiminiq; & abutimini, vbicumq; vobis opera mea profutura videbitur; persuasum habentes, me, si hostis vobis multum obfui, socium etiam profuturum non mediocriter. Hæc loquentem IX. Volsci se libenter audire significabant. vt vero dicere desiit, conclamarunt recte monere: nullaque ampliore deliberatione addita, comprobarunt hominis sententiam.

scriptoque decreto, mox nobilissimum quemque oppidanorum delectum Romam in legationem miserunt. ceterum Marcio decreuerunt dignitatem senatoriam & ius gerendorum magistratuum honorumq; omnium, in quocumque liberet oppido. nec exspectato Romanorum responso, cuncti rem capessebant, & bello se parabant. tum siqui prioribus prœliis fracti essent, recipiebant animos, velut euersuri Romanum imperium. At legati Romam missi, vt in senatum introducti sunt, aiebant Volscos magnopere cupere vt sublatis controuersiis deinceps amici sint & socii populi Romani, sine dolo malo: futuramque fidam & firmam eam amicitiam, si agros suos & oppida per Romanos occupata recipiant: alias nec pacem inter eos firmã futuram, nec amicitiam: natura enim ita comparatum esse vt iniuria pressi cum oppressoribus gerant simultates. orabantque ne petitione sua inique repulsa, sibi *iusti* belli necessitatem imponerent. His dictis, & legatis excedere

X. iussis, in senatu consultatum est: nec multo post reuocatis, de communi patrum sententia hoc datum est responsum. Non latet nos Volsci, non amicitiam vos, sed honestam belli occasionem quærere. nam quæ à nobis petitis, sat scitis vos numquam impetraturos. postulatis enim iniqua & impossibilia. nam si donatos nobis agros mutato consilio nunc repeteretis, iniustum esset eos non restitui *pristinis dominis*. quorum vero dominium iure belli prorsus amisistis, eos iam alienos iniuste petitis. nos certe optimas possessiones ducimus, quibus bello potiti sumus: cumque nõ primi hũc morẽ inuexerim⁹, sed tã apud Deos quã apud homines, & tã apud barbaros quã apud Græcos receptũ esse nouerimus, haudquaquã vobis cesserimus, nec bello acquisita per ignauiam reliquerimus. turpissimum enim esset, res virtute fortitudineque partas amittere per stultitiam & formidinem. Bellare autem vos nec, si piget, cogimus; nec, si lubet, deprecamur: sed si inceperitis, nos defendemus. Hæc Volscis renuntiate: simulque monete, illos priores arma sumpturos, nos vero posteriores deposituros. Cum hoc responso legati Volscorum ad suam gentem remissi sunt.

XI. Rursum igitur coactis comitiis, communi gentis consensu decernitur vt bellum Romanis indicatur. tũ imperatores leguntur Tullus & Marcius: factoque decreto, conscribuntur

buntur copiæ, tributa colliguntur, & comparatur quidquid ad bellum videretur necessarium. cumque iam dimittendus esset conuentus, assurgens Marcius, sic locutus est: Quæ decreta sunt his comitiis, bene habent, & exsequenda sunt suo quæque tempore. Interim vero dum exercitus conscribetur, & cetera expedientur, quæ (vt video) sine mora & negotio non possunt confieri, ego & Tullus ibimus. quibus ergo libet prædari ex hostico & ampla consequi lucra, sequimini. Polliceor vobis, Deo iuuante, multa & luculenta commoda. adhuc enim Romani sunt imperati, quod videant nos nondum contraxisse copias. itaque secure nobis licebit quantum voluerimus agrorum percurrere. Probata Volscis hac quoque sententia, priusquam Romæ conatus eorum noscerentur, ocius egressi sunt cum magna voluntariorum manu: quorum partem Tullus in Latinorum agros duxit, ne qua inde hosti subuenirent auxilia: cum reliquis Marcius vrbem petiit: oppressisque improuiso malo agrestibus, multi capti sunt tum serui tum liberi: boum quoque, iumentorum, & ceterorum pecorum, magna vis: & frumenti quidquid erat reliquum; ferramenta item, & ceterum instrumentum rusticum, omnia vel direpta sunt, vel corrupta. postremo villæ iniecto igne à Volscis exustæ sunt; vt non nisi longo tempore possent reparari à dominis. maxime vero in plebeiorum prædia sæuiebatur; patriciorum latifundiis est parcitum; aut siquid eis damni datum est, id intra mancipiorum ac pecorum prædam constitit. sic enim Volscis mandarat Marcius, quo magis inter patricios & plebem suspiciones gliscerent, & seditio maneret in vrbe diutius, quod etiam contigit. Vt enim Romam renuntiata est agrorum peruastatio, cognito non æque afflictas esse res omnium, pauperes vociferabantur in diuites, ab ipsis inductum contra se Marcium: patricii vero vaframentum hoc ducis esse aiebant. nemo tamen vel rebus pereuntibus succurrere, vel reliquas seruare volebat, ob mutuas suspiciones & proditionis metum. Itaque Marcius tutas illæsasque & integras domum reportauit copias, debachatas in hostem pro arbitrio, & luculenta præda ditatas. *Pari modo* & Tullus paulo post ex agris Latinorum cum magna præda rediit. nam & illic hostis XII.

non ausus erat congredi, vt imparatus & oppressus malo repentino. Quo factum est vt omnes Volscorum populi in magnas spes erigerentur, & opinione citius tum miles conscriberetur, tum cetera quibus opus esset imperatoribus suppeditarentur.

XIII. Postquam autem præsto fuit totus exercitus, cum collega Marcius consilia contulit, quo modo res gerendæ essent in posterum. Mihi, inquit, Tulle videtur optimum, diuisis inter nos bifariam copiis, alterum nostrum cum validissima & promptissima militum manu hostes petere, facereque pugnæ copiam; ac si congredi audeant, vno prœlio de summa rerum decernere: sin autem (quod futurum credo) militi maiore ex parte tironi & imperitis rei militaris ducibus hanc aleam committere verebuntur, tum agros eorum populari, socios abstrahere, colonias expugnare, nec vllo alio (quoad eius fieri poterit) temperare maleficio. alterum vero hic remanere, agrosque & oppida tueri, ne forte incustoditos hostis inuadat, & magnam accipiamus ignominiam, si appetentes aliena exuamur propriis. Sed eum qui hic mansurus est, oportebit instaurare sicubi collapsa sunt mœnia, fossas repurgare, castella munire, vt agricolis sit refugium: nouas insuper copias conscribere, commeatus foris militantibus suggerere, arma fabricare, & siquid aliud opus sit, celeriter expedire. Tibi optionem offero, externisne copiis præesse malis, an iis quæ hic relinquentur *ad regionis custodiam*. Vehementer hoc Tullo placuit: & quia perspectam habebat hominis felicitatem & industriam, illi permisit educendum exercitum.

XIV. At Marcius non amplius cunctatus, Circeios petiit, oppidum promiscue habitatum à Romanis colonis & ciuibus indigenis; eoque obiter potitus est. Nam oppidani vbi cognouerunt hostem occupato agro iam ad mœnia sua contendere, apertis portis sine armis progressi obuiam deditionem fecerunt. quo factum est vt nihil hostile passi sint. neminem enim ex oppidanis imperator vel occidit, vel in exsilium egit. vestes tantum in vsum militum, & cibaria in mensem vnum imperauit, & aliquantulum pecuniæ: relictoque modico præsidio, tum ad ciues in officio continendos, tum ad hostium iniurias propulsandas, abduxit copias.

copias. His Romam nuntiatis, maior etiam terror & tumultus exstitit, patriciis plebem incusantibus quod virum bellicosum, industrium & magnanimum, falso implicitum crimini, ex vrbe eiecissent Volscisque ducem dedissent: & contra plebis magistratibus crimen in senatum regerentibus, quasi dolo illorum res gereretur, & bellum non impeteret totum populum, sed plebem Romanam dumtaxat: cui opinioni accedebat vulgi pars improbissima. Ceterum de exercitu scribendo, euocandis sociorum auxiliis, curandis necessariis, ob mutuas simultates, & quotidianas in concionibus criminationes, ne in mentem quidem venit.

XV. Id animaduertentes natu maximi, communicato inter se consilio, aggressi sunt & priuatim & publice turbulentissimum quemque è plebe cohibere ab huiusmodi suspicionibus & criminationibus, atque ostenderunt, si vnius viri nobilis exsilium rempublicam in tantum discrimen coniecit, quid exspectandum sit si plerique patricii plebis petulantia exasperati, eundem cogantur animum induere. atq; ita coercuerunt plebis immodestiam. Sedato porro tumultus feruore, senatus in curiam conuocatus, primum Latinorum legatis qui tum petebant auxilium, respondit non facile esse in præsentia suppetias mittere. interim ipsis permitti exercitum conscribere, eique proprios duces præficere, tantumq; copiarum *in id bellum* emittere, quantum emissurus esset populus Romanus. nam horum vtrumque vetitum erat conditionibus fœderis quo amicitiam inter se firmauerant. Deinde consulibus mandauit delectum habere, vrbẽ custodiis firmare, auxilia sociorum accersere; exercitum vero non prius educere quam probe instructa essent omnia, eadem approbauit populus. Supererat autem consulibus de *annuo* magistratu non multum temporis. quapropter nihil eorum quæ decreta erant, conficere potuerunt, sed rem semiperfectã tradiderunt successoribus. Hi fuere Spurius Nautius, Sextus Furius: qui cõscriptis ex vrbana multitudine copiis quãmaximis, per castella opportuna disposuerũt speculatores nequid ignorarent eorũ quę per regionẽ fierẽt; & pecuniarũ, frumẽti, armorũq; vim magnã exiguo cõpararũt tẽpore. atq; ita domi satis instructa erãt omnia quæ præsens necessitas postulare videretur. Sed socii nõ omnes pari alacritate obediebãt, cũq; spõte ad belli

XVI.

A.V.C. 266 consſ. Sp. Nautio, & Sex. Furio, Volsci duce Marcio denuo Rom. infestant.

societatem adduci non possent, ne cogendos quidem senatus censuit, quod timeretur proditio, & nonnulli iam aperte ad Volscos deficerent. Primi vero defectionis initium fecerunt Æqui; & sub ipsum belli exordium missis ad Volscos legatis, fœdus cum eis & societatē iureiurando firmarunt: miseruntque Marcio maximas & alacerrimas copias, quorum exemplo moti & alii multi, clam iuuabant Volscos, non publico quidem edicto submissis auxiliis; sed siqui suorum se socios expeditioni vellent addere, tantum aberat vt eos auocarent, vt eos etiam instigarent. breuique tantum virium accreuit Volscis, quantum nunquam ante habuerant, ne tum quidem cum eorum ciuitates maxime florerent. His fretus Marcius, rursum in agrum Romanū irrupit: moratusque ibi per aliquot dies, deuastauit quidquid superioribus populationibus intactum reliquerat. paucis tamen corporibus ingenuorum in hac expeditione potitus est. conuasata enim pretiosiore supellectile, multo ante confugerant, pars in vrbem, pars in castella munitissima, vt quæque erant proxima. pecora vero quæ illi *mature* abigere non potuerant, seruosque pastores, & frumentū etiamtum iacens in areis, aliasque fruges quæ vel præ manibus *adhuc* essent, vel iam comportatæ, hostes abstulerūt. Sic ille exercitus direptis & depopulatis omnibus, nemine congredi auso, domum reductus est; tanta onustus præda, vt lente incederet.

XVII. Volsci conspecta prædæ magnitudine, auditaque Romanorum timiditate, qui nuper alienorum agrorum populatores, iam impune suos in conspectu suo vastari sinerent, magnos sumpserunt spiritus, & conceperunt spem imperii, quasi iam minimo negotio possent delere aduersariorum potentiam: decretisque ad agendas Diis gratias sacrificiis, templa sua foraque ornabant suspensis hostium spoliis: vacantesque epulis atque hilaritatibus, celebrabant Marcium, præferentes eum in rei militaris peritia omnibus tum Romanis tum Græcis & barbaris ducibus: inprimis vero felicitatem eius prædicabant, cui omnia quæ aggrederetur, sine labore succederēt ex sentētia. Quapropter nemo militaris ætatis erat qui ei⁹ auspicia sequi nollet; sed omnes se rebus gerendis socios addere satagebant, & ex

ex omnibus oppidis *multi* ad eum confluebant. At imperator vbi Volſcorum alacritatem confirmauit, & viriles hoſtium animos ad humiles imbelleſque anguſtias redegit, contra ſocias eorum vrbes quæ in fide permanerent, duxit exercitum: paratiſque ilico rebus ad oppugnationem neceſſariis, in Tolerinos Latini nominis populum fecit impetum. qui quoniam ſe dudum ad bellum præparauerant, reſque ſuas ex agro intra mœnia comportarant, venientem exceperunt, & cum aliquandiu ex mœnibus acriter repugnaſſent, multoſque hoſtium ſauciaſſent, tandem à funditoribus repulſi, ſub veſperam multis locis nudarunt mœnia. Quo cognito, Marcius ceteros milites iuſſit admotis ſcalis eas muri partes conſcendere: ipſe cum lectiſſimo quoque portam adortus eſt, multis telis petitus è turribus: perfractiſque repagulis, primus vrbem ingreſſus eſt. portam ſeruabat magna & valida hoſtium manus: qui fortiter eum exceperunt, & aliquantiſper repugnarunt ſtrenue: ſed multis cæſis, reliqui terga verterunt & per vias diffugerunt. Ille inſecutus interfecit quotquot aſſequeretur; ſolis parcens ſupplicibus, qui arma proieciſſent. interea mœnia quoque ſcalis capta ſunt. In hunc modum expugnata vrbe, Marcius exemptis è præda ſpoliis quibus tum Deos donaret, tum Volſcorum oppida ornaret, reliqua militibus diripienda conceſſit. inerat autem multum mancipiorum, frumenti, pecuniarum; vt victoribus ad exportandum non ſufficeret vna dies; ſed per vices agentes ferenteſque partim ipſi, partim iumenta, multum temporis inſumere cogebantur. XVIII. *Socios pop. Rom. adoritur.*

XIX. Imperator exportatis tum opibus tum hominibus vniuerſis, vacuum reliquit oppidum, & copias Bolam duxit. Hi, cum aduentum eius præſenſiſſent, inſtruxerant ſe cunctis ad pugnam neceſſariis. Marcius, cum ſe putaret oppidum primo impetu expugnaturum, non vno loco aggreſſus eſt mœnia. oppidani vero, exſpectata opportunitate temporis portam aperiunt; factoque agmine, & inſtructis ordinibus, erumpunt; & aggreſſi aduerſos, multis cæſis, pluribus ſauciatis, reliquis fœde fugatis, intra mœnia ſe recipiunt. At Marcius cognita Volſcorum fuga (nam forte fortuna non aderat cum acciperetur ea ignominia) cum paucis propere aduolauit, & diſperſos è fuga

recollegit; additoq; trepidis animo, redintegrauit ordines, & præmonitos quid facto opus esset, iussit vt qua hostes exuperant, rursus oppugnarent oppidum. Tum Bolani facto eodem periculo, cateruatim erumpunt, Volscis (vt moniti fuerant) non excipientibus eorum impetum, sed per decliuia refugientibus quos oppidani, dolum non intelligentes, diu persecuti sunt. eos Marcius lōge à mœnibus distractos inuasit cum lectissimis iuuenum, multosque vel repugnantes vel fugientes occidit; & properātes in vrbem insecutus, priusquam porta clauderetur, irrupit intra mœnia. vbi vero imperator porta semel potitus est, mox & cetera Volscorū manus aduolauit, & Bolani desertis mœnibus in domos refugerunt. Expugnato eo etiam oppido, militi tum ciues mancipandos, tum opes diripiendas permisit: exportataq; per otium & libere præda vniuersa, vt ante *in Toleriensium expugnatione*, demum oppidum incendit.

XX. Inde Labicos cum exercitu petiit: quę ciuitas & ipsa tunc Latini nominis erat, & vna ex Albanorum coloniis. quos vt terreret, agros eorum *& villas* primo incursu exurebat, quam maxime conspicuum fore putabat clausis incēdium. Lauicani, freti firmis mœnibus, nec territi sunt, nec versi ad ignauiam: sed strenue repugnando sæpius hostem scandentem reiecerunt à mœnibus. postremo tamen expugnati sunt, quod non valerent pauci tam multos, & ne tantillum quidem temporis interquiescentes, sustinere. nam Volsci ab omni parte oppugnabant, succedentes fessis recentes; ita vt oppidani dies noctesque continuato labore defatigati, cogerentur muris decedere. Marcius hoc quoque oppidum diripiendum concessit militi, captiuis sub hasta venditis. Inde copias seruatis ordinibus ad Pedum traduxit, & ipsum Latini nominis. id primo impetu cepit, & vt cetera tractauit.

XXI. Postridie prima luce Corbionem duxit copias. propinquanti portæ apertæ sunt; & oppidani supplicum ritu obuiam effusi, deditionem fecerūt. Quibus ille laudatis quod optime sibi consuluissent, imperauit pecuniam & frumentum in vsum exercitus. acceptisque quæ exegerat, abduxit exercitum versus Coriolos. & cum se istius etiam oppidi ciues sine pugna dedidissent, cōmeatusque, pecunias, & cetera quæ imperarat, promptis animis exercitui suppeditassent,

rassent, copias velut per socialem agrum *sine noxa* abduxit. Id enim vnice operam dabat nequid hostile paterentur deditii, sed agros, villas, pecora, & relicta in prædiis mancipia, salua reciperent, nec sinebat milites diuersari in oppidis, nequid peccarent furtis rapinisve, sed castra metabantur prope mœnia. Hinc exercitum admouit ad Bouillas, quod oppidum & illustre tunc erat, & vnum è primariis Latini generis ciuitatibus numero perexiguis. cumque ab oppidanis mœnium firmitate & propugnatorum multitudine fretis excluderetur, milites ad fortiter pugnandum exhortatus, propositis maximis præmiis his qui primi euasissent in mœnia, rem strenue aggressus est: pugnatumque est circa id oppidum acriter. nam Bouillani non modo à mœnibus hostem arcebant, sed etiam apertis portis confertim prorumpebant, aduersosque magna vi per decliuia propellebant. plurimi Volscorum ibi cæsi, diuque durauit oppugnatio, vix vlla spe victoriæ. Sed imperator in cadentium locum alios sufficiens, efficiebat ne sentiretur detrimentum numeri: laborantibusque addebat animum, & quacunque parte premerentur, ipse labantes fulciebat; nec verbis tantum, verum etiam exemplo suos animabat. nam omnia subibat pericula, nihil intentatum relinquens, donec vi mœnia caperet. tandemque hac etiam potitus vrbe, victos partim occidit repugnantes, partim viuos cepit: adeptusque clarissimam victoriam, exercitum abduxit, plurimis & luculentissimis oneratum spoliis, ditatumq; pecuniis maximis. plures enim ibi quam in ceteris oppidis reperiebantur opes. Post hæc quacumque iter facerent, & ager erat in potestate, nec oppidum vllum eis se opponebat præter Lauinium, quod oppidum Troiani qui cum Ænea in Italiam appulerunt, primum condiderunt, & vt supra exposui, Romani suam inde traxerunt originem. Oppidani autem quiduis potius pati decreuerant quam fidem erga nepotes deserere. ergo acriter ibi aliquamdiu tum in muris, tum ante mœnia pugnatum est. sed nihil profecerunt primi impetus, ita vt diuturna obsidione opus esse videretur. absistens igitur ab oppugnatione Marcius, oppidum fossa & vallo cinxit, viasq; obsedit, vt tum auxilia, tum commeatus excluderet. At Romani cum audirent socias vrbes partim captas & subuersas, partim necessitate ad defectionē XXII.

adactas, obtunderenturque quotidianis legationibus eorum qui in fide permanebant, & auxilium implorabant, territi etiam feruente Lauinii circumuallatione, ac veriti ne hac munitione capta bellum recta in ipsos conuerteretur, vnum malorum omnium remedium credebant, si Marcio reditus in vrbem decerneretur; vociferante tota plebe, tribunisque paratis de irritanda mulcta referre ad populum. Sed patricii obsistebant, nec volebãt quidquam de re semel iudicata mutari. cumque nullum fieret S.C. tribuni quoque nihil amplius ad plebem referebant. quod sane mirandum, cur senatus, qui superiori tempore studuerat Marcio, tunc plebi hominem reuocare volenti aduersatus sit; haud facili coniectura num experiri volens eius constantiam; an ideo difficilem se præbens, quo magis accenderet desiderium; an vero vt eorum calumnias refelleret, qui patrum instinctu & adminiculo hæc à Marcio fieri dictitabant. nam ipsi dissimulabant caussam huius consilii.

XXIII. His per transfugas cognitis Marcius, vt erat iratus, mox exercitum versus vrbem mouit; & ad fossas Cluilias, quadraginta ab vrbe stadiis castra posuit; relicta copiarum parte quanta sufficeret ad continuandam obsidionem Lauinii. Ad cuius aduentum tantus in vrbe tumultus exortus est, ac si iamiam instaret oppugnatio: ita vt correptis armis iniussu magistratuum alii ad mœnia discurrerent, alii ad portas agminatim nullo duce properarent: nec deerant qui armatis seruitiis parietes domesticos pararent defendere; alii rursum qui arcem Capitolinam ceteraque vrbis loca munitiora occuparent: mulieres cum vlulatu passis crinibus ad delubra & templa concurrebant, precantes vt Dii præsens ab vrbe periculum auerterent. Per hanc trepidationem exacta nocte ac magna sequentis diei parte, cum nihil fieret eorum quę timuerant, nec castra moueret Marcius, tota plebs facto in forum concursu patres in curiam vocauit; & nisi S.C. decerneretur homini reditus, minabantur seipsos sibi consulturos, vt proditos. Tum demum coacti in curiam patres decreuerunt vt quinque seniores ex patribus, quos ille diligeret maxime, legati ad eum mitterentur, acturi de pace atque amicitia. ad id negotium delecti sunt hi; Marcus Minucius, Postumus Cominius, Spurius Largius, Publius Pinarius, Quintus Sulpitius, omnes consu-

Legatio ad Marcium.

consulares. Hi postquam in castra venerunt, Marcius cognito illorum aduentu, cum Volscorum ceterorumque sociorum nobilissimis consedit quo loco maxime possent ab omnibus exaudiri quæ dicerentur, eosq; ad se vocari iussit. qui postquam intrarunt, Minucius qui in cõsulatu suo plurimum pro eo laborauerat, plebique se acerrime opposuerat, in hanc sententiam verba fecit: Nemo nostrum ignorat, Marci, affectum te à plebe iniuria, & probrose expulsum è patria. nec miramur si indigne fers hoc infortunium. Sic enim natura comparatum est, vt læsus ei qui læsit, infensus sit. Illud miramur, non perpendere te sano iudicio in quos vindicare debeas, nec in pœnis exigendis modum seruare, sed eodem loco habere innoxios & noxios, amicos & inimicos, mouereque naturæ leges immobiles, & pietatem erga Deos temerare, ne tui quidem ipsius memorem, quis & e quibus natus sis. & venimus à republica legati è patriciis natu maximi, tuique studiosissimi, afferentes violati iuris expostulationem mixtam precibus, exposituri que quibus conditionbus censeamus tibi cum plebe redeundum in gratiam: simulque admonituri quid in rem tuam fore putemus, quidque te facere deceat maxime. X XIV.

Ac primum de iure dicetur. Conspirarat in te plebs à tribunis irritata, conabanturque te indemnatum occidere quibus eras formidabilis. Id ne fieret nos senatores prohibuimus, effecimusque ne quid tunc contra ius patereris. Postea cum hic tui occidendi conatus esset impeditus, diem tibi *ad populum* dicere voluerunt, & accusare quod apud senatum plebi male locutus esses. restitimus hic quoque, vt nosti, nec passi sumus te vel sententiæ dictæ vel orationis habitæ pœnas luere. Hic quoque frustrati, postremo adierunt nos & tyrannidem tibi obiecerunt. ad hoc crimen refellendum ipse te obtulisti, quod ab eo plurimum abesses; permisistique de te iudicium populo. ac senatus tunc quoq; tibi affuit, & multas pro te fudit preces. Quodnam igitur malum tibi creauimus nos patricii? cur nos bello petis, quorum tantum tunc fauorem in tua caussa expertus es? Immo ne plebem quidem totam te expulsum voluisse, satis compertum est, quando duobus tãtum calculis damnatus es. quapropter ne his quidem iure hostis esse potes, qui te vt innocentem absoluerunt. Sed fac, si libet, te totius X X V.

plebis suffragiis, totiusque senatus iudicio addictum huic infortunio, iustumq; esse tuum in nos omnes odium; quid damni dederunt fœminæ tibi Marci, vt earum hostis sis? quibus te calculis in exsilium egerunt? quibus te maledictis exagitarunt? Quid vero pueri nostri vel egerunt vel cogitauerunt iniuste contra te? quibus nunc imminet periculum captiuitatis, aliarumque miseriarum quæ solent euenire vi captis vrbibus. non æquum iudicas Marci, qui putas sic persequendos inimicos & noxios, vt interim ne amicis quidem parcatur & insontibus. hæc certe secus quam bonum virum decet cogitas. Et vt omnia ista omittam, quid responderis, dic per Iouem, siquis te roget, quanam maiorum iniuria lacessitus, monumenta eorum diruas, honoresque eis ab hominibus concessos adimas? Deorum item aras, delubra, templa, quonam merito ipsorum offensus spolias, exutis, subuertis, eosque cultu priuas solenni ac legitimo? quid ad hæc possis dicere? equidem nihil video. Atque hæc pro nobis Marci, proque senatu & ceteris tuis ciuibus, quos is perditum nihil ab eis læsus, proque sepulcris & templis & patria quæ te genuit & educauit, dicta sint. Nisi forte censes æquum omnes homines, etiam innoxios, vna cum vxoribus & liberis pœnas tibi dare; omnesque cum Deos tum heroas & genios, vrbem item & agros, luere tribunorum amentiam, nihilque haberi eximium, nihil abs te impunitum dimitti. An non satis pœnarum iam exegisti ab omnibus, tot editis stragibus, tot agris igni ferroque vastatis, tot funditus euersis vrbibus, tot festorum, sacrificiorum ceteriq; diuini cultus solennitatibus tam multis in locis plane conticescere coactis? Equidem arbitror indignum viro cui quantulacumque virtutis cura est, vel amicos cum inimicis confundere, vel eos qui aliquid in ipsum delinquunt, implacabili ira persequi, præsertim vbi multas magnasque pœnas ei luerint.

XXVI. Hęc igitur sunt quibus & nostrum ordinem excusamus, & pro plebe deprecamur. Restat vt subiiciam quæ tui suiq; honoris studiosi tibi pollicentur, si redeas in gratiam cum patria. Tuum est præsentem potentiam adiutam fauore numinum moderate dispensare, cogitareque quam mutationibus obnoxia sint omnia, quam nihil in rebus humanis stabile: & quidquid ad summum claritatis fastigium euectum

uectum eminere cœperit, indignationem Deorum non effugere, vertique rursum in nihilum: idque potissimum vsu venire sæuis ac superbis ingeniis, & iis qui humanitatis limites transiliunt. Licet autem tibi nunc honestissimis conditionibus bellum deponere. nam & senatus totus ad decernendum tibi reditum inclinat, & populus paratus est te nouo plebiscito perpetui exsilii mulcta liberare. quid igitur vetat te suauissimarum & carissimarum necessitudinum conspectu rursum frui, & patriam toties armis defensam recipere, præesse imperantibus, & ductores ducere, liberisque ac nepotibus amplissimam *de te* gloriandi materiam relinquere? horum certe promissorum omnium breui prǽstandorũ nos sponsores sumus. nunc enim nõ decebat ex S. C. aut plebiscito tibi decerni æquum aliquid, dum exercitum habes contra nos, & geris te hostiliter. quodsi ab armis discedas, breui ad te decretum de reditu à nobis perferetur. Hæc sunt quæ reconciliatus habebis commoda. XXVII.
quodsi in ira perstabis, & odium in nos deponere noles, multæ tibi obuenient difficultates; ex quibus duas nunc, quæ maximæ sunt & manifestissimæ, exponam. primo, quod rem difficilem vel potius impossibilem moliris, conuellere scilicet populi Romani potentiam, idque Volscorum armis. deinde, etiamsi voti compos euadas, habeberis mortalium omnium miserrimus. Cur autem ita opiner, audi Marci, nec mihi libere loquenti succense. Ac primum considera tentare te impossibilia. Scis ipse populum Romanum abundare multa iuuentute domestica; ex qua si eximatur seditio, (quod vt nunc fiat, extorquebit ipsa belli necessitas: nam instante communi periculo, conciliari solent dissidentium animi) nec Volsci præualebunt, nec vlla gens alia quæ Italiam incolit. Multum etiam virium est Latinis ceterisque sociis atque colonis nostris; quos propemodum omnes breui affuturos exspecta. Duces quoque tui similes tum seniores tum iuniores tot nobis sunt, quot vix omnibus ceteris populis. Sed omnium firmissimum adiumentum, & quod spem nostram in aduersis numquam fefellit, cunctis viribus humanis potius, est Deorum beneuolentia, qui per octo iam ætates nostram vrbem tuentur, non solum in libertate, sed etiam in felicitate & multarũ gẽtium imperio. Nec nos Pedanis aut

Tolerinis aliisve paruis ciuitatibus confer, quarum occu-
pasti oppidula: potest enim etiam te inferior imperator, &
minoribus instructus copiis, infirma munimenta à paucis
defensa capere: sed considera vrbis magnitudinem, quæ &
rebus hello gestis est clarissima, & Deorum fauore fortu-
natissima: per quem ex parua tam magna facta est. tuasque
istas copias, quibus fretus rem tam arduam aggrederis, ne
puta factas nunc alias: sed probe memineris te Volscos &
Æquos ducere, quos nos ipsi qui adhuc sumus superstites,
toties prœlio vicimus, quoties nobiscum bellare sunt ausi.
Proinde scito te cum deterioribus aduersus præstantiores
certaturum, & cum toties victis aduersus semper vincere
XXVIII. solitos. Quodsi contra se res haberet, illud tamen admi-
ratione dignum fuerit, si tam peritus rei militaris vir igno-
ras in periculis non tantum audaciæ suppetere solere alie-
na inuadentibus, quantum sua bona defendentibus. nam
illis vt male cedat, nihil perit, his nihil reliquum fit nisi rem
gerant fortiter. & hæc præcipua est caussa cur interdū ma-
iores copiæ sternantur à minoribus, & potentiores à debi-
lioribus. Vehemens enim res est necessitas, & extremum
periculū satis est ad indendā audaciā sicui nō sit innata. Sed
hac de re hæc dixisse sufficiat, quamuis plura possem dicere.
Vnū adhuc superest. quod si non animo irato, sed recta ra-
tione perpenderis, probabitur tibi sat scio, adducetq; te ad
pœnitentiam. quodnam illud? Nemini mortalium Dii de-
derunt certam futurorū scientiam: nec post homines natos
vllū reperias cui omnia successerint ex sententia, nusquam
aduersante fortuna. quamobrē qui prudentia præstant ce-
teris, quam vita longa & multus rerum vsus affert, priusquā
rem quamcunque aggrediantur, finē eius primū spectan-
dum censent, non eum tātum quem ipsi sibi destinauerint,
sed eum etiā qui potest præter exspectationem accidere: at
potissimum *id faciunt* imperatores potestate prę̨minentes,
in quos tam boni quam mali euentus caussæ vulgo referri
solent: & si viderint ex frustratione nullum aur paruum
damnum futurū, aggrediuntur rem: sin multa magnaque,
desistunt. hoc tu quoque fac, & antequam pericliteris, pro-
spice quid futurū tibi sit si bello vincaris, nec voto potiaris,
incusaberis apud tuos hospites, vt aggressus rem viribus
maiorem. deinde vbi nos rursum cū exercitu agrū illorum
ingressi

ingressi vastabimus,(nec enim iniurias quibus lacessiti sumus,inultas relinquere poterimus)alterutrum euadere nõ poteris,quin aut ab illis ipsis turpiter interficiaris,quib. magnas calamitates creaueris, aut à nobis, quos perdere atq; in seruitutem redigere conatus sis. & fortassis illi priusquã aliquid mali experiantur, pacis impetrandæ caussa dedent te ad supplicium: quod sæpe necessitas coegit facere multos tam Græcos quam barbaros. Hæccine tibi parua videntur,nec memoratũ digna? & contemnendane sunt,an in extremis malis reputanda?

Age,si succedat, quodnam inde magnificum tantaque contentione appetendum consequêris bonum? quam reportabis gloriam?id enim expende. primo carendum tibi erit carissimis necessitudinibus, matre misera, cui pro partu,educatione, ceterisque tuo nomine deuoratis molestiis non bonam refers gratiam: deinde pudica coniuge,quę tui desiderio in viduitate sola desidens, dies noctesque tuũ deplorat exsilium:ad hæc duobus filiis,qui cum egregiis nati sint progenitoribus, fructus ex illorum honoribus percipere deberent, & in patria fortunata florere gloria. quorum omnium miseros & calamitosos cogêris spectare interitus,si ausus fueris mœnibus nostris admouere tuas copias.non enim tuis parcent qui timebunt *rebus & cognationibus* propriis, & iisdem abs te afficiuntur incommodis; sed fœdis in eos tormentis,immanibus insolentiis, omnique contumeliarum genere desæuient,exasperati suis calamitatibus. & horum malorum culpa non adscribetur iis qui perpetrarint,sed ei qui hanc illis necessitatem imposuerit.has voluptates percipies si res tibi successerit ex sententia.Laudem vero & honorem (quæ bonis viris vnice sunt expetenda)qualem inde habiturus sis,vide matricida dicêris,filiorum interfector,vxoris pernicies, patriæ malus genius;& nec ad sacra,nec ad libamina, nec ad larem domesticum, quocumque perueneris, admittet te quisquam iustus ac pius.ac ne ipsis quidem carus eris in quorum ista facis gratiam ;sed abusi ad suam vtilitatem tuis impiis facinoribus,odio prosequentur obstinationem ingenii. Omitto dicere,non solum exosum te fore æquissimo cuique, verum etiam obnoxium inuidiæ pariũ,&inferiorum suspicionibus;quorũ vtrumq; solet insidias parere:aliasq; mole-

XXIX.

stias taceo, quæ necessario sequuntur virum sine amicis habitantem peregre. prætereo etiam furias quæ facinorosis & nefariis hominibus à Diis & geniis immittuntur: à quibus anima & corpore discruciati, post vitam in malis transactã tristes etiam experiuntur obitus. Hæc considerans Marci, resipisce, & desine meminisse acceptæ à patria iniurię: ac reiecta in fortunam culpa malorum quæ tu à nobis & nos à te accepimus, lætus reuertere domum ad amplexus matris gratissimos, officia coniugis suauissima, salutationes liberorum dulcissimas; teq; pulcherrimum debitum redde patriæ, quæ te genuit & tantum virum educauit.

XXX. Ad hanc Minucii orationem post paruam morulam sic respondit Marcius: Tibi quidem Minuci, vobisque ceteris senatus legatis amicus sum, paratus quantum possum benefacere; quia mihi & ante, cum ciuis essem vester, ac reipublicæ vobiscum inseruirem multis ac necessariis temporibus commodastis, & post exsilii mulctam me nõ auersati estis, nec aspernati in ea fortuna in qua neq; amicis prodesse poteram, neque inimicis obesse: sed vt boni & fidi amici, constanti me beneuolentia prosecuti estis, & curam insuper agitis matris meæ, vxoris, liberorum; quorum calamitates vestra prouidentia leuiores redditis. ceteris Romanis infensus sum quantum possum maxime, nec vnquã eos odisse atque oppugnare desinam: qui cum me honorare deberent ob tam multa & præclara facinora, quasi grauissime in rempublicam deliquissem, turpiter exegerunt patria, nec matrem meam reueriti, nec liberos miserati, nec vllo alio humanitatis affectu in miseriis meis tacti. Hoc cum sciatis, siquid vobis ipsis à me impetratum cupitis, ne pigeat dicere. nihil enim vobis, quod quidem fieri possit, denegabitur. Ceterum de amicitia & pace, quam me spe reditus cum plebe redintegrare vultis, desinite agere. *Scilicet* vnice mihi optandus est reditus in eã vrbem, in qua virtutis præmia ferunt ignauissimi, & maleficiorum pœnę in-

XXXI. fligũtur innocentibus. Dic enim obsecro, quã ob culpam expertus sum hoc infortunium? ob quod facinus indignum meis maioribus? prima militiæ rudimenta posui adolescens admodũ, quando contra reges vi reditũ quærentes pugnauimus. ex eo prœlio ciuicam coronã retuli, qua imperator me ornauit ob ciuem seruatum, & hostem interemptum: deinde

deinde & in ceteris quotquot interfui equestribus ac pedestrib. prœliis, insignē nauaui operā, & ex omnib. fortitudinis pmia reportaui: & neq; vrbs vlla vi capta est, cuius ego mœnia nō primus aut cū primis cōscēderim; neq; hostes in acie fugati sunt, quin mea præcipue opera profligatos fassi sint omnes qui prœlio interfuissēt: neq; vllū aliud opus militiæ præclarū aut generosum absq; mea vel felicitate vel audacia peractū est. Verum hæc fortasse posset alius quoq; vir fortis de se iactare, etiāsi non tam multa. Sed quis vel miles vel centurio vrbem à se captam gloriari poterit, sicut ego Coriolos? eodemq; die fusum à se ac fugatū exercitum hostiū, sicut ego Antiatiū fugaui copias, quæ obsessis veniebāt auxilio. taceo quod post talia virtutis specimina, cū liceret mihi è præda magnā vim auri atq; argenti accipere, mancipia item, iumenta, pecora, multos & bonos agros, nolui; sed ad vitandam inuidiā ex omni præda vnum tātum bellatorem equum accepi. & ex captiuis *vnū* meum hospitem; reliquas opes in cōmune deposui. Ob hæc facta vtrū pœnas an honores merui; vtrū nequissimis ciuiū subiici, an reddere iura inferioribus? At non ob hæc me plebs expulit, sed quod alias in libidinibus, luxu & flagitiis vitam tererem. Et quis vmquam vel vnum ostendere poterit, qui meis flagitiosis cupiditatibus patria sit expulsus, aut libertate priuatus, opibusve spoliatus, vel alio quopiam infortunio afflictus? imo ne inimicus quidem vllus vmquam mihi tale crimen obiecit *vel priuatim vel publice:* sed vniuersos habui testes quotidianæ frugalitatis inculpatissimæ.

Dixerit aliquis ita me versatum in republica, vt exosus hoc nomine in calamitatem inciderim; quod cum potuissem meliori parti adhærere, deteriorem prætulerim, & perpetuo cum dictis tum factis id egerim, vt optimatium regimen à maioribus institutum conuelleretur, & imperitum atque improbum vulgus rerum potiretur. immo diuersissima fuerunt mea studia Minuci, vt rerum cura perpetuo penes senatum esset, & patria reipublicæ forma conseruaretur incolumis. pro his honestissimis studiis, quæ apud maiores nostros habebantur æmulatione dignissima, hanc felicem ac fortunatam gratiam patria mihi reddidit, non à plebe solum eiecto, Minuci, sed multo prius à senatu; qui ab initio me, cum tribunis tyrannidē sibi astruen- XXXII.

tibus aduersarer, inani spe erexit, velut securitatem mihi præstiturus: deinde, cum suspicaretur nequid sibi ex plebe oriretur periculi, destitutum me inimicis prodidit. Tu ipse Minuci consul eras quãdo S. C. factũ est de iudicio, & quãdo Valerius dedendum me plebi suadens, eo nomine valde laudatus est; cum ego veritus ne senatus quoque suffragio damnarer, assensi & iudicium me subiturum promisi. I nunc Minuci, responde vtrum & senatui pœna dignus visus sim ob bene tractatam rempublicam, an plebi tantummodo. Si enim omnes tunc contra me consensistis, & omnes me expulistis, liquet vos omnes qui hoc statuistis, virtutem odisse, nec esse locum in vrbe qui virum honestum ac bonum capiat. quodsi senatus id plebi coactus dedit, & factum eius necessitati tribuendum est, non voluntati, fatemini vos improborum hominum regi imperio, nec senatum quidquam eorum quæ velit posse. & postea vultis vt in talem ciuitatem reuertar, vbi meliores parent deterioribus? ergo insanum me putatis.

XXXIII. Sed finge hoc mihi persuasum, & pace facta me iam (vt postulatis) reuersum; quid animi posthac erit mihi? quam vitam victurus sum? Vtrum securiora & tutiora secutus consilia, in magistratibus, honoribus, & aliis quibus me dignum existimo, ambiendis, demerebor fauorem vulgi, penes quem istorum conferendorum est potestas? malus igitur ex bono fiam, nec quidquam mihi prętérita virtus proderit. an mores eosdem retinens, idemque institutum in republica, aduersabor diuersum sentientibus? id quidem si fecero, procul dubio plebs me iterum oppugnabit, aliasque iterum pœnas *à me* repetere volet; & hoc ipsum mihi primum obiiciet crimen, quod per ipsam restitutus in patriam, non colam eam gratis officiis. non potestis id negare. Exorietur deinde aliquis Icilio similis aut Decio tribunus audax, qui criminabitur me inter ciues dissidia serere, aut insidiari plebi, aut rempublicam hostibus prodere, aut tyrannidem (vt Decius calumniatus est) affectare, aut aliud contra leges facere, quodcumque ipsi visum fuerit: non enim inimico crimina deerunt. quibus accedent & hęc non diu dissimulata quæ per me hoc bello gesta sunt, agri ferro vastati, prædæ abactæ, vrbes *vestro imperio* ademptæ, propugnatores earum partim cæsi, partim hostium potestati

ſtati traditi. Hæc obiicientibus accuſatoribus quid reſponſurus ſum? aut quo vtar auxilio? An non igitur manifeſtum eſt, Minuci, vos bella tantum verba & figmenta afferre, ac rei nefariæ honeſtum nomen prætexere? non enim reditũ mihi datis, ſed me victimam plebi reducitis; volentes fortaſſis ac prudentes: nil enim amplius boni de vobis ſuſpicor. aut ſi ita mauultis, ſit ita, nihil vos ſcire quod paſſurus ſim. Sed quid mihi proderit veſtra vel ignorantia vel ſtultitia, qui nihil vetare, etiam ſi velitis, poteritis; ſed hoc quoq; plebi ſicut cetera largiri cogemini? Iam ſatis oſtenſum opinor, nihil mihi ad ſecuritatem collaturum hunc quem vos vocatis reditum, ego vero compẽdioſam ad exitium viam.

Quod vero nec ad gloriam, aut honorem, aut pietatem mihi conducat; (quando etiam de his monuiſti Minuci, recte faciens) ſed quod fœde atque impie facturus ſim, ſi veſtram auctoritatem ſequar, audi viciſſim. Ego Volſcis, dum hoſtis eorum eram, multa mala intuli, ad aſſerendum patriæ imperium, potentiamque & gloriam. An non igitur par erat honorari me ab iis quos beneficiis affecerã, à læſis haberi odio? *Ita*, ſi fieret quod par eſt. Horũ vtrũq; fortuna vertit in contrariũ. Vos enim in eorum gratiã quibus erã inimicus, exutum me bonis omnibus & in nihilũ redactum abiecistis: hi vero tot malis à me affecti, me ciuitate ac lare carentem, abiectumque & inopem, receperunt in ſua oppida. nec contenti tam ſplendido & magnanimo facto, ciuitatem mihi dederunt apud omnes ſuos populos, ſimulque magiſtratus & honores maximos. Omitto alia; nunc imperatorem me crearunt omnium quas emiſerunt copiarum, & totam rempublicam in meas ſolius manus tradiderunt. Age igitur quo pectore poſſem hos prodere, à quibus tantis affectus ſum honoribus, ac ne minima quidem læſus iniuria? niſi forte beneficiis eorum lædor, ſicut vos meis. Egregiam vero laudem mihi afferret apud homines, ſi me proditionem iteraſſe cognoſcerent & quiſnam me laudaret ſi audiret me amicos, à quibus fouẽdus eram, hoſtes comperiſſe; & hoſtes, à quibus eram delendus, expertum amicos; ac poſtea cum deberem odio reſpondere odientibus, & amore amantibus, feciſſe contrarium? Iã vero & quod ad Deos attinet, conſidera Minuci, qualis nunc eorum erga me ſit fauor; & qualis futurus ſit in poſterum, XXXIV.

si vestrum consil um secutus, fidem his debitam prodidero, nunc sane ab illis adiuuor in omnibus quæ contra vos aggredior, nulloq; conatu frustror. quod quantum argumentum putatis pietatis meæ? Si enim impium contra patriam suscepissem bellum, oporteret vt plane aduersa experirer numina. nunc quia secunda mihi in bellis aspirat fortuna, & quidquid tento succedit, satis apparet me virum esse pium, & institutum meum honestum. Quid ergo mihi exspectandũ erit, si animo mutato, res vestras amplificare, & res horum atterere instituam? Annon omnia vertentur in contrarium, & vltricem experiar Nemesim? & sicut ex humili Deorum ope magnus euasi, sic rursus ex magno fiam humilis; meusque casus documento erit aliis?

XXXV. Mihi quidem id persuasum est de Diis: & terribiles istas furias, quæ (vt tu quoque Minuci monuisti) facinorosis sunt implacabiles, tunc credo animum meum & corpus perpetuo excruciaturas, si deseruero ac prodidero eos qui mea vobis perditum non modo seruarunt, sed insuper etiam multis & præclaris ornarunt beneficiis: quibus sponsores Deos dedi, me nullo eorum malo venisse, & fidem seruaui hactenus intaminatam. Dum vero amicos adhuc vocas, Minuci, qui me expulerunt, & patriam quæ me abnegauit, naturæque leges inuocas, & de pietate dilleris, videris mihi communi sensu carere; qui, quæ nullus alioqui nescit, solus ignores, amicum ab hoste non faciei lineamentis aut nomine discerni, sed vsu & operibus. Omnes enim iuuantem amamus, & lædentem odimus; non quod vlli nobis homines hanc legem fixerint, & refigant, si diuersum videatur; sed quod eam à communi natura ex omni æuo cunctis sensu præditis insculptam, & perpetuo duraturam, acceperimus. ideoque tum amicis renuntiamus, si nos afficiant iniuriis; tum inimicos amicos facimus, si nos demereantur gratia. patriam quoque, dum prodest, pietate prosequimur; si noceat, deserimus; non propter locum eam amantes, sed propter commoda. nec priuati solum homines id pro se quisque intelligunt, sed & ciuitates & gentes integræ. atque ita qui hanc sententiam sequitur, nec diuinis legibus quidquam repugnat, nec commune hominum ius violat. & ego dum meum ago negotium, facere me puto quod iustum sit, & vtile, & honestum; atque adeo etiam pium.

nec

nec opus est vt hic stem eorum hominum iudicio, qui cõiecturis & opinionibus ad veritatem collimant; modo Dii facta mea probent. nec me impossibilia moliri arbitror, cum Deos duces sequar; si licet ex præteritis argumentum de futuris sumere.

XXXVI. Quod autem hortamini vt modeste fortuna vtar, nec radicitus gentem Romanam eruam, vrbemve subuertam funditus, possem Minuci dicere, non esse hoc in mea potestate, nec à me peti debere: mihi copiarum tantum imperium esse creditum; penes hos manere belli & pacis arbitrium: itaque ab his, non à me, petendas siue inducias, siue pacem. Non tamen sic respondeo: sed cum & ipse patrios Deos venerer, maiorumque sepulcra & natale solum reuerear, vxoresque vestras & liberos miserer, in quos immeritos maritorum ac patrum delicta recident; atque in primis in vestram gratiam Minuci, quos legatos misit populus, hoc responsum do: Si populus Romanus redditis agris & oppidis quæ occupauit, reuocatisque colonis, Volscos in perpetuam amicitiam & æquale ciuitatis ius sicut Latinos recipiat, interposito iureiurando, & diris in eos qui pacta violauerint, pacem cum eo faciam. Hæc illis renuntiate, & quemadmodum *modo* apud me, sic apud illos de iure accurate disserite: æquum esse vt quisque sua bona in pace possideat; magnique æstimandum, nec hostem vllum nec tempus metuere: turpe vero alienarum possessionum cupidine bellum sustinere non necessarium, atque adeo cum propriarum opum periculo coniunctum: & ostendite illis præmia quæ alienorum agrorum cupidos manent, si reflante fortuna rem gerant infeliciter. &, si vobis videtur, addite hoc etiam, eos qui vrbes alienas per iniuriam ad se rapere nitũtur, si vincantur, suam ipsorum vrbem vna cum agro amittere, & præterea in ipsorum conspectu fœde tractari vxores, liberos ad contumelias rapi, & parentes decrepitos in seruitutem abduci. Simul etiam senatum docete, hæc mala non imputanda Marcio, sed ipsorum stultitiæ; qui, cum liceat eis admissis iustis postulatis, omni se periculo expedire, malint de summa rerum aleam iacere, & continenter inhiare alienis dicionibus. Habetis responsum; nihil à me exspectate præterea: sed abite & dispicite quid vobis facto opus sit, ad deliberãdum triginta dies do. Interea in vestram

gratiam Minuci, ex hoc agro abducam exercitum. nō possem enim sine magno vestro damno hîc manere. ceterum ad trigesimum diem exspectate me ad accipiendum respōsum reuersurum. His dictis surgens, dimisit consistorium.

XXXVII. Sequenti vero nocte circa vltimam vigiliam motis castris, duxit ad reliqua Latinorum oppida: siue quod reuera audisset ventura inde Romanis auxilia, sicut tunc *apud milites* pro concione dicebat: siue ipse rumorem eum finxerat, ne bellum in hostium gratiam intermisisse videretur. & aggressus Longulam, expugnatam minimo negotio, diripuit sicut alias, exinaniuitque, captiuis abductis. ac mox porro contra Satricanos duxit exercitum. & potitus hoc quoque oppido, prædaque amborum cum parte copiarum Ecetram missa, ipse cum reliquo exercitu Setiam petiit: & hac etiam capta direptaque, in Poluscanum agrum irrupit. qui cum ei resistere non possent, expugnato eo quoque oppido, ordine perrexit ad cetera. itaque Albiolanos & Mugilanos vi expugnauit: Coranos vero per deditionem *insidem* recepit. Porro subactis intra triginta dies septem *Latinorum* oppidis, Romam petiit cum multo maiore quam prius exercitu; & trigesimo ferme stadio ab vrbe in via Tusculana castra posuit. Interea vero dum Latinorum oppida exscindit & ad se pertrahit, senatui post diutinas de Marcii postulatis consultationes visum est nihil facere quod populo Romano indignum esset: sed si Volsci deductis è Romano sociorumque & subditorum agro copiis, & positis armis, legatos de amicitia mitterent, Senatusconsultum fieri de conditionibus fœderis; ac decretum referri ad populum: tantisper vero dum intra Romanorum & sociorum fines manerent, & hostiliter se gererent, nihil mite decernendum. Semper enim populus Romanus diligenter cauit ne quidquam iussus faceret, nec hostium metu cederet; sed aduersariis post ictum fœdus & admissas imperii habenas, tum demum largiretur siquid æquum peterent: eumque animum in multis & grauibus periculis vsque ad nostram ætatem, siue externis siue intestinis vrgeretur bellis, constanter retinuit.

XXXIIX. *Legatio ad Marcium altera.* Hæc vbi senatui placuere, rursum electi sunt in legationem alii cōsulares decem, qui peterent nequid graue iuberet & indignum populo Romano; sed positis inimicitiis, abdu-

abductoque exercitu, verbis & transactione impetraret quæ cuperet; si quidem in stabile ac perpetuum fœdus coire populos vellet: quando quidquid necessitas pro tempore vel priuatis hominibus vel ciuitatibus extorqueat, tantisper duret donec cesset ea necessitas. Cum his mandatis legati profecti sunt cum primum audierunt de aduentu Marcii. ad quem admissi, multis suasoriis verbis vsi sunt, seruata interim dignitate populi Romani. Quibus ille nihil aliud respondit; nisi vt melius sibi consulerent, & reuerterentur intra triduum. non enim se ampliores daturum inducias. Cumque illi nescio quid ad hæc vellent dicere, non permisit, sed iussit euestigio castris excedere; minatus, ni facerent, se tractaturum vt exploratores. Ita illi silentio confestim se dederunt in viam. Hæc tam superba & minacia postquam legati renuntiauerunt senatui, ne tum quidem placuit emitti exercitum: siue quod parum fiderent inexperto bellorum militi; (erant enim tirones plerique) siue quod putarent, consulum timiditati (nam fere nihil in eis erat industriæ) non satis tuto committi posse tantam aleam: siue denique Deorum numen expeditionem inhibuit, vel auguria, vel oracula Sibyllina, vel patria quæpiam religio: quorum ætas ea fuit obseruantior quam nostri seculi homines: sed iusserunt vrbem firmioribus muniri præsidiis, & hostes, si accederent, arceri è propugnaculis. Dum hæc aguntur & apparantur, nondum abiecta omni spe flectendi Marcium, si maior & honoratior legatio mitteretur, decretum est vt pontifices, augures, & quicumque honorem munusve sacrum publico sumptu gererent, (sunt autem Romæ sacerdotes & Deorum ministri permulti; hique ipsi claritate præstant ceteris, & pro paterni generis ac suarum virtutum splendore dignitates consequuntur) præferentes Deorum quos origiis colerent, insignia, sacroque vestitu amicti, vno agmine castra hostium peterent, eadem postulaturi quæ legati proximi. Qui vt eo venerunt & mandata senatus exposuerunt, Marcius nec ipsorum postulatis annuit; sed suasit vt irent & imperata facerent, si pacem habere vellent: alias bellum venturum exspectarent ad vrbis mœnia: edixitq; ne posthac verba ad se fierent. At Romani hoc quoque conatu frustrati, desperata prorsus pace, parabant se

XXXIX. *Legatio ad Marciū tertia, è sacri ordinis hominibus.*

ad obsidionem sustinendam, dispositis circa fossas & portas iunioribus; super mœnia vero emeritis, qui labori ferendo etiamtum essent idonei.
XL. *Interea* mulieres, vt malo iam imminente, relictis penetralibus ædium, & neglecto decoro, currebant ad delubra Deorum, & cum lamentis prouoluebantur ante simulacra: omniaque loca sacra fœminarum supplicantium eiulatu opplebantur; sed Capitolini Iouis templum maxime. Ibi quædam genere ac dignitate præminens, annisque matura, & alias prudens fœmina, Valeria, Poplicolæ illius qui cum primis vrbē à tyrānide liberauerat soror, diuinitus instincta, in summo templi gradu constitit: vocatasque ad se ceteras, primum consolata est, iubens bono esse animo, nec perterreri periculo. deinde pollicebatur vnicam superesse publicæ salutis spem; quæ in ipsis solis sit posita, si velint quæ facienda sunt facere. Tum vna ex earum numero, Et quomodo nos fœminæ possemus seruare patriam, cum viri desponderint animum? quas tantas ad hoc vires habemus inualidæ & miseræ? Non opus est, inquit Valeria, manibus & armis; à quibus vacationē habemus sexus priuilegio; sed verbis & affectibus. Acclamatum est vno ore, proferret siquid haberet auxilii. Tum illa: In hoc sordido & inculto vestitu, assumptis ceteris mulieribus, adductisq; nobiscum paruis liberis, eamus ad ædes Veturiæ matris Marcii; & depositis ante ipsius genua pueris, cum lacrymis rogemus, vt & nos omnis mali insontes, & patriam in extremo periculo constitutam miserata, progrediatur ad castra hostium, ducens secum nepotes, eorumq; matrem, & nos vniuersas: comitabimur enim eam, & ipsæ nostros nobiscum ducentes liberos: deinde vt supplex filium oret, nequam calamitatem inferat patriæ. nam ad eius lamenta & preces miseratio subibit hominem, & humanitatis respectus. non ita ferreum pectus habet ac impenetrabile, vt matrem ad genua sua volutari sustineat.
XLI. Id consilium vt omnibus placuit, votis factis vt Dii precibus suis vim persuadendi & gratiam adderent, è delubro egressa est, ceteris prosequentibus. ac mox assumptis ceteris matronis, simul adierunt domum Veturiæ. quas cum vidisset vxor Marcii Volumnia prope socrum assidens, mirata; Quid, inquit, vobis vultis mulieres, quod tam multæ venistis in domum afflictam

afflictam & miseram? Tum Valeria: in extremo periculo constitutæ & ipsæ, & pueri isti, supplices ad te confugiunt Veturia, te, vnum & solum auxilium, orantes, primum vt miserearis communis patriæ, nec patiaris eam, cùm hactenus in nullius manus venerit, *nunc* à Volscis libertate exui; si tamen parcent ei, & non funditus conabuntur euertere: deinde, vt pro nobis ipsis supplicare velis & his infelicibus pueris, ne hostium insolentiam experiamur, quæ infortunii vestri nullam sustinemus culpam. Siqua in te mitis & humani animi particula superst, Veturia, miserere mulier mulierum quas olim sacrorum & sanctorum habuisti participes: & assumpta tecum bona hac Volumnia, eiusque pueris, nobisq; supplicibus ferentibus hanc tenellam progeniem, vade ad filiũ, ora, obsecra, nec precari desine; pro multis vnam hanc reposcens gratiam, vt pacem faciat cum suis ciuibus, & reuertatur in desiderãtem se patriam. certo enim persuadebis; nec despiciet te ante suos pedes iacentem vir pius. Quem si in vrbem reduxeris, & ipsa immortalẽ habebis gloriam, vt par est, ob ereptam è tam horribili periculo patriam; & nos honoratiores apud maritos facies, quæ bellum submouerimus quod ipsi nequiuerint repellere: videbimur illarũ posteræ ac progenies, quæ sub Romulo bellum Sabinum legatione sua diremerunt, conciliatisq; ducibus ac populis, vrbẽ hanc ex parua magnam fecerunt. Honestum est periculum Veturia, filium recipere, liberare patriam, seruare suas ciues, virtutis immortalem gloriam ad familiæ posteros transmittere. Concede nobis libens & alacris hanc gratiam, nec cunctare Veturia. nam imminens periculum nullas consultationes aut moras patitur. His dictis multisque fusis lacrymis, conticuit. XLII. Lamentantibus autem & ceteris mulieribus, ac vehementer deprecantibus, Veturia post aliquantulam moram & lacrymas inquit: Ad infirmam & exilem spem confugistis Valeria, nostrum *scilicet* miserarum fœminarum auxilium; quibus pietas quidem est erga patriam, & voluntas seruandi ciues, qualescumque sint: sed desunt vires & efficacia. alienatus est enim à nobis Marcius ex quo triste illud iudicium de eo fecit populus, & totam familiam vna cum patria exosam habet. id quod non ex alio quam ipso cognouimus, postquã enim damna-

tus domum rediit amicis deducentibus, cum reperisset sordidatas & in gremiis tenentes abiectos ipsius pueros, gementesque (vt par erat) & deplorantes fortunam quam habituræ essemus illius orbatæ præsentia, stans aliquantum semotus siccis & immotis oculis, vt lapis: Periit, inquit, vobis Marcius, mea mater, tuque Volumnia mulierum optima, expulsus à ciuibus quod generosus sit amansque patriæ, quodque pro ea multos labores pertulerit. at vos ita hunc casum ferte, vt probas, modestas, & generosas fœminas decet: hos pueros absentiæ meæ solatium, educate vt dignum est vobis vestraque familia: quibus, vbi adoleuerint, fortunam precor meliorem mea, virtutem non deteriorem: & valete. iam enim abeo, relinquens vrbem quæ bonos viros non capit amplius. Vos quoque Dii penates, & lares patrii, geniique huius loci præsides, valete. Hæc vbi dixit, nos miseræ edentes voces quas dolor exprimebat, plangentesque pectora, ruebamus in amplexus vltimos; ego, ex pueris his maiorem ducens; mater eorum, in vlnis gerens minorem. Ille auersus, repulsis nobis, inquit: Nec tibi mater Marcius posthac erit filius; sed abstulit tibi senectutis tuæ nutritorem patria: nec tibi Volumnia posthac maritus; sed sis felix alium maritum nacta fortunatiorẽ me: nec vobis filii carissimi pater ero; sed orbi & desolati apud has vsque ad virilem ætatem educabimini. Hæc locutus, non dispositis rebus domesticis, non mandatis vllis datis, ne loco quidem indicato quem peteret, abiit miser ex ædibus solus ô matronæ, sine seruo, sine pecunia, ne vnius quidem diei viatico assumpto: & iam quartum hunc annum, ex quo in exsilium abiit, omnes nos pro alienis habet; nihil scribit, nihil mandat, non quid agamus scire curat. Apud tam durum & impenetrabilem animum, Valeria, quid efficient preces nostræ? quas nec amplexu dignatus est nec osculo, nec vlla alia comitate, digrediens extremum ex ædibus. Attamen si hoc quo-
XLIII. que petitis vos mulieres, & omnino vultis nos indecentes personas agere, fingite iam & me & Volumniam ad eum accedere vna cum pueris. quibus primum ego mater eum affabor verbis? quam filio petitionem offeram? dicite & docete me. rogabo vt parcat suis ciuibus, à quibus patria pulsus est innocens? vt misereatur populi, qui nec misertus

sertus est ipsius, nec condoluit? vt deserat & prodat eos qui, licet ante multis ab eo grauibusq; affecti cladibus, tamen receperunt exsulem, & tractarunt non maligne vt hostem, sed benigne vt amicum & cognatum. quo animo rogabo filium, vt exitii sui auctores amet, & iniuriam faciat seruatoribus? Hæccine decet sanæ mentis matrem à filio petere; hæccine cordatam vxorem à marito? non cogite nos matronæ hæc ab eo postulare, quæ nec apud homines iusta sunt, nec apud Deos pia. Sinite iacere miseras sicut afflictæ sumus à fortuna; nec dedecus insuper addite. Finita oratione coortus est tantus mulierum ploratus, tantis ædes personuerunt eiulatibus, vt longe per vrbem exaudiretur clamor, & turbis opplerentur vici proximi. Tum Valeria rursus alias prolixas & affectu plenas ingeminauit preces, ceteræque matronæ, vt quæque erat alterutri amicitia cognationeve coniunctissima; nec desinebant supplicare tangentes genua. Tandem Veturia obnixis earum precibus ac lamentis victa, legationem suscepit pro patria, pollicita se ituram cum vxore Marcii liberisque, & ceteris quotquot comitari vellent coniugibus ciuium. Ita XLIV.
lætæ matronæ, implorato Deorum auxilio ne spe sua frustrarentur, egressæ ex eius ædibus, quid egissent consulibus nuntiauerunt. qui laudata illarum voluntate, senatuque conuocato, retulerunt de illarum profectione, & an permittenda esset rogauerunt sententias: multaque à multis verba super hoc facta sunt, & vsque in vesperam protracta consultatio. quidam enim non paruum esse periculum demonstrabant, si mulieres vna cum liberis in castro hostium ire sinerentur. nam si illi contempto iure supplicum & legatorum eas retinerent, fore & vrbe potirentur sine certamine: censebantque solas Marcii cognatas sinendas proficisci vna cum liberis. Alii ne his quidem permittendum exitum; sed diligenter asseruandas, velut obsides & hostium pignora, quo minus in vrbem sæuirent. Rursum alii suadebant omnibus quæ vellent permittendum exitum, vt maiore cum dignitate Marcii cognatæ perfungerentur deprecatione pro patria. quas nihil mali passuras, sponsores ostendebant primum Deos, sub quorum tutela supplicaturæ essent: deinde virum ipsum quem adirent, qui vitam nullo vmquam iniusto & impio facinore pol-

luisset. Hæc sententia vicit, magna cum laude tum senatus prudentiæ, qui optime in futurum prospexisset, nihil deterritus periculi magnitudine: tum pietatis Marcii, de quo hoste fuisset opinio nihil patraturum impium in imbellem ciuitatis partem quæ se ipsius potestati permitteret.

XLV. Senatusconsulto facto consules progressi in comitium, concionem aduocant cum iam contenebrasset: expositisque senatus placitis, edicunt vt omnes mane præsto sint ad portam, & deducant mulieres proficiscentes: se *interim* curaturos necessaria. Sub lucem matronæ pueros secum habentes, cum facibus accesserunt ædes Veturiæ, eaque assumpta processerunt ad portam. Consules, qui mulas iugales, plaustra, aliaque vehicula quam plurima præparauerant, impositas istis vehiculis prosecuti sunt per satis longum viæ spatium. & assectabantur eas tum è senatu tum è reliquis ciuibus continua serie multi; assiduisque laudibus & comprecationibus hunc ipsis exitum reddebant luculentiorem. Cum vero eo processissent, vt quanquam à longe, facile tamen è castris possent prospici, Marcius mittit aliquot equites qui cognoscant quænam ex vrbe egressa sit turba, & ad quid veniat: cumque renuntiaretur, Romanas matronas aduentare cum pueris, & matrem ipsius vxoremque cum suis pueris præcedere, primum demiratus est mulierum audaciam, quæ non dubitassent adire castra hostium absque virorum præsidio, idque cum pueris; nec pudore matronali retentæ, quo minus in ignotorum virorum conspectum venirent; nec periculo deterritæ, quod incurrere poterant, si apud suos ius minus valeret quam lucri ac prædæ cupiditas. Deinde cum iam prope essent, occurrere matri extra castra cum paucis decreuit, imperatorias secures deponere iussis lictoribus, & fasces vbi prope matrem veniretur, submittere. sic enim Romanis mos est, quoties minores magistratus obuiam fiunt maioribus: qui seruatur & hodie. ex hoc more tunc Marcius velut maiorem potestatem conuenturus, cuncta imperii sui deposuit insignia. tanta ei pietatis & reuerentiæ erga sexum cura fuit.

Legatio ad Marcium quarta, muliebris, duce Veturia Marcii matre.

XLVI. Vbi vero conuenere, prior mater accessit ad salutandum, sordidata in morem lugentium, oculis lacrymatione tabidis, miserabilis admodum. Qua visa Marcius, immotus hactenus

ftenus & rigidus, ac *velut* obfirmatus ad eluctandas quascumque molestias, non valuit amplius manere in proposito: sed abreptus humanis affectibus, amplexus est eam, salutauitque & blandissime compellauit; ac diu flens, *mœrore* exanimatam labantemque sustinuit & refouit. Postquam matris salutationi satis indultum est, vxorem ac liberos excipiens inquit: Bonę mulieris officium fecisti Volumnia, quæ apud matrem meam manseris, nec solitudinem eius deserueris: quo nihil mihi gratius potuisti facere. Post hæc vtrumq; filium amplexus & (vt par erat) exosculatus, rursum se ad matrem vertit, iussitq; dicere cur aduenisset. Illa se cunctis audientibus dicturã ait: nihil enim petituram impium: rogabatq; vt quo loco multitudini ius dicere soleret, ibi consideret. Pergratum id fuit Marcio; vt qui putaret se honestius responsurum coram multitudine, nec defuturas iustas rationes quibus occurreret matris precibus. Ergo ad imperatorium tribunal progressus, primũ iussit lictores inde sellam in pauimentum transferre; indignum ratus è sublimiore loco, & pro potestate, cum matre agere. Deinde nobilissimis ducum & centurionum adhibitis in consessum, & admissis quicumque adesse cuperent, matri fecit dicendi copiam. Tum Veturia, adstare iussis coniuge Marcii liberisque, & Romanarum matronarum nobilissimis, primum diu fleuit humi defixis oculis, magnamq; ipsa specie præsentibus miserationem mouit. deinde vbi ad se rediit, sic locuta est: Hæ mulieres, fili Marci, cogitantes insolentiam & ceteras calamitates quas sustinere cogerentur si vrbs in hostium manus veniret, desperata omni ope alia, quandoquidem viris earum pacem petentibus *nimis* dure ac superbe respondisti, adductis secũ suis pueris, & pannis hisce amictæ lugubribus, confugerũt ad me tuam matrem, & Volumniã tuam vxorem; rogantes ne se in maximis & grauissimis calamitatibus, quibus abs te *ac tuis* afficerentur, negligeremus; cum nullo nos nec paruo nec magno delicto vmquam læserint, sed magnam nobis tum in prosperis beneuolentiam, tum in aduersis condolentiam exhibuerint. hoc enim testari possumus, ex quo tu è patria discessisti, nosq; desolatæ & in nihilũ redactæ sumus, eas assidue ad nos ventitasse, nostrisq; calamitatibus & cõdoluisse, & solatia præbuisse. Quorũ officiorum

memores ego & vxor tua, domesticæ vitæ mihi ſocia, preces earum non auerſatæ, ſuſtinuimus ita vt rogarunt ad te venire, & deprecari pro patria. Hic Marcius orationem eius interrumpens; Rem, inquit, impoſſibilem petis mater, vt illis qui me expulerunt, meque meis omnibus exuerunt, prodam hos qui me exceperunt, boniſque inter homines maximis benigne affecerunt; quibus ego, cum imperium hoc capeſſerem, Deos genioſque ſponſores dedi, me nec rempublicam eorum proditurum, nec pacem hoſti daturum, niſi ex conſenſu Volſcorum omnium. Proinde tum Deorum metu quos iuraui, tum hominum reuerentia quibus fidem dedi, cum populo Romano debellabo. Quodſi Volſcis agros per vim ereptos reſtituerint, & in amicitiam receptis æquale omnium ius, perinde vt Latinis, impertiuerint, pax eis dabitur; aliter vero non. Vos igitur matronæ abite, & dicite hæc maritis veſtris, & ſuadete ne delectentur vſurpandis per iniuriam alienis *ditionibus*; ſed contenti ſint ſi detur frui propriis; nec exſpectent dum Volſci bello adempta eodem belli iure recipiant. Victores enim non ſatis putabunt ſua recepiſſe; ſed & victorum bona ſibi vindicare volent. Qui ſi peruicacia ſolita retinentes quæ nihil ad ſe pertinēt, malint quiduis perpeti, illis imputate ventura mala; non Marcio, non Volſcis, non cuiquam aliorum mortalium. Te vero mater viciſſim filius oro, ne ſis mihi auctor facinoris iniuſti iuxta atque impii, neve ſtes pro infenſiſſimis vtrique noſtrum inimicis, & hoſtes ducas eos qui maxima tibi neceſſitudine ſunt coniuncti: ſed mecum mane, vt æquum eſt; & eandem quam ego patriam incole, & domum poſſide; meiſque honoribus & mea gloria *mecum* fruere; & eoſdem mecum amicos habe, eoſdem cognatos, eoſdem etiam hoſtes. Depone iam luctum iſtum, quem ob meum exſilium pertuliſti miſera, & habitum iſtum ceu pœnam geſtare deſine. mihi enim, mea mater, cetera ſupra ſpem & ſupra votum contigerunt Deorum atque hominum benignitate: tui vero cura, cui non refero in ſenectute nutricandi gratiam, intabeſcens pectori, hanc mihi vitam totque bonorum fructum acerbum efficit. Quodſi meas partes ſequi meorumque omnium particeps eſſe volueris, nihil mihi ad ſummam felicitatem deerit, quę poteſt homini contin-

contingere. Finita oratione Veturia paululum morata, XLVIII.
donec *scilicet* circumstantium acclamationes, quibus diu multumque laudabatur Marcius, conquieuissent, sic locuta est: Ego vero, Marci fili, nec vt Volscos prodas postulo, qui exsulem te receperunt, & tum aliis ornarunt honoribus, tum copiarum suarum tibi crediderũt imperium: nec volo vt priuatim pacem facias absque consensu publico, contempta pactorum & iuramenti fide, qua te illis astrinxisti cum sumeres imperium: nec credas matri tuæ sic mentem Deos ademisse, vt vnico & dilecto filio turpe aliquid & impium suadeat: sed rogo vt de communi gentis sẽtẽtia bellum deponas, auctoritate tua Volscis inductis ad æquas cõditiones, & pacem quæ vtriq; genti honesta sit. id quod fieri poterit, si nunc abducto exercitu in vnum annum concedas inducias. eo temporis spatio licebit legatis vltro citroque commeantibus de amicitia vera & firma pace agere. certo enim scito, populum Romanũ, quoad salua ipsius existimatione fieri poterit, omnia benigne concessurum verbis & precibus: quod si quis vi cogat, vt tu nunc vis, nihil largiturum nec magnum nec paruum; vt tum ex aliis multis cognoscere potes, tum ex iis quæ nouissime Latinis sunt concessa postquam ab armis discessere. Volsci, vt in magna felicitate solet fieri, valde ferociunt. quos si doceas qualemcumque pacem quouis bello potiorem esse, & sponte conciliatas amicitias coactis firmiores; esseque prudentum virorum, rebus prospere succedentibus moderate fortuna vti; contra in afflictis ad nihil inhonestum se demittere: hæc & alia ad lenitatem & æquitatem inducentia monita si suggeras, quæ non ignota sunt vobis rerũpublicar. administratoribus, facile ponent istam ferociam, & arbitrio tuo committent vt agas quæ in rem ipsorum fore videbuntur. Quod si difficiles se præbeant, nec admittant tua monita, elati rebus tuo ductu gestis, perinde ac si fortunam perpetuo sint habituri propitiam, palam depone imperium, ne vel proditor fias eorum qui fide nituntur tua, vel hostis coniunctorum arctissimis necessitudinibus. nam vtrumque est impium. Hæc precatura veni ad te Marci fili, non impossibilia, sicut tu ais; sed quæ salua pietatis ac iustitiæ conscientia possis facere. At XLIX.
infamiam times si locum des meis precibus; auditurus in-

gratus erga benemeritos, qui te hostem hospitio exceperint, & in consortium omnium eorum quæ natiuis ciuibus communicantur, admiserint. hæc sunt enim quæ verbis tantopere semper extollis. Ergo non sat multas illis & luculentas retulisti gratias, & accepta ab illis beneficia infinito meritorum numero superasti? quos, cum hactenus nil gratius nec optatius habuerint quam in libera patria viuere, non solum in hac facultate constabiliuisti, sed in tantum etiam euexisti, vt ambigant vtrum imperium Romanum delere sit satius, an constituta communi republica, æquo iure in eo viuere. Taceo quot & quantis belli spoliis eos exornaris, quantisque militares opibus ditaris. Et hos tantis per te felicitatibus adauctos, putas non fore contentos præsentibus bonis, sed succensuros, & indignaturos nisi patriæ sanguine manus eorum perfuderis? Ego certe non puto. Superest etiam dicendum quiddam, si rationem in iudicium adhibeas, multum apud te valiturum; sin iram, parum, de iniusto odio quo persequeris patriam: quæ neque sana erat, aut institutis patriis regebatur, quando de te iniqua tulit suffragia; sed morbo laborabat, magnaque tempestate iactabatur; neque totius ea tunc fuit sententia, sed peioris partis præfectos nequissimos sequentis. Immo etiamsi non à pessimis tantum, sed à ceteris etiam omnibus, vt inutilis reipublicæ expulsus fuisses, tamen ne sic quidem memores in patriam iras deberes effundere: nam & aliis multis optimo animo rempublicam gerentibus idem vsu venit: rarique sunt in rebuspublicis quorum virtuti enitescenti non aduersetur iniqua æmulorum inuidia. moderate tamen (Marci) ferunt hæc viri generosi, vt casus humanos, deliguntque sibi domicilium vbi patriam nil offendant. Fecit hoc Tarquinius Collatinus, (vt domesticum & satis idoneum exemplum afferam) is qui ciues cum primis à tyrannide liberauit: deinde ad populum traductus quasi tyrannos in reditu obtinendo iuuaret, & ob hoc pulsus è patria, non recondidit iram, nec cum tyrannis arma ingratis ciuibus intulit, quo facto veri similiorem fecisset calumniam: sed in veterem nostram patriam Lauinium se contulit, ibique vitæ reliquum exegit, nihilo ini-
L. quior patriæ. Sed fac licere læsis nullo discrimine, siue ab inimicis iniuriam acceperint, siue ab amicis, pari in omnes

ira debacchari: an non satis pœnarum exegisti ab iniquis
iudicibus? fertilissimos eorum fundos fecisti pecoribus
compascuos, vrbesque socias, multis laboribus *olim* sub
imperium redactas, deuastasti: & iam tertium annum in-
tra mœnia cohibitos haud leui commeatuum inopia pres-
sisti. nunc vrbem ipsam fera & insana ira impetis, eam-
que diruere & in seruitutem redigere satagis. & nec ve-
nientes à senatu legatos, absolutionem criminis reditum-
que in patriam offerentes, viros amicos & bonos, es re-
ueritus, nec sacerdotes postremo ab vniuerso populo mis-
sos, viros senes & veneranda Deorum *sacra* præferentes,
admisisti: sed hos quoque repulisti, superbo & imperio-
so responso haud secus ac victis dato. Equidem non pos-
sum laudare hunc tam superbum & immitem, tamque
humanitatis limites excedentem rigorem iuris, cum vi-
deam omnibus hominibus in mutuis offensionibus hoc
comparatum refugium, vt pars quæ læsit, ad eam quæ
læsa est, humilis & supplex cum delictorum deprecatio-
ne confugiat; ritu à Diis ipsis instituto: (sic enim quæuis
ira sopiri solet, & in miserationem verti odium) eos vero
qui superbe supplicum preces reiiciunt, indignationem
Deorum incurrere, & miseris absumi calamitatibus. nam
ipsi dii, qui hæc primitus instituerunt & nobis tradide-
runt, ignoscunt peccatis hominum faciles & placabiles: &
multi iam, qui grauiter in eos deliquerant, votis ac sacri-
ficiis iram illorum placauerunt. nisi forte tibi Marci æ-
quum videtur, Deorum iras mortales esse, at iras homi-
num immortales. Recte igitur & ex dignitate tua fece-
ris, si patriæ culpam remiseris, pœnitenti iam, & in gra-
tiam tecum redeunti, ac quicquid olim tibi abstulit, nunc
restituenti. Quod si erga illam es implacabilis, mihi fili hãc LI.
honoris caussa concede gratiam, à qua non minimi pretii
bona, & quæ alius quoque sibi vindicare possit, accepisti,
sed maxima & pretiosissima, & quibus cuncta parasti ce-
tera, *nimirum* corpus & animam. à me enim hæc mu-
tuatus es, nullo auferenda vel loco vel tempore: nec Vol-
scorum reliquorumve hominum omnium beneficia, et-
iam si cælum attingant magnitudine, tantum *apud te* va-
lere fines, vt his naturæ ius violari & aboleri patiaris: sed
meus eris omni tempore, mihiq; omnium primæ debebis

acceptæ vitæ gratiam, & sine caussatione meis obsequeris precibus. Hanc enim legem natura præscripsit omnibus qui sensus & rationis sunt participes. Qua freta, Marci fili, ego te oro ne bellum inferas patriæ; & obsisto tuæ violentiæ. aut igitur me priorem, resistentem tibi matrem, tua manu furiis macta, & tunc bellum infer patriæ: aut matricidium exhorrescens, cede tuæ matri, & vltro dona fili hanc gratiam. Ego cum hanc legem, quam nullum vmquam tempus aboleuit, sociam & vltricem habeam, indignum censeo Marci, me solam honoribus ab hac mihi concessis per te spoliari. Quam legem vt transmittam, reminiscere etiã ac considera quot & quantis *præterea* beneficiis à me sis affectus: quæ te tenella ætate pupillum à patre relictum assumens, mansi vidua, educationis labores pertuli; nec matris tantum, sed patris, fratris, nutricis, sororis, omnium carissimarum necessitudinum loco tibi fui. deinde vbi virilem togam sumpsisti, cum liceret mihi relictis curis alteri nubere, aliosque liberos educare, & plura parare senectuti meæ præsidia, nolui; sed in eisdem mansi laribus, contenta præsenti vitæ genere, in te vno collocatis omnibus meis voluptatibus & commodis; quibus me fraudasti partim inuitus, partim sponte; fecistique omnium matrum miserrimam. quo enim vmquam tempore, ex quo te ad virilem ætatem perduxi, mærore aut metu carui? aut quando hilari propter te animo fui, cum viderem te bella nectentem bellis, & prœlia continuantem præliis, alia post alia reportare vulnera?
LII. Sed forte voluptatem mihi matri afferre cœpisti, ex quo admotus es ad curam reipubl. Immo tum maxime infelix fui, cum te in mediis ciuium seditionibus periclitantem viderem. in quibus enim maxime pollere videbaris actionibus, & plebeiis te pro optimatibus magno spiritu opponebas, hæc me terrebant plurimum: dum cogitabam è quam exiguo momento dependeret humana vita; & tum auditu tum experientia sæpe cognoueram, *semper* viris illustribus aut Deorum aliquam indignationem, aut hominum inuidiam aduersari. atque ita (quod vtinam auertissent Dii) vere futurorum eram vates. oppressus es ciuilis inuidiæ vi, & abreptus à patria. Quæ autem post hæc secuta est vita mea, (si licet vitam dicere, ex quo me desola-
tam

tam cum hisce pueris relinquens abiisti) in his sordibus exacta est, & in his pannis lugubribus. Pro quibus omnibus hanc à te reposco gratiam, quæ nec hactenus tibi molesta fui, nec futura sum in posterum, dum vixero, vt reconcilieris tuis ciuibus iam tandem, & desinas implacabiliter irasci patriæ: quod bonum vtrique nostrum commune fuerit, non mihi soli peculiare. nam & tibi, si morem gesseris, nec grauius quidquam admiseris, pura dirisque terroribus libera manebit conscientia; & mihi à cunctis ciuibus, viris pariter ac mulieribus, honos habebitur; qui mihi suo comitatu non modo viuæ hanc vitam beatã efficiet, sed etiam defunctæ (vt credere par est) immortalem gloriam pariet. & si quis locus est, qui humanas animas à corpore solutas recipiat, meam non subterraneus caliginosusque capiet, quod miserorum esse domicilium perhibent; nec campi quos Lethæos nominant; sed sublimis & purus æther, in quo aiunt diis genitos fortunatam & beatam vitam degere: quibus renuntiata tua pietate concessaque sibi gratia & honore habito, semper tibi præclaram aliquam à diis retributionem petet. Quod si repuleris tuam matrem & inhonoratam dimiseris, quid tibi propterea mali venturum sit, non possum dicere; auguror tamen nil *euenturum* prosperi. illud sat scio; etiam si tibi cetera omnia succedant feliciter, (fingamus enim hoc quoque) certe dolor qui meo mearumque calamitatum nomine te comitabitur, nec animum tuum vmquam relinquet, non sinet te vllius boni fructum in hac vita percipere. nam Veturia, si coram tot testibus contumeliosam patiatur repulsam, non sustinebit vel minimum temporis spatium superuiuere; sed in conspectu omnium vestrum tum amicorum tum inimicorum meipsam interficiam, dirasque & furias tibi pro me relinquam sæuas vindices. Quibus ne opus sit *faxitis* Dii custodes Romani imperii, bonamque ac piam Marcio mentem date, vt sicut modo in aduentu meo secures deposuit & fasces submisit, sellamque de tribunali in solum transtulit, ceteraque imperatoria insignia partim minuit, partim in totum amouit; vt clare perspicerent omnes, ipsi in alios esse imperium, at matri in ipsum: ita & nunc honoratam me faciat & conspicuam donata communi patria; red-

LIII. (margin, beside "Quod si")

datque è miserrima mulierum omnium felicissimam. & si fas est ad filii genua matrem procumbere, nec hoc neç aliam quamuis submissionem grauabor pro salute patriæ. Hæc elocuta, humi se proiecit, & ambabus manibus amplexa pedes Marcii, deosculata est: ac mox secutus est ingens & longus vniuersarum matronarum eiulatus. Volsci vero qui assidebant, nouitatem eius spectaculi non ferentes, auerterunt oculos. ipse Marcius, prosiliens è sella, correptam matrem erexit semanimem; eamque complexus, post multas lacrymas exclamauit; Vicisti mater: quod neç tibi bene vertet, nec mihi. nam patriam quidem seruasti; me vero pium & indulgentē filium perdidisti. Hæc
LIV. effatus, iuit in tentorium, iussis sequi vxore, matre, atque liberis; vbi reliquam diei partem cum eis consultauit quid facto opus foret. Tandem in hæc consensum est: Dereditu eius nec senatum certi quidquam ad populum referre, nec populum decernere, priusquam Volsci de amicitia & pace plane transegissent: ipsum vero copias *sine noxa* non secus quam per amicorum terras abducere: redditaque ratione imperii, & expositis suis beneficiis, ab iis qui copias ipsi commisissent, petere vt, quo ad eius fieri posset, amice cum hostibus transigeretur, paxque ex æquo & bono fieret, commissa sibi æquitatis cura, nequa in conditionibus fraus fieret. quodsi successibus elati pacem recusarent, abdicare se imperio. aut enim idoneorum ducum inopia neminem suffecturos; aut si temere cuipiam exercitum committerent, magno suo malo cognituros quid debuissent eligere. Hæc sunt quæ illis in ea deliberatione videbantur iusta & pia, nec vllam infamiam, quam is vir maxime fugiebat, vspiam allatura. Sed terrebat eos quædam suspicio, ne forte inconsideratum vulgus, quod hostem iam debellatum putaret, frustratum sua spe, in effrenem iram rueret, & ipsum, antequam caussam diceret, suis manibus vt proditorem interimeret. Visum est tamen & id, & siquod esset grauius periculum, virtute ac fide incolumi subire. Vergente iam sole post mutuos amplexus egressi sunt è tentorio: ac mox mulieres in vrbem sunt reuersæ. At Marcius pro concione caussa reddita cur à bello desisteret, & obnixe rogatis militibus vt sibi ignoscerent, ac domum reuersi, beneficiorum memores,

res, sibi contra vim aliorum adessent, multa in eam sententiam locutus, iussit eos parare se in profectionē, excessuros castris nocte proxima. Romani vero, vt senserunt se periculo leuatos, (nam rumor reditum mulierum præuerterat) læti mulieribus procurrebant obuiam, ac salutationibus, iubi is, & aliis huiusmodi, quæ homines è magno periculo ad inopinatam felicitatem traducti, præ gaudio facere solent aut dicere, hilaritatem præ se ferebant modo conferti, modo singuli. Illam igitur noctem exegerunt in conuiuiis & voluptatibus. Sequenti vero die coactus à consulibus senatus de honoribus Marcio decernendis agere in aliud tempus magis opportunum distulit. matronis vero ob prompte nauatam reipublicæ operam decreuit laudationem publico monumento inscriptam ad perpetuam posteritatis memoriam: præterea præmium quod ipsis foret gratissimum & honestissimum. quod senatusconsultum plebiscito confirmatum est. Illæ de communi consilio nihil inuidiosum petierunt, nec aliud quam vt sibi senatus permissu liceret templum Fortunæ muliebri ædificare, quo loco preces pro republica fudissent; & annuo conuentu sacrificium ibi peragere, eo die quo bellum summouissent. Verum senatus populusque Romanus decreuit aream emi publica pecunia Deæque consecrari, & in ea templum & aram condi ex præscripto pontificum; sumptuque publico sacrum *anniuersarium* ibi fieri, cui præesset matrona quam ipsæ deligerent ad id ministerium. His à senatu decretis prima creata est sacerdos Valeria, quæ mulieribus legationis auctor fuerat, & Marcii matri persuaserat vt ei profectioni vellet interesse. qua præeunte, primum sacrificium mulieres pro populo peregerunt super ara in fano facta, priusquam ædes & Deæ statua erigeretur, anni sequentis mense Decembri, tempore nouilunii, quod Græci νουμηνίαν, Romani calendas vocant nam ea die bellum depositum fuit. anno deinde post primum sacrificium altero, ædes quæ publicis impensis locata fuerat absoluta & dedicata est, mensis Quintilis ea die quæ secundum lunæ cursum est circiter septima, (nam & Romanis hæc dies est pridie nonas Quintiles) dedicante Proculo Virginio, altero consulum. Non alienum autem fuerit

LV.

Matronis ob legationē feliciter peractam honores habiti.

LVI.

à legibus historiæ, & cum primis necessarium ad corrigendam persuasionem quorundam, qui Deos nec honoribus per homines sibi delatis gaudere, nec sceleribus offendi opinantur, memorare manifestatam eo tempore numinis præsentiam; idque semel atque iterum, sicut habetur in commentariis pontificum: vt qui religiosi sunt in retinendis de Deorum numine opinionibus per manus sibi traditis, firmiter in proposito perstent, nec sententiam mutent: at qui patrios ritus despicantur, nec vllum Diis in humana consilia imperium tribuunt, opinionem hanc mutent, si fieri possit: si vero sint insanabiles, in maius deorum odium maioraque incurrant infortunia. Fertur igitur cum ex senatusconsulto publice locatum esset Deæ templum atque simulacrum, seorsum ex collatitia matronarum pecunia locatam aliam effigiem: cumque vtraque simul consecraretur, primo *nimirum* dedicationis die, eam statuam quæ mulierum sumptu parata fuerat, Latinis verbis in multarum mulierum præsentia, voce clara & diserta dixisse; RITE ME MATRONAE DEDICASTIS: quorum verborum, si Græce interpretari velis, hæc mens est: ὁσίῳ πόλεως νόμῳ γυναῖκες γαμεταὶ δεδώκατέ με. Cumque (vt fere fit in nouis & inopinatis vel vocibus vel visionibus) multæ valde dubitarent ne forte non simulacrum esset quod humanam vocem edidisset; atque illæ in primis, quæ tunc animis in alia intentis, non viderant à quonam hæc vox esset edita, eis quæ se vidisse affirmabant, fidem non haberent: paulo post referto templo, cum forte fortuna maximum esset silentium, idem simulacrum eadem verba maiori voce rursus edidit; vt nulla relinqueretur ambiguitas. His cognitis senatus decreuit vt alia *etiam* sacrificia & ceremoniæ, quas sacrorum antistites præscripturi essent, quotannis *ibi* peragerentur. Ceterum mulieres monitu *primæ* sacerdotis morem instituerunt, simulacrum hoc nec à bis nuptis coronari, nec à viduis, sed solis recens nuptis tribui hoc honoris & ministerii. Verum de his rebus nec silentio prætermittenda erant quæ produntur ab eius gentis domesticis scriptoribus, nec diutius immorandum est talibus digressionibus. quapropter reuertar ad narrationis seriem. Post

LVII. discessum mulierum Marcius sub diluculum motis castris copias

copias velut per socialem agrum abduxit: & postquã Volscorum fines intrauit, totam prædam quæ ipsi contigerat largitus militibus, nihilo sibi retento, domum rediit. Exercitus ergo, qui laborum ei socius fuerat, quum opibus grauis domum rediisset, quietem à bello haud ægre admittebat, ducique tum fauebat, tum ignoscendum censebat, quod maternorum affectuum & precum reuerentia, finem bello non imposuisset. at iuuentus quæ domi manserat, inuidens tam luculentis lucris militum, & frustrata insuper illis quæ domitis hostibus & capta vrbe sperauerat, vehementer contra eum exasperabatur: ac postremo potissimos gẽtis proceres odii sui duces nacta, in tantum efferata est vt ad impium facinus progressa sit. sed maxime Tullus Attius iras illorum exacuebat; quem magna sequebatur è cũctis oppidis factio. Is iamdudum inuidia percitus, decreuerat Marcium, si subiugata Roma victor reuerteretur, per insidias clam tollere: sin frustratis conatibus re infecta rediret, vt proditorem factioni suæ interficiendum obiicere. quod & factum est. coacta enim non mediocri manu accusauit hominem, è veris falsa coniectans, & non futura è futuris colligens: iubebatque vt abdicato imperio rationem administrati redderet. præerat autem (vt & ante à me dictum est) præsidiariis oppidorum copiis, quæ ad tuendam regionem domi manserant; & pro imperio concionẽ conuocare poterat, & diem cui vellet, dicere.

Marcius horum neutrum detrectabat; tantum de ordine contendebat; volens prius rerum bello gestarum rationem reddere; ac tũ demum, si ita Volscis omnibus videretur, imperium deponere. nec de se iudicium committi volebat vni cuipiam populo, quod nullius non maiorem partem corrupisset Attius; sed vniuersæ gentis legitimis comitiis, in quæ mos erat, quoties de grauissimis rebus consultandum esset, consiliarios conuenire è singulis populis. Id recusabat Tullus, vt qui sciret virum disertum, si in imperatoria dignitate manens rerum egregie gestarum rationem redderet, facile persuasurum multitudini; & adeo alienum fore à proditionis crimine, vt clarior etiam & honoratior factus, potestatem pacis pro arbitratu componendę omnium consensu accepturus esset: diuque alternis orationibus & responsionibus quotidie in concionibus & foro LVIII.

magna contentione certatum est. neuter enim alteri vim inferre poterat, quod pari imperii dignitate fulti essent ambo. Cumque nullus contentionum finis fieret, Tullus die dicta Marcio, qua ad deponendum imperium & dicendam proditionis caussam compareret, subornatisque ad impium facinus audacissimis quibusdam, quos pollicitationibus corruperat, venit ad indicta comitia: & conscenso tribunali, post prolixam Marcii criminationem, prouocabat multitudinem, vt nisi ille sponte deponeret imperium, totis viribus eum compesceret.

LIX. *Marcii cædes, funus, laudes.*

Ibi cum Marcius ad caussam dicendam ascendisset, Tulli factio magno clamore obstrepuit, quo minus posset dicere: deinde audacissimi quique feriendum & impetendum clamitantes, circumsistunt hominem, & concisum lapidibus interimunt. Eum in foro iacentem, & qui casum illius viderunt, & qui iam mortuo superuenerunt, lamentati sunt, vt qui malam recepisset gratiam; memorantes quot & quanta in rempublicam contulisset beneficia: homicidasque illos comprehensos cupiebant, qui tam impium & reipublicæ perniciosum exemplum edidissent, & per vim hominem iniudicatum eumque ducem occidissent. Sed insignis fuit eorum indignatio, qui auspiciis eius militauerant: & quia viuo in eo casu non potuerant succurrere, statuerunt defuncto debitam referre gratiam, collatis in forum omnibus quæ ad honorandos viros bonos requiruntur. iamque paratis omnibus, ornatum imperatorio cultu imposuerunt in lecticam instratam splēdide: tum præferri iussis manubiis & spoliis coronisque & captarum vrbium imaginibus, iuuenes bellicis facinoribus clarissimi eum in lectica suis humeris extulerunt, mæsto ac lacrymāte populo funus deducente ad rogum constructum in præcipuo suburbio. Ibi cæsis pecoribus, ceterisque peractis *inferiis*, quæ regibus aut ducibus super rogo solent fieri, amicissimi quique *ardenti* astiterunt donec flamma languescens subsedisset: deinde collectas *ossium* reliquias eodem loco inhumarunt, & insuper tumulum altum certatim congesserunt, monumentum insigne futurum *ad posteros*. Hunc exitum habuit Marcius vir ætate sua bello maximus & in omnibus voluptatibus quæ iuuenibus imperare solent, continentissimus; iuris obseruans, nō legum vi, pos-

vi, pœnarumque metu, sed sponte, indolisq; bonitate; quippe qui abstinere ab iniuria ne virtutis quidem titulo dignũ iudicaret, nec solum ipse alienus ab omni vitio, sed alios etiam *ad vitiorum fugam* adigens; magnanimus ac munificus, & ad subleuandam amicorum quam nosset inopiam promptissimus; bellicaque laude nulli secundus ex optimatibus, & ni seditiones vrbanæ institutum eius in republica impedissent, maximum incrementum eius auspiciis accepisset Romanũ imperium. Sed non poterat omnes virtutes humana natura capere; nec vnquam è mortali semine nascetur qui sit omnibus bonitatis numeris absolutus. Huic certe cum tales virtutes largitus esset Deus, alia haud fausta admiscuit *vitia & veluti* fatales noxas. nõ inerat enim eius moribus lenitas & serenitas, nec in appellãdo salutandoque comitas, nec in offensis placabilis moderatio, nec illa quæ omnes actiones humanas ornat gratia; sed semper acerbus erat ac difficilis. Hæc ei sæpe in bellis obfuerunt, præcipue rigida immodicaque iuris obseruantia & nulla æquitate temperata seueritas. Videturq; verum esse illud ab antiquis dictum philosophis, mediocritates, non extremitates, esse morum virtutes; præsertim iustitiam. nam siue infra modum sit, seu excedat nimium, parum prodest: interdum etiam quosdam in graues calamitates, mortesque miserabiles, & insanabilia exitia coniicit. Marcio sane nihil aliud exsilium attulit, ceterarumque virtutum fructum abstulit, quam summa & exactissima iustitia. cum enim debuisset plebi nonnihil cedere, obsecundareque eius cupiditatibus, atque ita primus inter ciues haberi, noluit: sed contradicens ad iniusta omnia, concitatis in se odiis expulsus est. Volsco etiam bello deposito, cum liceret ei abdicare imperium, & migrare alio donec in patriam reuocaretur, neque se inimicorum insidiis & inconditę multitudini obiicere, noluit; sed ratus comparẽdum apud eos qui contulissent imperium, redditisq; rerum in imperio gestarum rationibus, si comperiretur maleficii, dandas esse legibus pœnas, summæ iustitiæ haud pulchram mercedem retulit. LXX.

Si igitur soluta compage corporis, simul etiam animæ *substantia*, quæcumq; tandem ea est, interit, & in nihilum redigitur, haud video quomodo beatos credere debeam, LXXI.

qui nullo ex virtute fructu percepto, etiam propter eam pereunt. quodsi animæ nostræ in perpetuum degunt immortales, vt quidam existimant, aut post relictum corpus aliquanto durant tempore, bonorum virorum longissimo, malorum contra perbreui, satis amplum virtutis cultores sequitur præmium, etiam si fortuna vsi sint parum propitia; *videlicet* bene audire à viuentibus, diuturnaque celebrari memoria. quod & illi viro contigit. non enim Volsci solum mortem eius luxerunt, & colunt vt virum olim optimum; verum etiam Romani, vbi eum casum cognouerunt, accipientes pro magno reipublicæ infortunio, priuatim ac publice luxerunt hominem: & eorum matronæ, vt in domesticorum & necessariorum luctu moris est, posito auro & purpura ornatuque cetero, atro amictu sunt vsæ per annum integrum. quinetiam memoria eius post quingentesimum ab obitu annum nondum euanuit; sed nostro quoque tempore ab omnibus decantatur & prædicatur vt vir iustus & pius. Periculum itaque, quod Volsci & Æqui duce Marcio Romanis conflauerunt, quodque superioribus omnibus grandius, parum abfuit quin vrbem è fundamentis euerterit, hunc sortitum est exitum.

LXXII. *Expeditio consulum inanis.*

Post paucos inde dies ambo Romani consules educto magno exercitu, progressi vsque dicionis suæ terminos, castra metati sunt seorsim in duobus tumulis munitissimis. nihil tamen gesserunt memorabile; sed re infecta reuersi sunt; tametsi hostes egregiam occasionem rei bene gerendæ præbuerant. prius enim Volsci & Æqui cum exercitu Romanum agrum inuaserant, quod putarent non negligendam temporis opportunitatem, sed hostem, dum adhuc metu consternatus esset, adoriendum: quippe qui *periculi* metu deditionem vltro esset facturus. Ibi orto inter ipsos dissidio, vtri darent belli ducem, *Volsci an Æqui*, ipsi inter se correptis armis concurrerant: in quo prœlio nec ordinibus seruatis, nec signis obseruatis, cateruatim & promiscue pugnauerant; ingensque strages erat edita, multis vtrimque cæsis. & nisi eos solis occasus præuertisset, vna omnes illorum copias delesset internecio. sic noctis interuentu inuiti dirempti sunt, & in sua castra reuersi. sequenti vero luce ambo exercitus retro abierunt vnde venerant. Ceterum consules audito ex transfugis &

gis & captiuis qui ex ipso euaserant prœlio, quanta rabies & Deorum ira hostes inuasisset, nec vsi sunt occasione optatissima, triginta non amplius semoti stadiis; nec discedentes persecuti sunt, cum potuissent defessos, saucios, paucos è multis superstites, incompositum agmen, ipsi recentes seruatis ordinibus sequi, & facile internecione delere; sed motis castris, & ipsi reduxerunt in vrbem exercitum; siue contenti fortunæ beneficio, siue non satis fidentes tironum exercitui, siue quod ne paucos quidem vellent amittere. Reuersos in vrbem magnum excepit probrum, & timiditatis ob hanc rem notati sunt: nec amplius vrbem egressi, tradiderunt magistratum successoribus.

Sequenti anno consules fuerunt viri bellicosi, Caius Aquilius, & Titus Siccius. Hi cum ad senatum de bello referrent, placuit patribus primum legatos mitti ad Hernicos, qui velut ab amicis & fœderatis res iure repeterent. (nam bello Volsco iniurias ab eis acceperant, excursionibus & latrociniis in finitimos agros factis) interim vero dum responsum exspectaretur, consules quam maximum exercitum conscribere, & à sociis auxilia per legatos accersere, frumentum, arma, pecunias, aliaque bello necessaria certatim ac celeriter comparare. Vt vero legati renuntiarunt responsum Hernicorum; eos negare fœdus sibi vmquam intercessisse cum populo Romano; quod autem cum rege Tarquinio ictum sit, iam finitum existimare, cum is imperio exutus, in exsilio sit mortuus: quod si quæ rapinæ latrociniave facta sint, non totius gentis, sed priuatorum hominum dicere facinora lucris propriis inseruientium; ac ne hos ipsos quidem se posse ad supplicium dedere; & habere se quoque de quo vicissim conquerantur, nec bellum detrectare: senatus his cognitis, decreuit trifariam diuidi conscriptas ex iunioribus copias: vnam partē Caium Aquilium in Hernicos ducere, qui iam in armis erant; alteram in Volscos collegam eius Titum Siccium; cum tertia Spurium Largium, qui præfectus à consulibus creatus fuerat, custodire agros vrbi proximos. eos verò qui non dedissent nomina, quotquot adhuc essent ferendis armis idonei, sub signis habitos tueri arces vrbis & mœnia, ne qua repentina vis hostium ingrueret per vniuersæ iuuentutis absentiam. his præesse virum consularem Aulum Sem-

LXXIII. *A.V.C.267. conss. C. Aquilio, T. Siccio, bellum cum Hernicis & Volscis.*

pronium Atratinum. quæ omnia mox facta sunt. Aquilius Hernicis in agro Prænestino inuẽtis, prope castra illorum & ipse sua metatus est, paulo longius ab vrbe quam ducentesimo stadio.

LXXIV. Tertia vero die postquam castra contulerant cum Hernici acie instructa in campum progressi, pugnæ signa extulissent, Romanus & ipse suas in eos copias eduxit, instructis decenter ordinibus. moxque vt alteri propinquarunt alteris, sublato clamore concurrerunt: ac primum velites iaculis, sagittis, & funda emissis lapidibus, prœlium inierunt, multisque se inuicem vulneribus consauciarunt: deinde equites cum equitibus turmatim conflixerunt, & peditum item cohortes inter se dimicarunt. diuque pugnatum est acriter, neutris loco cedentibus. tandem acies Romana cepit laborare, vt quæ post longam belli vacationem tunc primum ad arma rediisset. Quo viso Aquilius iussit recentes in hoc seruatos in locũ fessorum succedere; saucios vero ac defatigatos transferri in vltimã aciem. At Hernici, vbi senserunt moueri hostium ordines, rati hoc esse fugæ initium, cohortati se inuicem, densis cuneis in hostes, qua parte mouebantur ordines, impressionem fecerunt. quos recentes Romani exceperunt fortiter; rursusque acriter & magna animorum contentione vtrimque concertatum est; Hernicis quoque ducibus in locum laborantium recentes submittentibus. Iamque vesper instabat, cum consul cohortatus equites vt nunc saltem sese viros præstarent, ipse turmæ præiens, in dextrum hostium cornu fecit impetum: quo post paruam moram impulso, magna ibi cædes est edita ita turbatis in hoc cornu Hernicorum ordinibus, læuum adhuc resistebat, atque etiam premebat Romanos in dextro aduerso pugnantes: breui tamen pedem retulerunt hi quoque. nam Aquilius fortissimorum iuuenum globo stipatus, & ibi succurrit, accendens & nomine inclamans eos qui è superioribus prœliis fortitudinis palmam reportare consueuerant: & sicubi segnius repugnantes animaduerteret, signiferis erepta signa cõiiciebat in hostes medios; vt metu militaris pœnæ, quam daturi essent ni signa recepissent, cogerentur fortiter rem gerere. semperque ipse, vt quæque pars laborabat, aderat, donec & alterum cornu è statione sua dimouisset.

Ita

Ita profligato vtroque cornu, ne media quidem acies locum suum tenuit: sed turbatis ordinibus effusa fuga castra petebant Hernici, Romanis eorum terga cædentibus: tantumque animi Romanis in eo certamine superfuit, vt eorum nonnulli etiam ad vallum hostium penetrare ausi fuerint ceu primo capturi impetu quorum alacritatem nec tutam nec vtilem cernens consul, iussit receptui canere, atque ita inuitos à valli oppugnatione reuocauit; veritus ne è superiore loco telis petiti, cum ignominia & magno damno reiicerentur, & recentis victoriæ gloriam obscurarent. Sole demum occidente, Romani læti & iubilantes castra sua repetunt. Sequenti nocte strepitus magnus & clamor exaudiebatur è castris Hernicis magnusque in eis collucebat facularum fulgor. desperantes enim se posse nouo hostem prælio sustinere, deserere castra decreuerunt iniussu ducum: atque hæc erat clamoris & discursationis caussa. nam pro sua virili quisque properabant, inclamantes se inuicem, neglectis eiulatibus & precibus eorum qui derelinquebantur ægroti aut saucii. Id ignorantes Romani, qui ex captiuis prius acceperant alias copias Hernicis venturas auxilio, clamorem istum & tumultum ex illorum aduentu ortum arbitrati, resumptis armis corona cinxerunt castra, nequa nocturna vis eis inferretur; interim modo collisis scutis densum cientes strepitum; modo, perinde ac si in pugnam ruerent, frequentem clamorem tollentes. Hernicis autem hoc quoque timorem augebat, nec aliter quam si hostes se insequerentur dispersi fugiebant alius per aliam viam. Vbi vero illuxit, & exploratum missi equites renuntiarunt nec auxilia noua venisse hostibus, & eos qui pridie pugnauerant fugisse, Aquilius educto exercitu castra *deserta* cepit, referta iumentis, commeatibus, armis: & vulnerati ibi deprehensi non pauciores his qui fugerant: emissoque equitatu in eos qui per vias & siluas dispalati oberrabant, multi viui capti sunt. Inde consul impune agros Hernicorũ peruagatus, prædas abegit, nemine audente congredi. LXXV.

Dum hæc gerit Aquilius, collega eius Titus Siccius in Volscos missus cum robore copiarum, in Veliternum agrum irrupit. nam ibi erat Tullus Attius Volscorum dux cum florentissimo exercitu, volens Romanorum socios LXXVI.

infestare primum, sicut Marcius initio belli fecerat; ratus ii eodem metu Romanos etiamtum esse, nec missuros auxilium in fide sua manentibus. Vt vero se mutuum conspexerunt exercitus, sine mora congressi sunt. erat autem locus intermedius, in quo pugnandum erat, tumulus magna ex parte saxosus & confragosus; vbi equitatus neutris esset vsui. Id animaduertentes Romanorum equites, & turpe esse ducentes si spectatores tantum, non adiutores essent certaminis, frequentes adierunt consulem, ac rogarunt vt si consultum ipsi videretur, permitteret se omissis equis pedestrem pugnam inire. Ille collaudatos iussosque ex equis descendere circa se habuit, vt cum eis, si res poscere videretur, laborantibus succurreret: fueruntque hi tum præcipua causa Romanorum victoriæ. nam peditum copiæ pares vtrobique erant tum armatura tum numero, simulque ordinum ratione ac pugnandi peritia; & inferendo pedem referendoque, vitandis infligendisque ictibus, exercitati pariter. Volsci enim omnem suæ militiæ disciplinam, ex quo Marcium habuerant ducem, in Romanum morem mutauerant. Itaque ad multum diei æquo marte certatum est: & loci natura inæqualis multa vtrisque aduersus se inuicem præbebat commoda.

LXXVII. Ibi equites Romani diuisi bifariam, pars ex transuerso hostes inuaserunt à dextro cornu, pars tumulo circuito in extremum hostis agmen fecerunt impetum. ac mox alii lanceas eiaculati sunt, alii equestribus gladiis longioribus ferientes brachia & poplites, multorum manus defensantes corpora vel protegentes abscidebant vna cum ipsis tegumentis armisque defensoriis; multorum genua talosque consauciantes profundis vulneribus, posternebant semineces. iamque vndique vrgebantur Volsci, à fronte à peditibus, à latere ac tergo ab equitibus. quamobrem supra vires strenue repugnantes, post multa audaciæ peritiæq; specimina, in dextro cornu pene ad vnum concisi sunt. media vero acies & alterum cornu, postquam dextri cladem viderunt, & Romanos equites pari modo in se tendere, explicatis ordinibus pedetentim castra repetebant, & Romani equites seruatis ordinibus insequebantur.

LXXVIII. Ad munitionem vbi ventum est, noua oritur pugna, equitibus vallum aliquot locis conscendentibus, & hostibus

acriter

acriter repugnantibus. cumque Romani iam laborarent, consul iussit pedites vt fascium coniectu fossas explerent: & qua dabatur aditus, ipse primus cum fortissimis equitum firmissimam valli portam petiit: reiectisque propugnatoribus, & dissectis portæ cataractis, intra vallum irrupit, ac sequentes se pedites excepit. Occurrit Tullus Attius cum valentissimis Volscorum & audacissimis; editisque multis ac strenuis facinoribus (erat enim pugnator fortis, & manu promptus: sed copiis ducendis minus idoneus) *tandem* labore fessus oppletusque vulneribus occumbit. Ceteri Volsci captis castris partim in conflictu concisi sunt, partim abiectis armis se victoribus dediderunt supplices: pauci admodum fuga seruati, domum redierunt incolumes. His Romæ cognitis per missos à consulibus nuntios, ingens gaudium fuit: moxque ad agendas Diis gratias adornata sacrificia, & decreti consulibus honores triumphales, non tamen pares ambobus: sed Siccio, qui à maiore terrore vrbem liberasse videbatur, insolente Volscorum exercitu deleto & duce cæso, maioris triumphi pompa concessa est; & inuectus est in vrbem *prælatis* spoliis, captiuis *præcedentibus*, militibus victoriæ sociis *prosequentibus*; trahentibus currum equis aureis frenis insignibus, cultu (vt in maioribus triumphis mos est) regio. Aquilio minor triumphus contigit; quem ouationem nominant. de qua in superioribus à me dictum est quid à triumpho differat. Ingressus est vrbem pedibus, cum cetero pompæ ornatu. atque ita hic annus finiit.

Triumphus de Volscis & Hernicis.

XXXI

LXXIX *A.V.C.268. conss. Proculo Virginio, & Sp. Cassio III. Æqui, Volsci, & Hernici debellati.*

Sequentes cōsules Proculus Virginius, Spurius Cassius tertium cum vrbanis copiis & sociorum auxiliis in bellum profecti sunt. Virginio Æqui, Cassio Hernici & Volsci, prouincia sorte obtigit. Æqui munitis oppidis, & in ea comportatis rebus carioribus, agros vastari, villas incendi passi sunt: ita vt Virginius minimo negotio maiorem eius regionis partem peruagatus, vastitate *vinetorum arbustorumque* edita, cum nemo ad defensionem prodiret, *integras* copias domum reduxerit. Volsci & Hernici, contra quos duxit Cassius, primum statuerant iacturam populationum contemnere, inclusi mœnibus: non tamen permanserunt in *ea* sententia; sed partim feracissimos agros miserati, qui *plantarum* excidio ita fœdarentur, vt fa-

cile reparari non possent; partim non satis fidentes munitionibus in quas confugerant; (erant enim parum validæ) per legatos pacem petierunt à consule: primum Volsci: qui facilius impetrauerunt, pecunia consuli persoluta quanta esset imperata, præbitisque ceteris quibus exercitui opus esset, omnibus: ac promissa Romanis obedientia, nihil amplius de æquo iure contenderunt. deinde Hernici destitutos se à sociis videntes, *& ipsi* de pace atque amicitia egerunt cum consule. Ceterum Cassius multis verbis accusatagente apud legatos, respondit, prius illis facienda quæ victos ac subditos deceret facere; & tunc demum petendam amicitiam. Cumque legati pollicerentur quidquid æquum esset ac possibile, imperauit eis pecuniam ad persoluenda aliquot mensium stipendia, & cibariorum quantum in v*num* mensem militibus sat esset. ad quæ paranda concessit eis aliquot dierum inducias. Quæ omnia cum Hernici magna alacritate ac celeritate subministrassent, & amicitiam per legatos rursum petiissent, Cassius collaudatos ad senatum remisit. Patribus post longam consultationem placuit in amicitiam eos recipi: ceterum leges fœderis Cassium consulem constituere suo arbitrio, & rata esse ipsius placita.

LXXX. Hæc vbi senatus decreuit, Cassius in vrbem reuersus, maximum sibi triumphum petiit, vt maximis subiugatis gentibus; gratia magis vsurpans eum honorem quam iure postulans; quippe qui nec vrbes vllas expugnauerat, nec hostem acie fud[illegible]t, nec triumphi ornamentum captiuos vllos habeb[illegible]t aut spolia quæ in pompa traduceret. qua re opinionem arrogantiæ, vt qui supra ciuilem modum se extolleret, inuidiamque lucratus est. Triumpho impetrato, pacis Hernicis datæ conditiones protulit, transcriptas ex Latinorum fœdere quas ægerrime tulit honoratissimus quisque senatorum & natu maximus, ipsumque suspectum habebant, quod indignum censerent cognatis suis Latinis honore æquari alienigenas; & spectatæ fidei hominibus eos, quorum nulla exstarent erga populum Romanum merita nec placebat eius fastus qui accepto à senatu honore, non parem ei vicissim honorem habuisset, nec communicato cum patribus consilio, pro suo vnius arbitratu scriptas conditiones protulisset. Ita nimia felicitas ei

tas ei periculosa fuit & inutilis: sicut plerisque hac occasione surrepere solet insana superbia & immoderatæ cupidines. trium enim consulatuum duorumque triumphorum honore ciuibus ætatis suæ præminens, elatius se gerebat, & principalis potestatis appetens, cum animaduertisset facillimam omnium atque tutissimam viam ad regnum tyrannidemve, si quis plebis fauorem beneficiis acquisitum, publicarum opum dilargitione foueret, eam viam ingressus est: ac mox nemine præmonito agrum quendam publicum, qui per incuriam magistratuum à diuitibus occupatus fuerat, statuit plebi diuidere. & fortasse res illi ex sententia successisset, si his impetratis acquieuisset. sed maiorum cupiditate incensus, non paruam seditionem mouit; quæ infelicem ei peperit exitum. volebat enim & Latinos in partem agrorum assumi, & recens ciuitate donatos Hernicos; fauorem harum gentium sibi conciliare volens.

Cassius ad principatum aspirat.

LXXXI His animo agitatis, altera post triumphum die vocata concione pro tribunali, vt mos est triumphalibus, primum rerum à se gestarum rationem reddidit, cuius capita erant hæc: se primo consulatu Sabinos de principatu *cum Romanis* contendentes, prœlio vicisse, & Romanum imperium agnoscere coegisse: secundo consulatu, pacata seditione intestina, plebem in patriam reduxisse, Latinosque Romanorum cognatos, & perpetuos imperii gloriæque æmulos, concesso æquali ciuitatis iure, in amicitiam populi Romani perduxisse: ita vt *nunc* Romam non amplius aduersariam, sed patriam appellent: hoc tertio consulatu Volscos vi ex hostibus amicos effecisse, & Hernicos gentem magnam & validam, quæ vt propinqua, magnopere vel prodesse possit vel lædere, ad deditionem vltro faciendam adduxisse. His atque similibus denarratis, plebis animos in se *vnum* intentos volebat, quasi præ ceteris omnibus reipublicæ curam ageret, & in posterum acturus esset. Postremo sic orationem finiit, vt polliceretur plebi tot tantaque beneficia, quanta nemo ad eam diem, quantumuis ob plebis studium laudatus, præstitisset: idque fore propediem. Concione dimissa, ne momentum quidem cessans temporis, sequenti die senatum conuocauit in curiam, iam arrectũ & sollicitũ ob *proximã* eius oratio-

nem: & priusquam aliud quidquam ageret, quod *pridie* a pud plebem celauerat, in medium protulit: quandoquidem plebs perutilis fuerit reipublicæ tam in asserenda libertate quam in parando imperio, prouidendum ei diuiso agro qui bello partus, nomine vocetur publicus, at reuera ab impudentissimo quoque patricio, nullo iure teneatur: & frumenti à Gelone Siciliæ tyranno dono missi, quod cum gratis debuisset omnibus ciuibus diuidi, venditum fuisse pauperibus, pretium emptoribus reddendum ex ærario.

LXXXII. Adhuc eo loquente magnus *in senatu* erat fremitus, cunctis verba eius moleste ferentibus. Vbi vero desiit, & collega Virginius grauiter eum accusauit, vt qui seditionem inueheret; & ceterorum senatorum honoratissimus quisque ac natu maximus; præcipue Appius Claudius: ita vt inter exacerbatos per multas horas duraret altercatio non sine conuitiis amarulentissimis. Diebus qui sequuti sunt, Cassius continuatis concionibus, fauorem plebis sibi *Res agraria.* conciliabat, de diuidendis agris disserens, & in aduersarios vehementer inuehens. Virginius vero quotidie senatum cogens, de communi patrum sententia parabat contra eum præsidia legitimaque obstacula. Vtrumque comitabatur asseclarum ad tutelam corporis caterua magna: inopes, sordidi, & ad quiduis audendum prompti, Cassium; nobiliores & sinceriores, Virginium. Itaque aliquamdiu deterior pars in concionibus multum superabat alteram; tandem æquatæ sunt, cum tribuni se meliori parti adiungerent, vel quod non videretur è republica, vt plebs pecuniarum largitione & publicorum *bonorum* diuisione corrupta, ad inertiam & improbitatẽ assuefieret; vel quod inuidia tangerentur, quia non ipsi eius beneficii auctores essent, quorum erat plebem curare, sed alius, vel etiam quod metuerent ne vir iste cum periculo ciuitatis nimium cresceret. quamobrem pro concione totis viribus aduersabantur legibus quas ferebat Cassius; docentes iniquum esse parta magnis populi Romani laboribus, non solis ciuibus Romanis assignari, sed Latinos quoque ex æquo participes eorum fieri, qui periculis non interfuerint, atque etiam Hernicos recens acceptos in amicitiam, quibus sufficere debeat quod bello subacti proprios agros non amiserint. At plebs nunc tribunis assentiebat, dum cogitabat,

si age-

ager iste publicus cum Latinis & Hernicis diuidendus esset, exiguam vilemque portionem cuique obuenturam: nunc Cassii popularibus sermonibus persuasa mutabat sententiam, quasi per tribunos patriciis prodita, qui caussam intercedendi honestam prætexerent Latinos & Hernicos. aiebat enim Cassius, se illorum consortium legi inseruisse ad tuendos pauperes, atque *ita* vetuisse nequis vmquam, si *maxime* vellet, data illis *eripere* posset, satiusque ac tutius esse plebi, modicam ex æquo portionem accipere, quam multa sperando in totum frustrari.

Huiusmodi concionibus cum Cassius plebem identidem in suas partes pertraheret, prodiit in medium vnus tribunorum Caius Rabuleius, vir minime stolidus, pollicens se breui compositurum consulum dissidium, & populo commonstraturum quid facto opus esset. cumque magna voce acclamatum esset, & mox præbitum silentium: Nonne, inquit, Cassi, tuque Virgini, hæc legis sunt capita? vnum, oporteatne agrum publicum viritim diuidi: alterum oporteatne & Latinos & Hernicos partem eius accipere. Cumque id affirmassent, Bene est, inquit. Tu Cassi horum vtrumque permittis plebis calculo. quid tu Virgini? dic per Deos, vtrum alterum *tantum* Cassianæ sententiæ caput abrogas, quod ad socios attinet, nec æquas hic nobis Latinos & Hernicos: an etiam alterum improbas, & ne nobis quidem diuidendum censes quod est publicum? at hoc mihi responde, nihil dissimulans. Cumque Virginius dixisset, de Latinis Hernicisque in partem æquam admittendis se contradicere, ceterum ciuibus *Romanis* passurum se assignari agros, si idem omnibus videretur: tribunus versus ad multitudinem, inquit; Ergo quoniam alterum sententiæ caput placet ambobus consulibus, alteri contradicitur à collegarum altero, & neuter alterum potest cogere, cum pares honore sint, accipiamus iam quod ab vtroque conceditur, & id de quo ambigunt, in aliud tempus differamus. Ibi acclamante populo vt rectissime monenti, & postulante tolli ex lege partem illam quæ gigneret dissidium, Cassius inops consilii, vt qui nec absistere à ferenda lege veller, nec posset pergere tribunis aduersantibus, tunc dimisit concionem.

LXXXIII

Sequentibus vero diebus infirmitatem simulans, non LXXXIV

amplius veniebat in forum, sed domi manens hoc agebat vt per vim legem perferret: & accersebat ad suffragia e Latinis & Hernicis quotquot poterat. Illi frequentes conueniebant, breuique repleta est vrbs hospitibus. Hoc cognito Virginius voce præconis edixit per compita, vt omnes quibus in vrbe non esset domicilium, excederent præfinito *ad id* non magno temporis spatio. Cassius vero iussit contrarium proclamari, vt quotquot haberent ciuitatis ius, manerent donec perferretur lex. Cumque contentionis nullus fieret finis, veriti patres ne ad arma & manus veniretur, & ad alia quæ in seditiosis comitiis vi geri solent, dum lex ferretur, conuenerunt in curiam, semel decreturi de toto negotio. Ibi Appius primus rogatus sententiam, negabat plebi agrum diuidendum, docens molestum & inutilem cohabitatorem fore vulgum, si otio assuesceret & abliguriendo publico, nec reipublicæ quidquam relicturum ex publicis vel prædiis vel pecuniis: aiebatque rem pudendam, cum Cassium incusent vt instituti pessimi auctorem, & plebis corruptorem, postea ipsos id velut iustum & vtile communi consilio approbare. cogitandum etiam, si diuidantur publica, pauperes habituros gratiam non iis qui hoc concesserint & decreuerint, sed auctori eius sententiæ Cassio, qui senatum inuitum ad decernendum coegisse
LXXXV. visus sit. Hæc præfatus & alia in eundem sensum, postremo consuluit è senatu honoratissimos quosque eligi qui viserent agrum publicum determinarentque, & si quid in eo furtim aut per vim priuati homines depascerent aut colerent, dignoscerent ac redderent publico. determinatum porro ab illis agrum diuidi in fundos quotcumque, & terminis decentibus distinctum, vendi suadebat; maxime quem priuati controuersum facerent, ita vt emptoribus contra vindicatores illorum esset actio; reliquum in quinquennium locari; & quidquid pecuniæ ex iis locationibus proueniret, impendi in militum stipendia, & ad elocandos sumptus bello necessarios. Nunc enim, inquit, pauperes merito inuident diuitibus, qui sibi vsurpauerunt quod est publicum: nec mirum est si publica diuidi malunt quam à paucis hominibus impudentissimis teneri. quodsi viderint decedere inde istos qui nunc ex eis fructus percipiunt, & quæ publica sunt, vere publica fieri, inuidere

sere nobis desinent, & refrigescet illa agri viritim diuidendi cupiditas, vbi intellexerint vtiliorem esse communem eius cum ceteris possessionem, quam in exiguas portiunculas viritim assignandas diuisionem. Doceamus, inquit, eos quantum intersit, & quod, si vnusquisque pauperum paruulum agellum acceperit, & fortasse incommodum vicinum habuerit, nec ipse valebit eum præ paupertate colere, nec alii locare nisi vicino. sin autem latifundia varias & non contemnendas culturas habentia locentur publice, magnos inde prouenturos reditus. & satius ipsis esse, quoties eundum erit in militiam, ex publico frumentum atque stipendium accipere, quam è suis promptuariis in ærarium conferre, cum interdum cuiusque fortunæ afflictæ sint, & in conquirendis pecuniis magis aggrauentur.

Hæc Appii sententia cum satis placere videretur, secundo loco rogatus Aulus Sempronius Atratinus dixit: Ante omnia laudandus est mihi Appius, vt prudentissimus in venturis prospiciendis, sententiarumque honestissimarum atque vtilissimarum auctor, & in *recte* iudicatis constantissimus, nec metu nec gratia dimoueri à proposito facilis. numquam enim eius prudentiam ac generosum in aduersis animum laudare mirarique desino. *nunc* quoque sententiam non aliam quam ille dicturus sum; pauca *tantum* addam quæ mihi omisisse videtur. Nam Hernicis & Latinis recens ad ius ciuitatis admissis ne ipse quidem agros nostros diuidendos censeo. non enim ex quo illi in amicitiam recepti sunt, eos agros parauimus: sed multo ante, nostro marte, nullis externis auxiliis, hostibus nostris ademimus. Quamobrem eis respondeamus, quas possessiones ante coniunctam amicitiam vel illi vel nos habuimus, eas proprias ac perpetuas debere manere suis dominis: quidquid autem agrorum post fœdus communi militia parauerimus, ex eo cuique *populo* suam portionem obuenturam. Sic enim neque sociis velut affectis iniuria, iusta irascendi caussa præbebitur; nec populo Romano timendum erit ne videatur magis vtilitatis quam honestatis rationem habuisse. Ceterum electionem virorum, quos Appius finitores publici agri esse voluit, valde approbo. sic enim multo liberius cum plebe agere poterimus, quæ nunc vtroque nomine indignatur; LXXXVI

& quod ipsi nihil fructus referunt ex publico, & quod nobis aliquot nullo iure iis agris fruuntur. quos si publicatos viderint, eorumque reditus in necessitates impendi publicas, nil putabunt sua referre vtrum agris fruantur, an eorum prouentibus. Omitto nonnullos inopum magis gaudere alienis detrimentis quam propriis commodis. Non tamen opinor satis esse vtrumque hoc in S. C. scribi, sed alio quodam officio promerendam plebis gratiam: quo dicam paulo post, vbi prius caussam exposuero, vel potius necessitatem, cur hoc quoque faciendum nobis sit.

LXXXVII. Scitis proculdubio quid pro concione tribunus dixerit quando rogabat alterum è consulibus hunc Virginium quid sentiret de agris diuidendis, vtrum ciuibus *Romanis* permitteret diuidi agrum publicum, sociis non item, an nobis quidem pateretur eum diuidi, cumque ille dixisset nostros non excludere agrorum diuisione, si idem placeret omnibus, hac permissione & tribunos nobis adiunctos, & plebem mitiorem redditam. cur igitur quæ tunc concessimus, nunc retractabimus? aut ad quid conferent ista præclara nostra statuta dignaque imperio, si vsum eorum non persuaserimus? non persuadebimus autem, & hoc nemo vestrum ignorat. minus enim offenduntur qui *sua* spoliantur, quam qui *alienis* pollicitis eluduntur. rursus *hæc ipsa* illis offeret qui rempublicam ad gratiam illorum gerit, nec tribunorum quisquam nobiscum stabit amplius. Quid igitur faciendum censeam audite, quidve addendum Appii sententiæ. Sed ne quæso murmurate, nec prius consurgite quam cuncta audieritis. Eligendis ad inquisitionem ac definitionem agrorum siue decem viris, siue quotcumque, committite vt discernant quid & quantum agri debeat esse publicum, & quinquennalibus locationibus augere populi reditus, quid item & quantum plebi nostræ diuidi. Tum quem illi agrum *plebi* diuidendum assignauerint, de eo vos cognoscite, omnibusne, an his qui nullam portionem habent, an his quorum census est minimus, aut quomodocumque diuidi placeat. Creationem autem finitorum, & senatusconsulti quod de diuidendis agris facietis exsecutionem, & reliqua eo pertinentia, quoniam consulibus breue magistratus tempus superest, demandanda futuris consulibus censeo, vt agant

quod

quod maxime videbitur è republica. Nam neque tanta negotia breui tempore possunt confici; neque hi dissidentes inter se consules, prudentius dispicere possunt quid sit vtile, quam futuri; si modo illi (vt speramus) sint concordes. Plerumque autem vtilis & tuta est dilatio: & multa mutantur vel vnius diei tempore. præterea magistratuum consensus, omnium bonorum caussa solet esse ciuitatibus. Hæc est mea sententia: siquis meliorem habet, dicito.

Huius verba magnis laudibus à *toto* consessu excepta sunt; omnesque qui post rogati sunt, in eandem concesserunt sententiam. Post hæc tale S C scriptum est: è consularibus creãdos decem viros natu maximos, qui finito agro publico, pronuntiarent quantum *eius* locandum esset, & quantum diuidendum populo. ceterum sociis ius ciuitatis adeptis, siquis posthac ager communi militia acquireretur, suam cuique *populo* portionem ex fœdere dandam esse. electionem autem *decem* uirorum, & agrorum distributionẽ, & quidquid præterea curandum foret, curaturos esse consules futuros. Id S C ad populum relatum & populares Cassii conciones cohibuit, & gliscentem seditionem inopũ non siuit vlterius progredi. LXXXVIII.

Insequenti anno, initio septuagesimæ quartæ Olympiadis, qua vicit in stadio Astylus Syracusanus, principe Athenis Leostrato, Q. Fabio, Seru. Cornelio consulibus, *duo* patricii iuuenes, maiorum splendore nobilissimi, suisque potentes sodalitiis atque opibus, & in ordine iuniorũ nemini secundi tractandis negotiis publicis, Cæso Fabius frater consulis, & Lucius Valerius Poplicolæ nepos, eius qui reges expulit; quæsturam tunc gerentes, ac proinde conuocandæ concionis potestatem habẽtes, superioris anni consulem Spurium Cassium agrariæ legis auctorem, tyrannidis apud populum detulerũt, dieque dicta ad caussam apud populum dicendam citauerunt. Ad quam diem ingenti multitudine coacta, enarrauerunt pro concione gesta eius quæ manifeste indicarent nihil boni eum habuisse in animo: qui primum Latinis, pro magna felicitate ducentibus si contingeret eis Romana ciuitas, eoque honore contentis, non modo ciuitatis ius, quod petierant, in suo consulatu indulsisset, sed etiam tertiam prædæ partem in communi militia decreuisset: deinde Hernicos, quibus

LXXXIX. A.V.C. 269 olymp. 74. consſ. Q. Fabio, Ser. Cornelio, Sp. Cassius in iudicium vocatus & condẽnatus tyrannidis.

bello subactis gratum esse deberet si non aliqua sui etiam agri parte mulctarentur; amicos maluisset facere quam subditos, & ciues potius quam tributarios; iisdemq; agrorum quoque ac prædæ cuiuscumque alteram tertiam decidisset: ita vt diuisa trifariam præda, subditi & aduenæ duas tertias accipiant, at indigenæ & *belli* duces vnicam: monstrabátque hinc secuturum è duobus absurdis alterutrum, vt siquos alios ob multa magnaque merita honorare velint qualibus Latinos muneribus, aut qualibus Hernicos nihil de republica meritos; cum reliqua sit *tantum* vna tertia, aut non habeant quam illis dent; aut si eadem eis decernant, sibiipsis nihil reliquum faciant. Addebant, cum publicare vellet bona ciuitatis, nec ex S C. nec ex collegæ consensu, conatum vi legem perferre, quæ non eo solum iniqua fuerit & inutilis reipublicæ quod cum debuerit, re in senatu deliberata, si patribus placeret, communem supremi ordinis facere hanc gratiam, in vnum hominem eam transmouerit; verum etiam (quod omnium sit grauissimum) verbis tantummodo ostentarit populo donationem agri publici, re autẽ vera eum Romanis auferre voluerit, quorum partus sit laboribus; quandoquidem vnicam portionem ciues accepturi sint; Hernici vero & Latini, ad quos ager is nihil pertineat, duas. & quod ne tribunis quidem intercedentibus, & alterum legis caput quod aduenas ex æquo participes faciebat abrogantibus, paruerit; sed omnibus bene reipublicæ consulentibus pertinaciter aduersatus sit. citabantque vniuersos ciues testes horum omnium. Post hæc etiam secretas tyrannidis probationes proferebant, collatas ei ab Latinis & Hernicis pecunias, armaque comparata: quodque ad eum commearent audacissimi populorum illorum iuuenes, occultorum consiliorum socii, multarumque aliarum rerum ministri. Hic quoque testes adducebant multos tum ciuium tum sociorum, nec malos nec ignobiles. Quibus credens populus, & nec meditatis illius orationibus motus, nec misericordia flexus; tametsi tribus liberis, multisque aliis cognatis & amicis cum eo sordidatis reorum habitu deprecantibus; ac ne rerum quidem bello gestarum & honorum per eas promeritorum ratione habita, damnauit hominem. Adeo infensus erat tyrannidi, vt ne pœnam quidem moderatus, eum capite mulctauerit

uerit. Verebatur enim ne missus in exsilium vir imperatoriis artibus ætate sua præstantissimus, idem faceret quod *nuper* Marcius, sparsisque in amicos calumniis, & contractis hostium viribus, irreconciliabile bellum inferret patriæ. Itaque peracto iudicio, quæstores ductum in foro imminentem rupem, toto populo inspectante dederunt præcipitem. hoc enim tunc erat vulgare apud Romanos supplicium eorum qui morti adiudicati essent. Atque hæc è duabus illis quæ de hoc viro sunt proditę narrationibus est verisimilior. Non tamen & altera omittenda est; quæ, licet minus probabilis, tamen & vulgo fidem meruit, & in fide dignis commentariis inuenitur. aiunt enim etiamtum latente affectatione tyrannidis, primum Cassii patrem suspicione motum, cum rem accuratissime perquisisset, senatum adiisse; filiumque arcessitum indicasse & accusasse: & damnatum à senatu quoque, domum reduxisse, ibique necauisse. Quæ quidem iræ paternæ in sontem filium asperitas & inclementia, præsertim apud eius seculi Romanos, opinionem hanc non conuellit. nam & antea Brutus vrbis liberator, in ambos filios animaduertit, ac vt maleficos securi iussit percuti, quod viderentur agere de reducendis regibus: & postea Manlius Gallico bello imperator, filium post egregiam in pugna editam operã, coronatũ prius virtutis ergô, mox inobedientię accusans, quod in demandata sibi statione nõ permansisset, sed iniussu imperatoris è præsidio ad pugnam excessisset, vt desertorem necauit. aliique multi patres, quidã maiore, quidam minore de caussa nec pepercerũt filiis, nec eos miserati sunt. Quantum igitur ad hanc seueritatẽ attinet, ei opinioni fidem (vt dixi) non abrogo: sed aliis non minimi momenti argumentis traducor in alterã: quia post eius necẽ & ædes dirutæ sunt, & area illarũ ædium hucusq; sub diuo relicta, extra Telluris ædem, q̃ popul⁹ postmodo in areæ illius parte struxit, in via quę ad Carinas fert: & bona eius cõfiscata sunt, indeq; tũ in aliis fanis dicata donaria, tũ æreæ Cereri statuæ erectæ, cũ inscriptione quę testatur è quib⁹ pecuniis sint posita donaria. Quodsi pater ei⁹ index simul & accusator punitorq; fuisset, nec dom⁹ eius eẽt diruta, nec bona publicata. Apud Rom. n. filiis nullę sũt possessiones ꝓprię viuis patrib⁹; sed licet patrib⁹ & pecuniis filiorũ & corporib⁹ facere quod lubet. quare populus XCI.

nequaquam patri, si tyrannidis crimen detulisset, ob filii delicta, fortunas suas adimere ac publicare voluisset. & hoc est cur priori opinioni accedam libentius. posui tamen vtramque; vt lectori liceat vtri libuerit assentiri.

XCII. Cum vero nonnulli vrgerent tollendos etiam filios Cassii, atrox senatui & perniciosum exemplum visum est; remissaq; ex senatusconsulto pœna, permissum adolescentulis in patria viuere, absque omni periculo, sine vlla infamia aliaue mulcta. & ex eo tempore vsque ad nostram ætatem mos hic Romæ inualuit, vt parentum peccata impune sint liberis, siue illi tyranni, siue parricidæ fuerint, siue proditores; quod apud Romanos crimen est grauissimum. & qui morem hunc antiquare aggressi sunt nostris temporibus circa finem Marsici & ciuilis belli, & proscriptorum à Sylla liberos curia paternisque honoribus, quamdiu rerum potiti sunt, prohibuerunt, visi sunt rem dignam hominum inuidia Deorumque indignatione facere. quapropter procedente tempore non euaserunt vltionem iustissimam, & altissimo fastigio sic deiecti, vt ne genus quidem eorum, nisi per fœminas deductum, sit reliquum. & is qui illos è medio sustulit, morem antiquum restituit. Ceterum apud Græcos nonnullos diuersa lex est. nam ex tyrannis natos, alii cum patribus necandos censent, alii perpetuo exilio mulctant; quasi natura non ferat bonos filios nasci è malis patribus, aut malos è bonis. Vtrum autem Græcorum lex an Latinorum consuetudo sit melior, qui volet dispiciat:

XCIII. mihi reuertendum est ad narrationis seriem. Post Cassii mortem qui optimatum fouebant regimen, audaciores facti, plebeios magis *ac magis* despiciebant. hi vero propter nominis ac vitæ humilitatem contractiores, iudicium suum damnabant magnæ amentiæ, quod optimum propugnatorem plebis è medio sustulissent. Augebant hunc mærorem consules, non exequendo decreta senatus, cum deberent decemuiros agris finiendis creare, & ad senatum referre, quantum agri & quibus diuidi placeret. iamq; crebri fiebant cœtus de fraude sibi facta queritantium, & superiores tribuni incusabantur vt proditores reipublicæ. tum continuæ ab eius anni tribunis conciones habebantur, & promissa poscebantur. His consideratis visum est consulibus belli prętextu tumultuantem populi partem ablegare, quod

Turba domi

quod forte fortuna per id temporis ager Romanus excursionibus & latrociniis finitimorum infestaretur. has iniurias vt vlciscerentur, prolatis belli signis conscribebant vrbanas copias. cumque pauperes non darent nomina, non valentes eos legibus cogere; (nam pro plebe stabant tribuni, & intercessuri erant si quis vel corporibus vel bonis eorum qui militiam detrectarent, manus inferre conatus esset) interminati non permissuros se turbari plebem à quibusdam, tacitam suspicionem reliquerunt fore vt dictatorem crearent, qui cessantibus reliquis magistratibus solus absolutam & tyrannicam potestatem gereret. Quæ opinio vbi plebis animos subiit, veriti ne Appium crearent, virum durum & difficilem, maluerunt quiduis pati potius.

XCIV. *Res foris gesta.*

Ceterum conscriptis legionibus consules eduxerunt eas in militiam. Cornelius Veientem agrũ inuasit, & abegit inde quas reperit prædas: mox intercedentibus Veientium legatis, captiuos pretio dimisit, & inducias in annum pepigit. Cum altero exercitu Fabius in Æquorum agrum irrupit; atque inde in Volscorum. At Volsci cũ aliquamdiu res suas diripi, & agros vastari tulissent, tandem contemptis Romanis, vt qui exiguo aduenissent numero, occurrerunt conferti ex Antiate agro, correptis armis præcipiti magis quam prudenti consilio. qui si palantes Romanos oppressissent inopinato aduentu, magnam Romani accepissent ignominiam: nunc vero consul de aduentu illorum à speculatoribus præmonitus, dispalatos in prædas milites celeriter reuocauit, & in ordines bello conuenientes digessit. Volsci vero, qui contemptim & audenter veniebant, vt prę ter exspectationem cunctas hostium copias in acie stantes conspexerunt, non mediocriter sunt perterriti: neglectaq; reipublicæ cura, suæ quisque saluti consuluit. retro enim fugiebant quam quisque poterat celerrime, alius per aliam viam. ac maior pars in vrbem euasit: non magnus globus, sed præ ceteris instructus, recepit se in montis cuiusdam verticem, ibique in armis pernoctauit. Insequentibus diebus cum consul tumulum cinxisset custodiis, interclusis omnibus exitibus, fame compulsi, seipsos & arma dediderunt. consul tota præda spoliisque & captiuis per quæstores venditis, in vrbem deferri iussit pecuniam: nec ita multo post motis castris ex hostico domum reduxit copias sub

XCV. ipſum anni exitum. Inſtãtibus porro comitiis, placuit pa-
tribus, cum plebem irritatam & damnationis Caſſii pœni-
tentem viderẽt, cauere nequid rerum nouarum molirẽtur
ſi rurſus largitionum & agri diuidendi ſpe ſeducerẽtur à
homine facundo & popularibus concionibus idoneo, ad
conſularem maieſtatem euecto. Id facile caueri poſſe vi-
debatur, ſi conſul crearetur vir minime popularis. Quo cõ-
ſilio approbato, conſulatum ambire iuſſerunt alterum ex
Caſſii accuſatoribus, Cæſonem Fabium Quinti tunc con-
ſulis fratrem; & è cetero patriciorum corpore Luciũ Æmi-
lium, optimatium factionis ſtudioſum. His magiſtratũ pe-
tentibus plebs ne eo potirentur efficere nequibat; quamuis
relictis comitiis è campo diſcederet. nam centuriatorũ co-
mitiorum ſuffragia erant penes nobiliſſimos, & primi cen-
ſus homines; raroque in eis veniebatur ad mediarum claſ-
ſium ſuffragia. vltima vero claſſis, in qua maxima & ege-
niſſima plebis pars ferebat calculos, vnicum, (vt iam an-
XCVI. dictum eſt) vltimum *ſcilicet*, habebat ſuffragium. Anno
A. V.C. 270 conſſ. L. Æmilio & Kæſ. Fabio, bellũ Volſcum. igitur ab vrbe cõdita CCLXX, conſules facti ſunt Lucius
Æmilius Mamerci Filius, & Cæſo Fabius Cæſonis Filius,
principe Athenis Nicodemo. quibus res ex voto ſucceſſit,
nulla ciuili ſeditione turbante remp. externis bellis populũ
Romanum infeſtantibus. Ita certe in omnibus locis tam
Græcarum quam barbararum gentium vſu venit, vt cel-
ſantibus externis periculis inteſtinę domi ſeditiones exori-
antur: ſed maxime id accidit in populis bellicę ærumnoſa-
que vitæ aſſuetis, partim libertatis, partim imperii deſide-
rio. ægre namque continere ſe poſſunt ingenia cupiditati-
bus aſſuefacta ſi prohibeantur à cõſuetis exercitiis: & ideo
prudentes reip. præſides ſemper alunt aliqua externorum
bellorum ſeminaria; ſatius ducentes foris conflictari quam
domi. Ergo vt *iam* dixi) feliciter; tunc conſulibus accidit
ſubditorum rebellatio. Nam Volſci, ſiue domeſtico Ro-
manorum motu freti, quippe plebe exaſperata erga proce-
res; ſiue ſuperioris cladis ſine prœlio acceptæ ignominia
incitati; ſiue magno copiarũ ſuarum numero elati; ſiue his
omnibus inducti, decreuerunt bellum cũ populo Romano
gerere: coactaque oppidatim iuuentute, partem copiarum
miſerunt contra Hernicos & Latinos: cum reliqua, maiore
& validiore, domi exſpectabant aduentum hoſtium.

Illi

His Romam nuntiatis, placuit bifariam diuisis copiis, alterum exercitum Latinis & Hernicis præsidio mittere, altero populari regionem Volscorum. Consules ex more sortientibus, Cæsoni Fabio tutela sociorum obuenit: alterũ exercitum Lucius duxit ad Antium. iamq; propinquus *eius urbis* montibus, conspectis hostiũ copiis, ex aduerso castra posuit in tumulo. Sequentibus deinde diebus, cum hostes subinde in campũ prodirent & Romanos ad pugnam prouocarent, tandẽ vbi tempestiuum visum est, eduxit copias; & priusquam manus cõsererentur, suos multis exhortatus & obtestatus, iussit signa canere. Ibi milites sublato clamore solito, per cohortes & centurias conflixerunt: cõsumptisque lanceis, iaculis, & ceteris missilibus, strictis gladiis inuaserunt se inuicem pari alacritate atq; audacia. nã (vt iam ante dixi) eundem pugnandi modum obseruabant; & neq; rei militaris peritia Romani, qua plerumq; solebant vincere, neq; indefessa longoq; vsu cõfirmata laborum tolerantia superiores erant; (eisdem enim & hostes pollebant *virtutibus*, ex quo Marcium Romanorum imperatorum clarissimum ducem nacti fuerant) sed vtriq; locum quem primum occupauerant, tuebantur pertinaciter. deinde paulatim Volsci pedẽ referebant, seruatis ordinibus excipientes *insinuantes se* Romanos; vt hoc stratagemate distraherent hostium ordines, & ex editiore loco in eos pugnarent commodius. Id Romani fugæ initium esse rati, hostem sensim retrocedentem vrgebant integris & ipsi ordinibus. vbi vero cursu eos castra petere viderunt, celeriter & ipsi atque incomposite insequebantur: postremi vero agminis centuriæ spoliabant cadauera velut parta iam victoria, & discurrebant ad villas diripiendas. Quod vbi Volsci animaduerterunt, & qui fugam simulauerant, iam propinqui vallo in hostem obuersi restiterunt; & qui in castris relicti fuerant, patefactis portis confertim aliquot locis eruperunt; ita vt mox mutaretur fortuna prœlii, fugientibus his qui *modo* persequebantur, & persequentibus iis qui *modo* fugiebant. Ibi multi fortes Romani ceciderunt impulsi per decliuia, & circumuenti pauci à pluribus. nec clementius tractati sunt qui ad spolia direptionesq; seuerterant, non valentes instaurare ordines & XCVII.

in tutum se recipere. nam hi quoque oppressi ab hostibus aut confossi sunt, aut viui capti. quotquot autem vel horum vel illorum qui per cliuum profligati erant, elapsi sunt, se in castra equitum auxilio redierunt. qui ne internecione deleti sint, nō parum adiuuit magna tempestas è cælo præcipitans, & caligo densissimæ nebulæ similis: quæ res hostes ab vlteriore insectatione prohibuit, cum non possent longe prospicere.

XCVIII. Sequenti nocte consul exercitum seruatis ordinibus silentio abduxit, data opera ne sentiret hostis: & sub vesperam demum castra posuit ad oppidum Longulam in terreno quodam tumulo, ad arcendam vim idoneo; vbi subsistens & saucios remediis refouit, & mœstos ob inopinatã ignominiam oratione solatus est. In hoc rerum Romanarum statu Volsci prima luce, vt cognouerunt hostes excessisse castris, sua ipsi castra promouerunt: spoliatisque hostium cadaueribus, & sublatis seminecibus, de quorum salute spes erat, suisque sepultis, receperunt se in propinquũ Antium. vbi victorialem pæana canentes, & per omnia fana sacrificantes, continuos aliquot dies in epulis & voluptatibus transegerunt. Qui si hac victoria contenti nihil amplius tentassent, honestum finem huic bello imposuissent (nam Romani non fuissent ausi amplius è castris ad bellũ progredi: quippe quibus optabile erat ex hostico discedere, fugamque in gloriam certæ morti præponere) nunc vero plura *æquo* appetentes, amiserunt etiam prioris victoriæ gloriam. vt enim cognouerunt ex transfugis & exploratoribus perpaucos euasisse Romanos, & in his plerosq; saucios, correptis ocius armis magno contemptu in eos properauerunt: multi etiam inermes ex vrbe prosequebantur ad spectaculum certaminis; tum etiam ad rapinas & prædam. cumque aggressi tumulum, circumfusum castris vallum vndique diruere conarentur, primi *omnium* in eos impetum fecerunt Romani equites tunc pedibus prouolantes propter loci naturam: deinde post hos triarii conglobatis centuriis. hi sunt veterani spectatæ virtutis; quibus tempore pugnæ credunt castrorum custodiam; & non nisi necessitate coacti, ad horum extremum subsidium refugiunt, *vt* cum post numerosam iuuentutis stragem, nulla præterea sunt auxilia. Eos Volsci excipientes, aliquamdiu

resti-

restiterunt acriter: deinde propter incommoditatem loci recesserunt: ac postremo non multum læsis hostibus, ipsi afflicti grauius, receperunt se in planitiem. Ibi castra metati, diebus insequentibus explicantes aciem, Romanos ad pugnam prouocabant: at illi se intra vallum continebant. Quo viso Volsci in contemptum eorum adducti, conuocabant ex oppidis copias, & castra numerosa manu exscindere parabant: peregissentque præclarum facinus nō magno negotio, consule cum exercitu aut vi aut deditione in potestatem redacto; (iam enim victus inopia ibi laborabatur) nisi superueniens Romanis auxilium impedisset felicitatē hostium honestissimum belli finem iam sperantium. nam alter consul Cæso Fabius, audito collegę infortunio, voluit confestim obsidentibus cum toto exercitu occurrere: sed cum exta & aues consulenti, sacra se parum læta obtulissent, Diique eum exire vetarent, ipse quidem mansit, sed lectissimas tamen & validissimas collegæ cohortes misit. quæ occultis & plerumque nocturnis itineribus, priusquam hostis sentiret, peruenerunt in castra. Eæ suppetiæ Æmilio addiderunt animum. At Volsci freti suorum multitudine, atque hoc ipso magis, quod Romanus non prodiret in aciem, densatis ordinibus subibant aduersum tumulum. Cōsul passus eos cliuum per otium ascendere, & circa vallum operæ multum insumere, mox dato signo multis simul locis vallo diuulso emisit in eos militem. Itaque alii comminus gladiis pugnabant, alii subeuntem hostem lanceis, iaculis, & saxis è munimentis impetebant, nullo ictu irrito, vt in constipata angusto loco magna multitudine. Tandē Volsci è tumulo deturbati, multis suorum amissis arrepta fuga, vix in castra sua reuerterunt incolumes. at Romani iam tuti frumentatum in agros eorum descenderunt, & rapuerunt quibus in castris indigerent. Instante deinde comitiorum tempore, Æmilius mansit apud exercitum, pudore cladis ignominiosæ, qua validissimam militū partem amiserat: collega eius, tribunis cura castrorum commissa, in vrbem profectus est: conuocatoque ad comitia populo, non de consularibus quibusdam quos plebs creari consules volebat, suffragia permisit, quia ipsi sua spōte magistratum non petebant; sed de iis qui consulatum ambiebant, centuriis dedit calculos. hi erant quos senatus lege-

XCIX. C.

rat & consules renuntiari iusserat, non admodum grati plebeiis hominibus. Sic designati sunt in annum sequentem consules iunior frater eius qui comitiis præerat consulis, Marcus Fabius Cæsonis Filius, & Lucius Valerius Marci Filius qui Cassium ter consulem tyrannidis accusarat & damnatum necarat. Hi magistratu inito postularunt vt ad supplendos centuriarum defectus, pro iis qui Antiati bello cecidissent, conscriberentur alii: impetratoque in id S C. diem præscripserunt qua militaris ætatis homines præsto essent *ad danda nomina.* quam ob rem tota vrbe tumultuatum est, pauperrimo quoque seditiose vociferante & detrectante tum senatus tum consulum imperia, quod promissa de diuidendis agris fallerentur: confluebantque cateruatim ad tribunos, proditionem eis exprobrantes, & magnis clamoribus flagitantes illorum auxilium. cumque ceteris non videretur tempestiuum externo bello vrgente domesticas renouare inimicitias, vnus eorum Caius Mænius negabat se proditurum plebem nec permissurum delectum consulibus, nisi prius decemuiros finiendo agro publico creassent, deque illius diuisione senatusconsultum apud plebem promulgassent. & cum consules ei contradicerent, præsens bellum caussantes per quod staret quominus promissa plebi soluerentur, negabat se verbis eorum aures præbiturum, sed omni vi delectum prohibiturum, quod & fecit. Nihil tamen potuit efficere. nam consules ex vrbe in adiacentem campum egressi, positis ibi sellis imperatoriis, delectum habebant; & qui citati non parerent, eos, quoniam ipsos ducere nequibant, mulctabant peculio; siqui agros haberent, cæsis *arboribus*, villisque dirutis: qui vero in alienis fundis *à se conductis* agricultura victum quærerent, eorum agentes ferentesque instrumentum rusticum, iuga boum, & iumenta pecoraque, tum quidquid ad agros colendos & fruges comportandas aptum esset. qua in re tribunus, qui delectum impediebat, obstare illis haud poterat. nihil enim potestatis extra vrbem tribuni habent: sed potestas eorum circumscripta est mœnibus: immo ne pernoctare quidem extra vrbem eis fas est, nisi *Latinis feriis*, quando omnes populi Romani magistratus pro communi Latinæ gentis salute in Albano monte Ioui sacrificant. hodieque manet is mos, vt tribunis extra mœnia

A.V.C. 271 consſ. M. Fabio, L. Valerio, turbæ domi.

CI.

nia nulla sit potestas. quin etiam ciuilis belli quod nostra ætate gestum est omnium maximū, inter alias multas hęc visa est caussa, eaque ad dirimendam vrbis cōcordiam sufficiens, quod aliquot tribuni plebis, questi se ab eo imperatore qui tum tenebat Italiam, vi vrbe pulsos nequam amplius potestatē haberent, ad eum qui in Gallia copiis præerat, quasi nusquam alias tuti, confugissent. qua occasione ille vsus, vt magistratui plebis sacrosancto, sua potestate contra maiorum iusiurandum priuato, succurrens pio iustoque bello cum armis in vrbem venit, tribunisque potestatem suam restituit. Sed tunc plebei homines, tribunitia potestate nihil adiuti, submiserunt animos, & venientes ad delectum, dato præfectis sacramento, sub *suis quique* signis profitebantur nomina. Itaque supplemento legionū conscripto consules sortiti sunt prouincias. Fabio is obuenit exercitus, qui ad tutelam sociorum missus erat; Valerio autem is qui in Volscis erat.

CII. *Bellum cum Volscis continuatum.*

Qui cum assumpto recente supplemēto in prouinciam peruenisset, hostibus, cognito eius aduentu, visum est *consultius* alias copias accersere, castra in munitiorem locum transferre, nec amplius per hostis contemptum temerario se periculo (vt ante) offerre. quæ *omnia* perfecta sunt celeriter: fuitque ambobus copiarum ducibus idem belli gerendi propositum, suas munitiones tueri, si quis inuaderet; alienas per vim non aggredi. quo factum est vt multum temporis contereretur hoc adoriendi *hostis* metu. nec tamen in ea mente permanere potuerunt. quoties enim ex vtrisque castris frumentarū aut ad alia necessaria petēda mitteretur copiarū pars aliqua, conflictus sequebantur & vulnera alternāte victoria. Quod cū sæpius fieret, cadebant nō pauci, plures sauciabātur. Sed Romanor. iactura nō supplebatur: Volscorum exercitus, aliis post alios venientibus, magna capiebat incremēta. Ea fiducia elati duces, copias in aciem eduxerunt: cumque Romani quoque prodissent, acris pugna equitum, peditum, & velitum commissa est; cum pari alacritate, parique peritia dimicarent omnes, & vnusquisque in se vno victoriæ spem collocaret. Cum vero multi vtrimque in sua quiq; statione occubuissent, pluresque iacerent semineces, & pauci superessent qui certamen

continuarent, atque adeo ne hi quidem bellicis perfungi laboribus possent, protectoriis *armis* sinistras manus ob infixorum telorum multitudinem grauantibus, nec incursus *hostiles* sustinere sinentibus, gladiis quoque vel retusis vel in totum confractis, ita vt nullus eorum amplius esset vsus; continuato per totum diem labore solutis neruis, & ad inferendos ictus debilibus; sudore, siti, anhelitu (sicut æstate fit per æstum in longo certamine) vtrosque vexantibus, nullo memorabili fine pugna clauditur; sed ambo exercitus, signo per duces dato, libentes se in castra sua receperunt. Neutri postea progressi sunt in aciem; sed ex oppositis castris obseruabat si qui ad comparanda necessaria exirent. In vrbe tamen multi opinabantur, atque etiam vulgo iactabant, exercitum Romanum, cum vincere posset, data opera nihil egregium gerere, odio consulis & indignatione in patres ob elusam diuidendorum agrorum spem. ipsi vero milites consulem, vt parum peritum imperatoriarum artium, culpabant missis priuatim ad necessarios suos litteris.

CIII. *Portentis significatum Vestalis virginis stuprũ.* Interea dum hæc in castris geruntur, in vrbe obseruata sunt multa prodigia Deorum iram significantia; *exaudita* ominosæ voces *incerto auctore*, obuersatæ oculis insolitæ *spectrorum* facies. quæ omnia eo tendebant, (vt vates & sacrorum interpretes collatis obseruationibus respondebant) Deos quosdam, quibus honores non persoluerentur legitime, offensos esse, quod sacra ipsis non pure nec rite fierent. quam ob rem magna omnium inquisitione secuta, tandem indicium ad pontifices delatum est, vnam *Vestalium* ignis sacri custodum, Opimiam nomine amissa virginitate, sacra polluere. Qui cum ex quæstionibus & aliis argumentis verum esse criminis indicium cognouissent, *damnatam* demptis è vertice infulis per forum traduxerunt, viuamque *in specu subterraneo* intra mœnia defoderunt. duos vero illos quos vitium ei intulisse compertum erat, publice verberatos confestim necauerunt. Quo facto lætiora se obtulerunt sacra, & vates responderunt placatam iam esse numinum iram.

Contentio de futuris conss. Reuerso autem comitiorum tempore, cum ad ea venissent consules, magna contentione inter plebem & patricios certatum est de futuris consulibus; dum hi è senioribus impigros, & minime populares, ad consulatum euehi cupiunt, eorumque iussu magistratum ambit Appius

Clau-

Claudii, qui plebeiis infensissimus habebatur, filius, vir audaciæ atque arrogantiæ plenus, clientelisque & sodalitatibus omnium sua ętate pollentissimus: plebs contra è senioribus & spectatæ iam æquitatis viris nominat qui curam reipublicæ capessant, eosque faciendos consules censet.

CIV. Diffidebant etiam magistratus, & alteri alterorum potestatem mutilabant. quoties enim consules indicerent comitia quibus consulatus petentibus daretur, tribuni pro sua potestate comitia impediebant. rursus quoties hi populum ad comitia vocarent, consules non sinebant, contendentes penes se esse conuocandi populi & permittendi calculi potestatem. incessebantque se mutuis criminationibus; & ascitis suæ factionis hominibus, in quotidianis rixis tanta sæpe ira exarseiunt, vt nonnulli etiam ad pugnos deuenirent, & minimum ab armis abesset seditio. Id videns senatus, diu considerauit quidnam agendum esset; nec vi cohibere valens plebem, nec volens cedere. Sententiarum altera, rigidior erat, dictatorem comitiorum caussa dici qui omnium videretur optimus eum exstirpatis vitiosis & contagiosis hominibus, correctoque siquid per superiores magistratus delictum esset, & republica pro arbitratu suo constituta, magistratus creare viros optimos. altera, mitior, interreges eligi è natu maximis honoratissimisque, quibus curæ esset vt optima fieret magistratuum creatio; eodem modo quo solebat exstinctis regibus. In hanc sententiam plerisque descendentibus, interrex ab eis nominatus est Aulus Sempronius Atratinus, abrogatis reliquis magistratibus. qui republica sine seditione diebus quot licebat administrata, alium ex more designauit, Spurium Largium. Is indictis comitiis centuriatis, collectisque secundum classes suffragiis, cum bona vtriusque partis gratia designauit conss. C. Iulium, è plebis fautoribus, & Quintum Fabium Cæsonis Filium secundum, è factione optimatium. hunc plebs, quod priore ipsius consulatu nihil offensa esset, passa est iterum adire consulatum, odio Appii, cuius repulsa maximopere lætabatur. proceres etiam, qui requirebant consulem industrium, nec plebi *temere* quidquam indulsurum, probabant hunc seditionis exitum. Horum consulatu Æqui facta in Latinorum agros irruptione, abegerunt multum mancipiorum atque pecorum

CV. *A.V.C.272. conss C. Iulio, Q. Fabio II. nec domi nec foris quies.*

repentino latrocinio. Veientes quoque, Etruscus populus, bonam Romani agri partem infestarunt excursionibus. Cumque senatus dilatis in aliud tempus Æquis, à Veientibus res repeti decreuisset, Æqui, videtes primam *eruptionem* feliciter sibi successisse, rati neminem deinceps obstiturum, eo venerunt audaciæ, vt non iam prędatoria manu, sed iusto exercitu Ortonam inuaderent & vi caperent: direptisque villis simul cum oppido, ditati copiosa præda, domum se receperunt. At Veientes legatis Romanis responderunt prædones istos non è sua ciuitate, sed è ceteris Etruscorum oppidis, in agros ipsorum inuolasse. *Interim* legati re infecta dimissi, in Veientes cum præda ex agro Romano reuertentes incidunt. Quæ vbi senatui ab illis renuntiata sunt, bellum Veientanum decreuit ambobus consulibus. Reclamatum est tamen huic senatus placito, multis expeditionem suscipi vetantibus, plebique diuisionem agrorum in memoriam reuocantibus, qua quinquennio ante à senatu decreta, publica *omnium* spes elusa esset; & totius Etruriæ bellum id fore iactabāt si ceteri populi vnanimi consensu Veientibus succurrerent. Nihil tamen horum verba valuerunt; sed senatusconsultum etiam plebiscito cōfirmatum est, suasu & hortatu Spurii Largii. Post hæc consules cum exercitibus profecti, seorsum non longè à *Veientum* vrbe castra metati sunt; & cum per aliquot dies hostis non prodiret, agrum quam poterant latissime depopulati, abactaque præda quamplurima, domum reduxerunt copias. nec aliud eorum consulatu gestum est memorabile.

DIO-

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATUM Romanarum Liber nonus.



EQVENTI anno *rursum* inter partes de creandis consulibus orta est contentio, optimatibus vtrumque suæ factionis consulem destinātibus; plebe contra, sibi gratos ad consulatum euehere contendente. quæ partium concertatio non prius cessauit quam inter ipsas conuenit vt vnaquæque daret consulem. itaque à senatu designatus est Cæso Fabius secundum, is qui Cassium tyrannidis reum peregerat; à plebe Spurius Furius, L X X V. Olympiade, principe Athenis Calliade, quo tempore Xerxes expeditionem fecit in Græciam. Hi simulatque magistratum inierunt, venit ad senatum Latinorum legatio, petens vt ad se mitteretur alter consulum cum exercitu, qui compesceret Æquorum insolentiam. Etruria quoque vniuersa moueri nuntiabatur. breui in armis futura. coactum enim erat gentis concilium, vbi cum Veientes enixissimis eos precibus rogassent vt bello contra Romanos sese adderent socios, tandem decretum est, licere Etruscis qui vellent ire in eam militiam; ita vt in Veientium auxilium iustus exercitus conflueret. His in vrbe cognitis, visum est proceribus ambos consules conscriptis exercitibus exire; alterum, ad opē Latinis aduersus Æquos ferendam; alterū, ad inuadēdam cum copiis Etruriam. His obnitebatur Spurius Icilius, vnus è tribunorum

I. *A.V.C.275. olymp. 75. consſ. Kæſ. Fabio II, & Sp. Furio. turbæ domi ac foris.*

collegio, quotidianis concionibus promissam agrorum diuisionem à senatu exposcens, negansque se permissurum vllum senatus placitum vel in bellicis vel in vrbanis negotiis admitteretur, nisi prius decemviri finiendo ac diuidendo agro publico, sicut plebi promissum fuerat, designati essent. Hic hærentem senatum nec expedientem consilium Appius Claudius submonuit, darent operam vt ceteri tribuni ab eo dissiderent. eum enim qui senatus placitis obsistat, *idcirco* aduersari, quia sacer sit, ac legitimam potestatē habeat; & quibus intercesserit, ea impedire: quare consulebat vt sequentes deinceps consules id agerent & curarent, vt semper aliqui tribunorum, familiares ipsis & amici essent: eius enim collegii potentiam haud aliter infringi posse, nisi dissidium inter ipsos foueatur.

II. Ea sententia valde probata est consulibus & patrum primoribus: totisq; viribus effecerunt vt quatuor è tribunis in partes senatus transirent. qui aliquamdiu rationibus conati Icilium ab actionibus agrariis auertere, donec redirēt pacata tempora; cum ille peruicaciter in proposito maneret, nec se cessurum deieraret, atque adeo coram populo superbissimam edere vocem auderet, malle se Etruscos ceterosque hostes vrbe potitos videre, quam occupatores publico agro frui sinere; rati nactos se honestissimam occasionem qua tantæ superbiæ tum dictis tum factis obsisterent, cum & plebi ea verba displicuissent, aiunt se actioni collegæ intercedere: aperteque iam stabant à senatu & consulibus. ita desolatus Icilius nihil amplius poterat. Post hæc delectus est habitus: & quidquid vsus belli posceret, subministrabatur magna promptitudine, tam priuatim quam publice. moxque consules sortiti exercitus eduxerunt celeriter; Spurius Furius in Æquos, Cæso Fabius in Etruriā. Spurio successerunt omnia feliciter, hostibus non ausis cōgredi: multumque prædæ atque captiuorum hac expeditione partum est. nam ferme totum hosticum peruagatus est agens ac ferens; prædamque omnem donauit militi: quo factum est vt prius etiam plebis amator habitus, eam existimationem tum magis confirmauerit: exactoque militię tempore, copias integras & illæsas, magnoque insuper

III. quæstu ditatas, domum reportauit. Alter consul Cæso Fabius egregie functus omnibus imperatoriis muniis, nullā tamen

tamen rerum gestarum laudem retulit; non sua culpa, sed quod exosus esset plebi, ex quo Cassium consulem, tyrannidis accusarat dãnatumque ne cauerat. nec enim, siqua ducis iussa celeriter exsequenda essent, aut decenti promptitudine per vim aliquid occupandum, aut clam hostibus in loca suis commodis opportuna inuolandum, promptos se exhibebant: nec si aliud quidpiam faciendum esset quod ad honorem atq; gloriam ducis sui posset conducere. reliqua tamen eorum insolentia tum ipsi minus molesta erat, tum reipublicæ non admodum noxia: at postremum facinus non mediocrem vtrique attulit ignominiam, coniunctam cum magno periculo. cum enim vtrique è collibus in quibus castra locauerant, totis viribus descendissent, & commissis in campo intermedio aciebus, *Romani* post multa & præclara facinora hostem in fugam egissent, nec persecuti sunt fugientes, licet consule vehementer instante; nec manere & castra expugnare voluerunt, sed relicta imperfecta victoria, in sua castra reuersi sunt. cumque imperatorem eum quidam appellare conarentur, magnis clamoribus vniuersi conuitiabantur, dicentes per ipsius imperitiam desiderari multos viros strenuos: & post alias multas verborum contumelias, irati postulabant vt motis castris in vrbem se reduceret, non suffecturos ad iterandum prœlium si hostis impeteret, & neque monitis eius mouebantur, neque flectebantur lamentis ac precibus quamuis demissis; nec minis, siquando & has intentaret, terrebantur, sed his omnibus exasperabantur. tantusque inde ducis & imperiorum contemptus inuasit omnes, vt media nocte surgentes tentoria refigerent, arma sumerent, saucios deportarent, nemine iubente.

IV. Hoc cognito, dux necesse habuit omnibus profectionis signum dare, veritus eorum in detrectandis imperiis audaciam. Illi haud secus quam fuga seruati, magna celeritate *confecto itinere*, sub diluculum fuerunt vrbi proximi. at *custodes* qui stabant in mœnibus, ignorantes amicum agmen esse, arreptis armis conuocabant se inuicem: reliqua etiam ciuitas quasi magna circumuenta clade, pauore ac tumultu referta fuit. nec prius à custodibus apertæ sunt portæ quam luce iam clara domesticæ legiones agnoscerentur. vt præter ignominiam desertorum castrorum, periculum etiam

non mediocre adierint, in tenebris per hosticum discedentes nullo ordine. quos si hostes re cognita insecuti fuissent, nihil vetuisset quin totus exercitus internecione deletus esset. Caussa autem vesani huius seu discessus seu fugæ fuit (vt dixi) publicum ducis odium, & quod ei honorem inuiderent, ne triumphans in vrbem reuectus, illustris fieret. Postridie vero Etrusci, cognito Romanorum discessu, spoliarunt eorum cadauera: sublatisque ac deportatis sauciis, tum direptis impedimentis, quę multa (vt in diuturni belli vsum parata) in castris relicta fuerant, quasi victores, finitimis hostium agris populatis, retro abduxerunt exercitum.

V. *A.V.C.* 274 *conss. Cn. Mãlio, Marco Fabio* II *bellum Veientanum.*

Sequentis anni consules, Caius Manlius, & Marcus Fabius iterum, ex senatusconsulto contra Veientes quam maximum ducturi exercitum, edixerunt ad quam diem delectum habere vellent, *vt præsto essent daturi nomina.* cumque Tribunorũ vnus Tiberius Põtificius ea in re intercederet, & senatusconsultum de diuidendis agris magno clamore vrgeret, consules (quemadmodum & superiores) delenitis eius collegis, effecerũt inter ipsos dissidium; ac mox senatus mandata exsecuti sunt libere itaque conscriptis intra paucos dies copiis, profecti sunt cum binis vrbanis legionibus, nec paucioribus colonorum ac subditorum auxiliis. Latini & Hernici duplum eius quod petitum fuerat, miserant: verum non omnium vsi sunt opera; sed actis ob promptitudinem gratiis, remiserunt dimidium. Tertius quoque exercitus, iuniorum duæ legiones, iussus est excubare pro mœnibus ad tutandum agrum, si qui alii hostes ex improuiso exsisterent. emeritam vero ætatem, quæ armis adhuc vti posset, in vrbe reliquerunt arcibus ac mœnibus præsidio. Admotis deinde prope Veios exercitibus castra posuerunt in duobus tumulis non multum inter se distantibus. Hostes quoque ante vrbem castra habebant, magnus & validus exercitus. conuenerant enim eo totius Etruriæ proceres cum suis clientibus; ita vt Romanos non mediocriter superarent numero. Consules, visa hostium multitudine armorumque splendore, admodum solliciti erant ne parum tutum esset, suos non consentientes, concordibus hostium copiis opponere in acie. itaque visum est consultius, castris bene munitis bellum ducere, exspectando commodam occasionem ex hostium audacia temeraria. inte-

rim continuæ fiebant velitationes, & ferentariorum conflictus exigui, nullo euentu memorabili.

Etrusci morarum impatientia, timiditatem Romanis exprobrabant, qui non progrederentur in aciem; & de se magnifice sentiebant, quibus totis campis cederetur. auxit eum consulum & exercituum contemptum *noua* opinio, quasi Diis propitiis ipsi bellum gererent. nam alterius consulum Caii Manlii prætorium de cælo tactum fuit: laceratum est fulmine tentorium, euersus foculus; arma vel fœdata, vel ambusta, vel in totum absumpta: exstinctus vnus è consulis equis splendidissimus, quo in prœliis vti consueuerat, & famuli aliquot. Vbi cum vates monerent, Deos castrorum expugnationem & clarissimorum virorum interitum portendere, Manlius excitos media nocte milites traduxit in altera castra, vt intra easdem cum collega munitiones tenderet. Etrusci audita ducis migratione, & caussis eius ex captiuis quibusdam cognitis, magis etiam animis elati sunt, velut infesto Romanis numine, conceperuntque magnam spem victoriæ. Vates quoque *Etrusci*, qui exactiorem ceteris rerum cælestium cognitionem habere viderentur, (vnde scilicet emittantur fulmina, quibus quæque Diis tribuantur, & in quæ Deorum loca post ictum illatum se recipiant, quid item boni maliue portendant) hortabantur suos ad conserendas cum hoste manus: sic interpretantes oblatum Romanis prodigium: Fulmine delato in consulis tentorium, in quo prætorium erat, eoque vsq; ad focum penitus deleto, significatam esse diuinitus exercitui [castrorum expugnationem & clarissimorum perniciem. Ergo, inquiunt, si mansissent in loco cælitus tacto, nec prodigium secum ad alteros transtulissent, vnis tantum castris captis, vnius exercitus interitu satiassent indignationem numinis. nunc quia magis quam Dii sapere voluerunt, desertaque statione in altera castra transierunt, perinde ac si nō hominibus sed locis clades à Deo prænunciaretur, tota numinis ira ex æquo incūbet in vtrosq;, tā qui exceperunt, quā qui excepti sunt, & quia Diis fatalē exscidii necessitatē alteris castris denūtiantibus, nō exspectato fato, suis castris vltro cesserūt hostibus, altera quæ desertores illos exceperūt, pro desertis vi expugnabūtur. His à vatibus auditis, Etrusci missa copiarū suarū parte, castra *modo* à Ro-

VI.

VII.

manis deserta occupant, tanquam munimentum castris alteris oppositum. erat enim locus admodum firmus & ipsis opportunus, vt viæ ex vrbe in Romana castra ferenti imminens. Tum comparatis omnibus quorum adminiculo potiores essent hostibus, in campum produxerunt militem, *& consulibus pugnandi fecerunt copiam.* quibus quiescentibus, audacissimi quique adactis ad vallum equis, & fixo ibi gradu, mulieres appellabant vniuersos, ducesque ipsorum timidissimis animantibus per conuitium comparabant; alterutrum postulantes, aut descenderent in planitiem, (si bellicosi haberi vellent) & vno prœlio decernerent; aut si faterentur ignauiam, armis victori traditis, pœnisque maleficiorum persolutis, nihil præclarum sibi vsurparent amplius. Quod cum quotidie facerent, nec quidquam proficerent, decreuerunt eos circumuallare fame ad deditionem compulsuri. Hæc consules diu ferebant, non timiditate aut pusillanimitate; (erant enim ambo animosi & bellicosi) sed suspectos habentes plebeiorum militum animos, qui deposita promptitudine, voluntariam ignauiam induerant ex quo coortæ erant seditiones agrariæ. adhuc enim obuersabantur auribus & oculis quæ anno superiore, cõsuli honorem inuidentes, turpiter & præter maiestatem populi Romani fecerant, victis concessa victoria, falsoq; fugæ probro admisso, ne illi viro triumphus ob victoriam contingeret Ergo cum vellent seditionem in totum è castris tollere, & vniuersam multitudinem redigere in pristinam concordiam, idque vnum omni consilio & cura agerent: quoniam neq; animaduersione in quosdam, castigare licebat ceteros, qui & multi erant, & præter peruicaciam, etiam arma habebant in manibus, neque rationibus persuadere in tanta animorum obstinatione: videbãtur hi duo modi reliqui per quos eximeretur seditio: ad corrigenda mitiora ingenia, (erant enim & tales nonnulli admixti multitudini) pudor opprobriorum hostilium; ad r. fractarios autem animos, necessitas, quam vniuersum humanum genus metuit. Vt igitur horum vtrumq; fieret, permiserũt hosti vt suos tum probrosis verbis incesseret, & quietem illorum, ignauiam appellaret, tum *superbis* etiam factis eos *lacesseret:* vt sui, qui vltro nollent, ob nimiam istam hostis insolentiã, fortes se viros præstare cogerentur. sic enim fore

sperabant

ſperabant vt cuncti ad prætorium concurrentes, præ indignatione clamoribus prœlium poſcerent. id quod factum eſt. Vt enim hoſtes cœperunt caſtrorum exitus foſſa & vallo intercludere, Romani rem non ferendam rati, pauci primum, mox cateruatim confluebant ad tentoria conſulum, vociferantes & proditionem eis obiectantes, &, niſi quis ducem ſe præberet, ſe arreptis armis ſine illis in hoſtem erupturos dicentes. Quod cum ab vniuerſis fieret, duces exſpectatum tempus adeſſe rati, lictoribus mandarunt in concionem vocare milites. Tum Fabius *in medium* progreſſus, ſic eos allocutus eſt: Tarda quidem venit veſtra indignatio poſt tot hoſtiles contumelias, commilitones ac præfecti, & iſta confligendi cum hoſtibus cupiditas, quæ ſerius quam oportebat vos ſubiit, iam intempeſtiua eſt. dudum debueratis hoc facere, cum primum vidiſtis eos è munitionibus deſcendentes prouocare ad prœlium. tunc enim honeſte certaſſemus de imperio, & ex dignitate populi Romani. nunc vero neceſſario pugnabimus, & vt felix cõtingat exitus, certe par decus non erit. attamen recte facitis, dum vel nunc tandem *præteritam* tarditatem vultis corrigere, & quod reliquum eſt *virium animorumq;* recolligere: habeturque vobis magna gratia ob hunc ardorem honeſtiſſimum, ſiquidẽ amore virtutis exortus eſt. præſtat enim ſero quam numquam officium facere. Atque vtinã omnes pariter vtilitatis communis reſpectum habeatis: vtinam eadem vniuerſi alacritate ad certamen feramini. nunc veremur ne plebeii ob negotium agrarium infenſi honoratioribus, magnam cladem afferant reipublicæ & ſuſpicamur indignabundas iſtas inclamationes non ab omnibus eodem animo fieri, ſed alios, vt pœnas de hoſte ſumant, exire cupere; alios, vt aufugiant. Cauſſam autem huius ſuſpicionis non vates prębuerunt nec coniecturæ, ſed facta manifeſtaria, eaque non vetera, ſed ſuperiore anno proximo (vt omnes noſtis) edita, quando contra hos ipſos hoſtes valido miſſo exercitu, & primo prœlio depugnato feliciter, cum is qui tunc vos ducebat conſul, Cæſo, frater meus *cui ſucceſſi*, poſſet caſtra hoſtium vi capere, & clariſſimam patriæ reportare victoriam, inuidentes ei gloriam nonnulli, quod non eſſet plebis ſtudioſus, neq; ad inopum gratiam tractaret rẽpublicam, prima poſt prœlium nocte VIII.

iniussi reuulsis tentoriis aufugerunt è castris, non conside-
rato nec periculo, quod sibi noctu, nullo ordine, nullo duce
ex hostico excedentibus immineret; nec ignominia, quam
accepturi essent, quod hostibus, quantum in se esset, impe-
IX. rio cederent; & quidem victores victis. Horum metu,
(tribuni, vosque centuriones & milites) qui neque præesse
possunt neque parere volunt, cum sint multi, iique peruica-
ces & armati; neque prius cum hoste congredi voluimus,
neque nunc etiam audemus cum talibus propugnatoribus
de rerum summa decernere, ne impedimēto & nocumento
sint iis qui nihil alacritatis in se desiderari patiuntur. attamē
si & illorum animos Deus instigat, & omissis nunc perni-
ciosissimis reipublicæ dissidiis possunt exspectare pacata
tempora, præsentiq; virtute præteritas ignominias emen-
dare cupiūt, nihil vetat nos cum bona spe hostem aggredi.
nam præter alias occasiones victoriæ, maximas nobis pre-
bet hostium stultitia: qui cum copiarum numero lōge nos
superent, & vel hac vna prerogatiua nostræ fortitudini atq;
peritiæ resistere queant, hac præcipua commoditate se ipsi
priuauerunt, absumpta exercitus parte in castellorum præ-
sidia. deinde cū deberent caute ac prudenter agere singula,
reputantes cum præstātioribus sibi esse negotium, temere
inconsiderateq; ruunt in prœlium; perinde ac si inuicti sint
ipsi, nos vero eorum audacia perterriti. id sane præ se ferunt
istę circumuallationes, istę ad nostra castra obequitationes,
magnaque ista tum in dictis tum in factis insolentia. Hæc
ergo cogitantes, & tot egregiarum pugnarum memores
quibus eos *alias* profligastis, alacres hoc etiam prœliū ca-
pessite; & quem quisque locum in acie tuendum acceperit,
eum sibi domum, agrum, patriam reputet. qui suum mani-
pulare seruauerit, suæ saluti consultū credat: econtra qui il-
lū destituerit, se quoq; hostibus proditum existimet. Illud
præcipue memineritis, resistēdo & pugnando paucos viros
cadere; inclinata vero semel acie versaq; in fugam, paucissi-
X. mos euadere. Hæc ad accendendam suorum virtutem eo
memorante, multasq; inter dicendū lacrymas effundente,
& tribunos, centuriones, aliosq; spectatæ fortitudinis mi-
lites nominatim appellante, pollicenteq; multa & magna
eximiæ operæ pręmia, pro cuiusq; facinoris merito, hono-
res, diuitias, aliaque cōmoda, conclamarunt vniuersi. bono

animo

animo esset, seque in prœlium educeret. Quibus finitis, è multitudine prodit Marcus Flauoleius vir plebeius & colonus operari suis manibus solitus, non vilis tamen, sed bellica fortitudine ceterisque virtutibus commendatus, & ob ambo hæc in vna legionum illustri ornatus imperio; cuius ductum & iussa sexaginta centuriones cum suis *manipulis* sequi lex iubet: quos duces Romani vernacula lingua Primipilos nominãt. Is igitur, cum pręter cetera, statura quoq; ac forma insignis esset, ex editiore loco, è quo conspici ab omnibus posset; Hoccine, inquit, timetis, consules, ne facta nostra dictis non respondeant? ego primus vobis pro meipso certissimam promissi fidem faciam. vos quoq; ciues eiusdemq; fortunæ socii, si idem quod ego faciatis, recte feceritis. Hæc locutus, arrecto ense iurauit patriũ sacramentum, cuius apud Romanos vis est maxima; Bona sua fide, nõ nisi deuictis hostibus, reuersurum se in vrbem. Hoc eius exemplum omnibus placuit: moxq; ambo consules id imitati sunt, ceterique duces minorum ordinum, tribuni atque centuriones: & postremo reliqua multitudo militum. Quo facto, ingens alacritas totum exercitum subiit, mutuaque beneuolentia, simulque robur & audacia. solutaque concione, equites frenabant equos, ceteri gladios lãceasque acuebant, aut scuta extergebant, breuique omnes erãt parati ad prœliũ. At consules Deorum ope sacrificiis & precibus implorata, vt pugnæ sibi duces essent, decenti ordine copias è castris eduxerunt. Quos vbi è munitione descendisse viderunt Etrusci, mirati, ex aduerso prodierunt totis viribus. XI.

Vt vero in planitie vtrique constiterũt, tubæq; belli signum dederunt, sublato clamore cõcurrerũt, & congressi cũ equitibus equites, cũ peditibus pedites, tãto feruore dimicarũt, vt multi vtrimq; caderẽt. Romanorũ dextrũ cornu, cui Mãlius cõsul pręerat, sibi oppositos impulit, & equites, missis equis, pedestrẽ capessebãt pugnã. at sinistrũ circũueniebatur à dextro hostiũ, quod Etrusca acies ea parte esset non paulo protensior, ita vt Romanus exercitus ibi laboraret, & crebros ictus acciperet. ei cornui legatus pręerat Quintus Fabius bis consul, diuq; restitit varia vulnera perferens: tãdem lancea per pectus vsque ad viscera transuerberatus, exsanguis cecidit. Quo audito Marcus Fabius consul, qui in media stabat acie, assumptis validissimis centuriis, accitoq; al-

tero fratre Cæsone, suam præteruolauit aciem: ac tandem etiam hostium dextrum cornu prætereuectus, eo processit vbi Romani circumueniebantur: moxq; in hostes irruens, magna obuiorum strage edita, reliquos propulit, & fratrem adhuc spirantem sustulit, qui non multo post est mortuus. Ceterum vltores eius maiore inflammati ira, fortiter in aduersos irruerunt, nulla propriæ salutis ratione habita: & cum modica manu in medium & confertissimum hostium robur penetrantes, aceruabant cadauera, ita vt iam hac parte laborarent Etrusci, & qui prius hostes presserant, à victis reprimerentur. at sinistrum eorum cornu fugæ proximum, instante Manlio, vice versa fugauit oppositum. nam quidam vibrato in Manlium iaculo, cuspidem eius per genu ad suffraginem vsque adegerat. cumque à circumsistentibus in castra referretur, hostes Romanorum ducem occisum esse rati, sumpserunt animos, & ceteris etiam succurrentibus in aduersos duce orbatos impressionem fecerunt: ita Fabiis necesse fuit rursum è sinistro in dextrum cornu transcurrere. Quos vbi cum valida caterua aduentantes senserunt Etrusci, à persequendo destiterunt, & condensarunt suos ordines: pugnaque instaurata, multos tum è suis amiserunt, tum è Romanis occiderunt.

XII. Dum in hunc modum certatur, pars Etruscorum quæ deserta Manlii castra occupauerat, signo ab imperatore dato, magna celeritate atque alacritate inuasit altera Romanorũ castra, vt non magni momenti præsidio custodita: nec eos fefellit opinio. nam præter triarios & paucos alios militari robore præditos, ceterum vulgus negotiatorum, lixarum calonumque & opificum inerat. ibi multis in angustum locum coarctatis, (nam ad portam certamen erat) acri & aspera pugna coorta, multi vtrimque cæsi sunt. Manlius quoque consul, qui cum equitatu eo aduolabat, prolapso equo collapsus & ipse, cum præ vulnerum multitudine resurgere non potuisset, in eo conflictu periit: & circa eum ceciderunt multi alii fortes iuuenes. post eam cladem castra mox capta sunt, non irrito Tuscorum vaticinio. Qua felicitate si moderate sciuissent vti, & *capta* castra munissent præsidio, Romanorum impedimenta retinuissent, ipsosque turpiter discedere coegissent. nunc ad direptionem versi, & pleriq; ad curam corporum, egregiam

prædam

prædam emiserunt è manibus. Vt enim alter consul amissa castra cognouit, properauit eo cum lectissimis equitum ac peditum. cuius aduentum vt cognouerunt Etrusci, facta circum vallum corona, propugnarunt fortiter: fuitque ingens certamen, his, sua recipere conantibus; illis, si castra caperentur, internecionem timentibus. Quod cum protraheretur diutius, & Etrusci præualerent, (quippe qui è superiore loco in homines per totum diem certando fatigatos pugnarent) Titus Siccius legatus cum consule communicato consilio, iussit receptui canere, & simul collectos vnum *tantum* castrorum latus adoriri, qua parte locus is facilius oppugnari posse videbatur. portæ latera omisit ratione probabili; qua minime falsus est; vallo cessuros si spes salutis affulgeret. qua desperata, si vndique cingerentur hostibus, nullo patente exitu, ausuros extrema necessario. Itaque dum vnum tantummodo latus oppugnatur, Etrusci non pugnauerunt amplius, sed aperta porta, in sua se castra receperunt. Consul vero hac clade depulsa rursum ad suos recurrit in aciem. Ferunt numquã ad eam ætatem Romanos pugnasse tam magno prœlio, XIII. siue diuturnitas eius spectetur, siue pugnatorum numerositas, siue fortunæ nunc his nunc illis fauentis vicissitudines. erant enim vrbanæ iuuentutis ad viginti millia peditum, & equites his quatuor legionibus adiuncti circiter mille ac ducenti; colonorum quoque & sociorum par numerus. pugna paulo ante meridiem incepta, protracta est vsque ad occasum solis. & fortuna certaminis diu nutauit, nunc huc nunc illuc inclinante victoria. alter consulum cecidit, & vnus legatorum qui bis consul fuerat, aliique multi duces, tribuni & centuriones, quot numquam antea. Victoria tamen penes Romanos fuisse videtur, non ob aliud quam quod sequenti nocte Etrusci desertis castris abierunt. Postera die Romani direptis profugorum hostium castris, & sepultis suorum cadaueribus, in sua se castra receperunt. Ibi aduocata concione, fortitudinis præmia tributa sunt iis qui egregiam in pugna operam nauauerant: primo loco, Cæsoni Fabio consulis fratri, qui magna & admiranda ediderat facinora: secundo, Ticcio Siccio, cuius consilio castra recepta fuerant; tertio, Marco Flauoleio legionis duci, tum ob iusiurandum, tum ob admiratã-

dam in periculis fortitudinem. His peractis, & paucis aliquot diebus in eisdem castris consumptis, cum nulli hostes ad pugnam prodirent, domum reuersi sunt. Porro, cum tota ciuitas pro maximo prœlio feliciter depugnato triumphum offerret superstiti consuli, recusauit honorem, negans vel fas vel ius esse in fratris & collegæ amissione lauream & pompam admittere. Itaque repositis signis dimissisque militibus, consulatum eiurauit, cum duo adhuc menses superessent de magistratu annuo. non poterat enim ob re consularia munia, vulnere immani saucius,
XIV. ita vt decumberet. Senatus interreges elegit comitiorum gratia. cumque secundus interrex populum in campum Martium conuocasset, creatus est Cæso Fabius, is qui primas fortitudinis è superiore prœlio retulerat, frater eius qui modo consulatu decesserat, nunc tertium consul; & cum eo Titus Virginius. Hi cum exercitibus quos cuique sors dederat, profecti sunt; Fabius, contra Æquos Latini agri populatores; Virginius, contra Veientes. Æqui aduentu exercitus cognito, propere castris ex hostico motis, receperunt se in sua oppida; agrosque suos deuastari & prædas abigi passi sunt: ita vt consul primo incursu multis captiuis magnisque pecuniis & præda potiretur. Ceterum Veientes cum à principio mœnibus se continuissent, tandem occasionem nacti, hostes per campos dispalatos & prædabundos magna manu instructisq; ordinibus aggressi, tum prædam recuperant, tum obuios quosque partim interimunt, partim in fugam vertunt. & nisi Titus Siccius legatus cum instructa peditum & equitum caterua succurrens eos repressisset, nihil obstitisset quin totus exercitus internecione deletus fuisset. sed huius interuentu reliquis data est vnum se recolligendi copia. iamq; congregati omnes tumulum quendam sub vesperam occupant; vbi sequentem
XVI. noctem egerunt. Hac victoria Veientes elati, armata manu tumulum obsederunt, & oppidanos exciuerunt, quasi Romanos in tales angustias conclusissent, vbi omni commeatu destituti, breui se cum armis dedere cogerentur. cumque magna multitudo venisset, bina castra fecerunt ad latera tumuli quę oppugnatu essent faciliora: multas etiam alias minores custodias disposuerũt per loca tumuli minus opportuna, ita vt armatis replerentur omnia.

A. V. C. 275 conss. Kæs. Fabio III. & T. Virginio, bellum cum Æquis & Veientib.

At alter consulum Fabius per litteras à collega monitus de obsessorum extremo periculo, quippe quos fames, si nemo succurreret, ad deditionem esset compulsura, excitis copiis properauit contra Veientes. qui si vna die serius venisset, nihil profecisset, sed exercitum ibi deletum offendisset. cum enim victus inopia in colle premerentur prodierant ad oppetendum honestissimum mortis genus; & cum hostibus congressi, pugnabant, plerique fame, siti, insomnia, aliisque incommodis fracti. sed paulo post conspectus exercitus Fabii, magnus & instructus, suis audentiam, hostibus pauorem attulit. nam Etrusci, rati se validis & recentibus copiis impares, relictis castris, abierunt. At Romani exercitus postquam cōuenerunt, magnis castris prope vrbem loco munito positis, per aliquot dies optimam Veientis agri partem populati, domum reuersi sunt. Veientes vt audiuerunt Romanum exercitum dimissum, cum expedita iuuentute, quam partim ipsi in promptu habebāt, partim finitimi submiserant, irruperunt in confines sibi campos; eosque refertos frugibus, pecoribus, hominibus, diripuerunt. descenderant enim è munimentis coloni propter pabulum pecorum agrorumq; culturam, freti suo exercitu: nec ante exercitus abitū compositis rebus suis mature se in tutum receperant; quod non putassent Veientes post tantam cladem tam cito ausuros hostilia. Hæc Veientium in Romanum agrum irruptio, breuis quidem fuit, si tempus spectes: sed si regionis spatia, quæ peruaserunt, consideres, fuit vna ex maximis & grauissimis. nam populando excurrerunt vsque Tiberim & montem Ianiculum, ad vigesimum ab vrbe stadium & vlterius; non minore populi Romani probro quam damno, quod nullæ sub signis essent copiæ quæ hostem incursu prohiberent. Ita hæc excursio facta est prius quam colligerentur & centuriarentur Romani milites. Coacto deinde à consulibus senatu, post consultationē de modo belli cum Veientibus gerendi, placuit præsidiariorum agmen in finibus excubare, qui perpetuo in armis manerent, & agros *ab iniuria* tutarentur. Sed grauabantur sumptu, qui in præsidiarios impendendus erat maximus; quod ærariū exhauriretur continuis expeditionibus, nec priuati census tributis sufficerēt amplius. neque minus angebantur quō pacto præsidiarii XVII.

conscribi possent, quod nulli se vltro pro cunctis exposi-
turi essent periculo; præsertim cum non per vices, sed in-
desinenter sustinendi labores essent. Hærente in his diffi-
cultatibus senatu, Fabii gentiles suos conuocarunt, com-
municatoque inter se consilio, senatui promiserunt se pro
patria sponte id periculum subituros cum clientibus suis
& amicis; & quantisper bellum duraret, propriis mili-
turos sumptibus. Quam animorum generositatem cum
mirifice probarent omnes, & in ea promptitudine sola o-
mnem victoriæ spem ponerent, ita vt fama eorum tota vr-
be celebraretur, præmissis votis & sacrificiis, arma sum-
pserunt, & *in hostem* perrexerunt. Præerat eis Marcus
Fabius, qui superiore anno consul Etruscos prœlio vice-
rat; ducebatque ad summum quatuor milia militum. ho-
rum maior pars clientes erant & sodales; ex ipsa gente Fa-
bia trecenti & sex viri. quos paulo post alia Romanorum
manus secuta est, ductu Cæsonis Fabii consulis. Cum-
XVIII. que peruenissent prope fluuium Cremeram, qui non lon-
ge à Veiis abest, castellum pro copiarum numero in tu-
mulo quodam prærupto communierunt, duplicique fossa
& crebris turribus incinxerunt; cui de fluuio nomen in-
diderunt Cremeræ. id opus cum multæ manus vrgerent,
& consul ipse adiuuaret, opinione citius absolutum est.
Eo perfecto, cum copiis prouectus in vlteriorem Veientis
agri partem quæ in reliquam Etruriam versa est, vbi erant
Veientiũ pecora, quod numquam eo venturum Romanũ
militem crederent, magnam prædam abegit in castellum
recens conditum: captura ista duobus nominibus gau-
dens, tum quod hosti tam cito dignam persoluisset gra-
tiam; tum quod præsidiariis magnam pararet copiam.
nihil enim nec in publicum retulit, nec militibus diui-
sit; sed pecora, iumenta, iuga boum, ferramenta, reli-
quumque instrumentum rusticum, colonis castellanis lar-
gitus est: atque his peractis domum reduxit exercitum.
Ceterum Veientium res post eam castelli contra se mu-
nitionem, non bene se habebant; quod nec agricolatio
tuta esset, nec importatio commeatuum. Nam Fabii di-
uisis quadrifariam copiis, vna parte præsidio castelli reli-
cta, tribus *alteris* agrum hosticum perpetuo infestabant,
prædas agentes ferentesq;: & sæpe Veientem hostem nunc
ex in-

ex insidiis nunc aperte se inuadentem profligabant, multisque cæsis tuto se intra munimentum recipiebant. quo factum est vt illi ne congredi quidem auderent amplius, sed intra mœnia plerumque se continentes, non nisi furtim progrederentur. atque ita hyems ea exacta est. Sequenti anno Lucio Æmilio, Caio Seruilio consulibus Romam nuntiatum est Volscos & Æquos de Romanis vna inuadendis pactos, in agrum Romanum propediem irrupturos. nec falsus erat nuntius. nam vtrique opinione citius eductis copiis proximos sibi agros vastabant, rati Romanos & Etruscis oppugnandis & sibi repellendis non fore pares. Rursus aliunde nuntiabatur totam Etruriam in bellum conspirasse, communesque suppetias Veientibus decreuisse. confugerant enim ad eorum opem Veientes, quum suis viribus exscindere castellum non possent; obsecrantes per cognationem & amicitiam totque bella communibus auspiciis gesta, vt horum omnium memores, bello se iuuarent contra populum Romanum; quippe qui pro tota Etruria oppositi, manans à Roma bellum obiectu suo à cunctis popularibus repellerent. quibus rationibus Etrusci persuasi, promiserunt eis quantum petebant auxiliarem exercitum. His cognitis, senatus statuit tres exercitus emittere: properatisque delectibus Lucius Æmilius contra Etruscos missus est. cum eo profectus est Cæso Fabius superioris anni consul, impetrata à senatu venia vt sibi gentilibus suis, quos frater tutando Cremerensi castro eduxisset, adesse liceret, eademque cum illis certamina capessere. cui cum suis exeunti proconsularis potestas est addita. Alter consul Caius Seruilius in Volscos duxit exercitum: in Æquos vero proconsul Sernius Furius. Binæ ducibus Romanorum militum legiones datæ, Latinorum, Hernicorum, ceterorumque sociorum par numerus. Proconsul Furius non minus feliciter quam celeriter bellum confecit. vno enim prœlio Æquos fudit ac fugauit, idque minimo negotio, primo statim congressu exterritos: deinde agros vastauit hoste intra munitiones compulso. Alteri consuli Seruilio, temere ac præpropere congresso longe præter animi sententiam euenit; quod Volsci fortissime resisterent. itaque necesse habuit amissis multis viris fortibus, posthac absti-

XIX.
A.V.C. 276 conss. L. Æmilio, C. Seruilio, bellum cum Æquis, Volscis, Veientibus.

nere à prœliis, & intra castra manendo per solas velitationes bellum ducere. Ceterum Lucius Æmilius, quem in Etruriam missum diximus, exercitu Veientium ante ipsorum vrbem inuento, simulque magnis eiusdem gentis auxiliis, nihil cunctatus est: sed altera die postquam castra metatus est, producto in aciem exercitu, Veientes ferocissime se inferentes excepit. cumque ancipiti marte certaretur, assumpto equitatu in dextrum hostium cornu fecit impetum. quo perturbato, in alterum inuectus est; ex equo pugnans qua loci natura id patiebatur; vbi minus, desiliens in pedes, & pugnam prosequens. Laborante autem vtroque cornu, ne media quidem acies locum suum retinere potuit, sed impulsa est ab aduersariis peditibus: ac mox omnes in castra refugere. Fugientes Æmilius insecutus est, seruatis interim ordinibus; magnamque vsque ad castra stragem edidit. Quo vbi peruenit, totam eam diem & noctem insequentem per vices hostem constanter oppugnauit. Sequenti vero die hostibus lassitudine, vulneribus, peruigilio defatigatis, castra vi cepit. Etrusci vbi viderunt vallum transcendi, desertis castris pars in vrbem refugerunt, pars in montes proximos. Ea die consul permansit in castris hostium: sequenti vero eos qui præ ceteris fortem in prœliis operam nauassent, coronis aliisque donis militaribus decorauit: & quidquid in castris relictum esset iumentorum atque mancipiorum, tentoriaque multis opibus referta, militibus in prædam concessit; ita vt exercitus Romanus ex eo prœlio plus emolumenti quam ex superiorum vllo reportaret. sumptuosa enim & delicato victui assueta erat Etruscorum gens, tum domi tum militiæ; circumferens secum præter necessarios commeatus variam & tam arte quam pretio insignem supellectilem, ad voluptates & delicias comparatam. Insequen-

XXI. tibus diebus Veientes malis fracti, ciues natu maximos cum verbenis ad consulem supplicum ritu mittunt, qui de pace cum eo agant. Ii lamentis, precibus, & præter ceteras miserationis mouendæ rationes, multis lacrymis impetrant vt sibi liceat legatione Romam missa, de pace cum senatu colloqui, & tantisper dum legati cum responso reuertantur, omnis à suis agris abstineatur iniuria. quod vt fieri posset, promiserunt se Romano exercitui frumentum in bi-

tum bimestre præbituros, & stipendium in semestre, vt victor imperauerat. quibus acceptis & inter milites diuisis, factæ sunt induciæ. Senatus legatis auditis & consulis literis acceptis, rogantis ac monentis vt bellum Etruscum celeriter finirent, hostibus pacem quam peterent dari statuit; dari autem iis legibus quæ Lucio Æmilio consuli viderentur optimæ. Quo responso accepto, consul pacem cum Veientibus fecit, ex æquitate magis quam ex victoris populi vtilitate. nec enim vel agros eis ademit, vel pecuniariam mulctam irrogauit; atq; adeo ne obsides quidem ab eis ad firmandam pactorum fidem accepit. Id factum ei magnam inuidiam attulit, effecitq; vt fraudaretur debita pro rebus bene gestis gratia. nam triumphum petenti obiecta est arrogantia, quod leges fœderis non retulisset ad senatum. Quod ne per iram aut in suam contumeliam factum interpretaretur, decreuerunt vt copias in Volscos educeret, subleuatoq; sua ope collega, & rebus illic quoq; , si posset, feliciter gestis, (erat enim vir admodũ fortis) aboleret indignationẽ errato priore meritam. At ille offensus hac repulsa, vehementer de senatu apud populum conquestus est, quod patres ægre ferrent Etrusco bello finem impositum. id eos insidiose & per contemptum pauperum facere, ne bellis externis leuati promissam agrorũ diuisionem postularent, toties iam decepti eorum fallaciis. His & huiusmodi aliis probris per impotentẽ iram asperso patriciorum ordine, exercitum suum sacramento soluit: proconsulis quoque Furii copias ex Æquis reuocatas domum dimisit: atque ita tribunis rursum peperit magnam licentiam senatum pro concionibus accusandi, dissidiaque inter pauperes & diuites excitandi. Post hos consulatum acceperunt Caius Horatius, Titus Menenius, 76. Olympiade, qua vicit in stadio Scamander Mitylenæus, Phædone Athenis principe. Hi principio ciuili tumultu impediebantur quo minus res gererent, irritata plebe, & nihil aliud agi sinente prius quam diuideretur ager publicus: sed postea isti turbarum motus præsenti necessitati cesserunt; ita vt vltro irent in militiam. nam Etruscorum vndecim populi, qui pacis factæ non erant participes, coacto gentis concilio Veientes accusabant, quod inconsultis ceteris pacem cum Romanis fecissent; & alterutrum ab eis po-

XXII.

XXIII. *A.V.C.277 Olymp. 76. conss. C. Horatio, T. Menenio, bellũ Etruscum.*

stulabant, aut discederent à Romanorum fœdere, aut cum Romanis bellum contra se gererent. Veientes pacis necessitatem excusabant; à qua quomodo honeste discedere possent, concilio dispiciendum relinquebant. Tum quidam submonuit, incusari posse Cremerense castellum contra se munitum, & quod præsidium inde non sit deductum postulandum igitur vt ex eo loco excedatur, & ni impetretur, oppugnandum esse castellum, idque belli faciendum initium. In hæc postquam consensum est, dimiserunt concilium. nec multo post Veientes legatis ad Fabios missis castellum ab eis repetebant, armata iam tota Etruria. Hæc vbi Romæ ex ipsorum Fabiorum litteris sunt cognita, iussi sunt ambo consules ad bellum proficisci, tum hoc, ex Etruria nunc erumpens, tum illud, cum Volscis adhuc durans. Horatius igitur cum duabus legionibus & validis sociorum auxiliis in Volscos est profectus. Tantundem copiarum attributum est Menenio ituro in Etruriam. qui dum se cunctantius ad profectionem parat, interim Cremera expugnata est ab hostibus, & deleta gens Fabia. De qua clade duplex est opinio; sed altera minus probabilis, altera vero propior. mihi vtramque libet apponere, ita vt comperi. Quidam aiunt cum instaret patrium sacrificium genti Fabiæ peragendum, profectos ad id Fabios paucis clientibus comitatos, & nec vias explorasse, nec se sub signis centuriasse, sed negligenter & incaute, velut pacis tempore & per socialem agrum, incessisse. Etruscos vero qui hæc præsciuerant, missa copiarũ parte struxisse insidias in via; & cum reliquis copiis, quas instructas habebant, non multo post secutos. cumque ad locum insessum venissent Fabii, Etruscos ex insidiis in illos irruisse, tam à fronte quam à lateribus, & paulo post superuenisse à tergo reliquos. sic vndique circumuentos fundis, sagittis, iaculis, lanceisque impetitos, telorum multitudine obrutos, & ad vnum omnes confectos. Sed hæc narratio mihi minus fit verisimilis. nec enim probabile est tot viros, qui sub signis essent, è castris sacrorum caussa in vrbem absq; S. C. reuersos esse; cum ea sacra curari potuerint per gentiles eorum, prouectæ ætatis homines. nec, si omnes Fabii ex vrbe *in eam militiam* profecti essent, neq; vlla eius gentis pars domi relicta, credibile est omnes qui castrum tene-

Fabii deleti; Cremera capta.

XXIV.

tenebant è præsidio excessisse. suffecisset enim si tres quatuorve ad sacra pro tota gente peragenda profecti essent. Has igitur ob caussas non videtur mihi fides ei narrationi tribuenda. Propius veritati existimo quod alii tam de gentis interitu quam de castello capto produnt in hunc modum.

XXV. Cum sæpenumero prædatum exirent, & ob continuos successus magis ac magis progrederentur, Etrusci parato numeroso exercitu, in propinquo clam hostibus castra posuerunt. deinde pecorum gregibus, boumque & gregalium equarum armentis simulate pastum emissis, illexerunt viros ad prædam. qui castello egressi, comprehensis pastoribus abigebāt pecora. Hæc sæpius factitando Etrusci, semperque hostem longius à munitionibus proliciendo, animis illorum perpetuo lucro inescatis atque ita corruptis vt saluti non prospicerent, noctu locis opportunis disposuerunt insidias, præmissis qui occuparent imminentes campis speculas. Sequēti die multos greges è castellis emiserūt cum paucorum armatorum præsidio. Hoc Fabiis nuntiato, esse vltra proximos colles campum plenum omni pecudum genere, easque non satis custoditas exiguo temporis spatio capi posse, prodierunt è castello, relicto quātum sufficeret præsidio: emensoque magna festinatione atque alacritate spatio intermedio, custodibus pecudum se vno agmine offerunt. qui cum illorum impetu non exspectato profugissent, Fabii iam securi, captis pastoribus abigebant etiam pecudes. Interea Etrusci multis locis coorti ex insidiis, vndique in eos irruunt, ibi Romani plerique palantes, prius quam sibi inuicem possent succurrere, oppressi sunt. quotquot autem in vno erant globo, cum tutum locum occupare cuperent, & ad montes festinarent, incidunt in alias insidias per siluas & saltus abditas. Ibi acri pugna commissa, magna vtrimque cædes facta est. tandem Romani depulsis obuiis quibusque, oppletaque cadaueribus conualle, receperunt se in tumulum quendam captu difficilem: vbi sequentem noctem egerunt sine commeatibus. Sequenti vero luce præsidiarii cognito suorum casu, maiorem copiarum partem inter prædandum cæsam esse, & firmissimum exercitus robur in deserto tumulo clausum obsideri, ac nisi mature subueniretur, victus inopia breui expugnatum iri, exiuerunt magna festinatione, perpaucis

relictis ad caſtelli cuſtodiam. hos Etruſci , prius quam
cum alteris coniungerent , hinc inde circumuenerunt; &
poſt multa ac magnanima facinora tandem omnes ad v-
num interfecerunt.

XXVI. Nec multo poſt illi qui tumulum occuparant, fame ſiti-
que premente, ſtatuerunt cum hoſte congredi; paucique
cum multis confligentes , à mane pugnauerunt vſque ad
veſperam , tanta hoſtium ſtrage, vt paſſim fuſi cadauerum
acerui pugnantes impedirent. Etruſci amiſſa plus quàm ter-
tia ſuorum parte , reliquis timentes , ſigno receptui dato
pugnaque pauliſper intermiſſa per caduceatores offerebant
eis tutum tranſitum , ſi poſitis armis præſidio excederent:
quas conditiones viris illis auerſantibus , mortemque ge-
neroſam præoptantibus, inſtaurato prœlio per vices eos
aggreſſi ſunt, non iam vt ante comminus inuadentes. ſed è
longinquo certatim petentes lanceis, ſaxis, aliiſque miſſili-
bus tam crebris, vt ſua multitudine niuem referrent. Ibi
Romani centuriatim ſeſe conglobantes , in hoſtem pro-
currebant: qui cum retrocederet, multos vndequaque ſuſ-
tinebant ictus. & cum multi non poſſent amplius vti gla-
diis , partim retuſis , partim confractis ; & clypeorum ora
circumquaque perfracta eſſet ; ac plerique telis confixi &
exſangues, præ vulnerum multitudine cunctis membro-
rum viribus exſoluerentur, Etruſci contemptim eos inua-
dunt. At Romani ferarum ritu occurrentes, haſtilia eorum
prehendentes confringebant , & arreptos acie gladios ex-
torquebant : quin etiam qui corporibus in terram deflue-
bant, prœlia miſcebant, & animis magis quam viribus de-
certabant. itaque hoſtes non amplius manus cum eis con-
ſerebant, tolerantia virorum territi, & audacia quam ex-
tæ deſperatione , exuto omni metu , conceperant : ſed re-
greſſi, rurſum eos ſaxis, lignis & obuiis quibuſque confer-
tim impetebant: atque ita tandem eos telorum multitudi-
ne obruerunt His interemptis accurrerunt ad præſidiari-
os, præ ſe gerentes illuſtrium virorum capita; quaſi obiter
præſidio potituri. ſed ſpes eos fefellit, nam reliquiæ Fabia-
norum. accenſæ æmulatione generoſi ſociorum & cogna-
torum exitus , prodierunt admodum exigui numero; &
poſt longum certamen. eodem quo ceteri modo, interne-
cione deleti ſunt: ita vt Etruſci vacuum propugnatorib. ca-

strum caperent. Hæc narratio videtur mihi fide dignior quam altera illa, cuius ante memini: quamquam vtraque graues Romanorum historicos auctores habet. Quod vero addunt aliqui, nec verum nec verisimile, sed præpostero auditu è vero confictum, operæpretium est examinare. dicunt enim quidam trecentis sex Fabiis cæsis, ex tota gente vnicum puerum relictum superstitem: rem non modo non probabilem, sed ne possibilem quidem affirmantes. nec enim omnes Fabii qui Cremeram sunt profecti, cælibes ac sine liberis esse potuerunt. nā qui per ętatem poterāt, prisca lege vxores ducere cogebantur, cunctosq; fœtus educare. quam legem vsq; ad suum seculū diligenter à maiorib. obseruatā, haudquaquam soli cōtempsissent Fabii. Sed detur hoc quoq;; illud certe dari nō potest, ne fratres quidē ętatis teneræ fuisse illorum cuiquā. fabulis enim hoc esset simile figmentisq; theatricis. Iam patres eorū qui per ætatem adhuc liberos procreare poterant, annon in tanta gentis orbitate volentes nolentes aliis liberis operā dedissent, vt nec patria sacra destituerentur, nec tanta gētis gloria interiret? Quod si ne patres quidē vllis eorum fuerunt superstites, sed in illis sex & trecentis viris omnia in vnū conciderunt, prodigiosa certe res, nullis in tanto numero fuisse infantes filios, aut vxores grauidas, aut fratres impuberes, aut patres ætatis integræ. Hæc reputans, veram eam famā non credo. Illud verum existimo, triū fratrum, Cæsonis, Marci, Quinti, qui septē consulatus continuos gesserunt, *soli* Marco superstitē fuisse filiolum: atq; hūc esse illum qui *solus* è Fabia familia reliquus fuisse dicitur, nihil prohibet. & quia nemo è ceteris præter hunc adulta ætate inclaruit, hinc natā esse vulgi opinionem *puto*, illum vnum è Fabia gente fuisse reliquum: non quod nullus prorsus alius relictus sit, sed quod nullus illis similis; virtute cognationis spectata, non propagine. Et de his quidem hæc dixisse sufficiat. XXVII.

Etrusci Fabiis cæsis captaq; Cremera, duxerunt exercitum *porro* contra ceteras copias Romanas. non lōge enim inde erant castra Menenii consulis, parum tuto loco posita. & quādo Fabia gens cum clientelis suis periit, *consularis exercitus* circiter triginta stadiis à loco cladis aberat. quapropter multorum opinio fuit, sciuisse consulē periculum Fabiorum, sed neglexisse, quod inuideret eis tantam virtutem XXVIII.

& gloriam quo factum est vt post accusatus à tribunis, ha
potissimum de caussa damnatus sit. vehementer enim po-
pulus Romanus luxit, cum tot & talium virorum virtu
mulctatus esset, & implacabili odio prosecutus est quid-
quid eius cladis caussam præbuisse videretur: diem quoque
huius casus inter atros & nefastos retulit; & ob cladem tunc
acceptam, boni operis aliquid eo die auspicari religio est.
Etrusci vero, vbi prope Romanos venerunt, visis con
castris sub montis latere, contempserunt ducis imperitiam:
& læti fortunę beneficio, mox assumpto equitatu, per alte-
rum montis latus in verticem euaserunt prohibente ne-
mine. occupatoque imminente Romanis cacumine, arm
ibi posuere; ceterisque copiis tuto eodem perductis, cast
excelso vallo & profunda fossa munierunt. Vbi si Mene-
nius animaduertisset quanto potiore loco essent res hosti,
& agnito errore in tutiorem locum trãstulisset exercitum,
sapienter fecisset. nunc vero quia pudendum ducebat vide-
ri peccasse, & monita pertinaciter contemnebat, in verepu-
dendam cladem incidit.

XXIX. Nam Etrusci cum è loco superiore identidem prorum
perent, multis partibus hostem superabant. nam & com-
meatus, quos negotiatores illis subueherent, intercip
& pabulatores aquatoresque per insidias opprime
eoque redigebant consulem, vt nec tempus nec locum p
gnæ pro arbitratu posset eligere: quod apud imperato
maximæ habetur imperitiæ. contra Etrusci vtriusque l
rum habebant arbitrium. Attamen ne tum quidem ca
mouere Menenius sustinuit; sed maluit in aciem suos e
cere, spretis monitoribus. Etrusci eam ducis amentiam
magna felicitate ponunt, moxque descendunt è castris,
plo maiore quam hostes numero. Vt vero conflixerunt
ercitus, cadebant multi Romani, non valentes seruare o
dines. nam ab Etruscis exturbabantur; quibus & loci nat
ra fauebat, & sui à tergo adurgentes, (nam in altum pa
bat acies) prona impressione multum adiuuabant. itaque
Clades probrosa ex Menenii ducis imperitia. cæsis centurionũ nobilissimis, reliquus exercitus in cast
compulsus est. quos insecuti hostes, & signa fugientibus
ripiunt, & sauciis pariter ac defunctis potiũtur. castra qu
que obsessa, continuata per illum diem & noctem insequ
tem oppugnatione, capiunt, militibus profugientibus
multu

multum ibi mancipiorum, multumque opum nanciscuntur. impedimenta enim secum asportare fugientes haud poterant; ac plerique ne arma quidem retinuerant, contenti seruasse sola corpora.

At in vrbe postquam cognita est copiarum clades & castrorum expugnatio, (nam multo ante lucem ex fuga primi venerant) magnus tumultus, vt par erat, exortus est: nec aliter quam si mox irruiturus esset hostis, arreptis armis alii mœnia petebant, alii stationem pro portis; nonnulli occupabant loca vrbis edita. confusæ per vrbem discursationes, mistæque vociferationes: super ædium tectis domestica turba se ad vim propulsandam & certamen ineundum præparabat: continuique, vt in nocturnis tenebris, micabāt ignes, totque tum è tectis faces, tum è cœnaculis lumina effulgebant, vt procul intuentibus fulgor ille contiguus esse, vrbsque incendio conflagrare videretur. Quod si tum Etrusci contempta castrensi præda institissent vestigiis fugientium, totus ille exercitus deletus fuisset: nunc versi ad direptionem impedimentorum & refectionem corporum, egregia seipsos priuauerunt gloria. Sequenti die versus vrbem ducentes exercitum, ad sedecim ab vrbe stadia, montem Ianiculum, è quo conspici Roma potest, occupant: & eruptionibus inde factis, prædas ex agro Romano sine omni obstaculo agunt & ferunt, magno vrbanorum contemptu; donec alter consul Horatius cum exercitu è Volscis aduentat. tum demum Romani rem tutam rati, armata iuuentute domestica, produxerunt copias. cumque inito prœlio, primum ad Spei fanum, octauo ab vrbe stadio, Etruscos vicissent ac profligassent; deinde hoste cum maiore manu reuerso, iterum ad Collinas portas fortiter dimicassent, à pauore respirarunt: simulque is annus exiit. XXX.

Sequenti anno circa æstiuum solstitium Sextili mense consulatum inierunt viri rei militaris prudentes, Spurius Seruilius, Aulus Virginius: quibus bellum Etruscum, graue alioqui & difficile, vtile videbatur, collatum ad res domesticas. nam cum proxima hieme desertus & incultus fuisset ager propter occupatum vicinum montem & excursiones cōtinuas, ac ne externi quidem commeatus importarentur à negotiatoribus, laboratum est magna frumenti inopia, vrbe præter domesticam turbam agrestium quo- XXXI.

A.V.C. 278 conss. Sp. Seruilio, A. Virginio, domi turba ac penuria, foris bellum cum Etruscis.

que multitudine referta. nam robustæ ætatis ciuium plus centum & decem milia erant, vt proximo cēsu liquuit: mulierum autem & puerorum, seruitiorum item, negotiatorum & opificum inquilinorum, (nemini enim ciui Romano aut Cauponari, aut arte manuaria victum quęrere licebat) triplum tantum quantum ciuium: quibus difficile erat verba dare. nam penuriam illam indignę ferētes, in forum concurrebant, & in proceres vociferabantur, cateruatimque in ædes diuitum irruebant, & penuaria sine pretio diripere conabantur. Tribuni quoque coacta in concionem plebe turbulenta, accusabant patricios; semper eos aliquid mali aduersus pauperes machinari dictitantes; & cuncta quæ vnquam aduersa contigerant, etiamsi casu fortuito accidissent, nullisque coniecturis hominum præsentiri, nec vlla cautione euitari potuissent, illorum arte fabricata clamitantes: atque ita magis exacerbabant vulgus suapte spōte procliue ad contumelias. His malis vrgentibus, consules cum multis pecuniis in propinqua loca dimiserunt qui frumenta coemerent; per singulas quoque domos ciues frumentum profiteri iusserunt, vt quod superesset familiari vsui, conferretur in publicum: idque iusto taxarunt pretio. His & aliis similibus artibus effecerunt ne pauperum audacia prorumperet in facinora; animumque rursus ad bellum parandum adiecerunt.

XXXII. Cum enim absumpta essent omnia quæ intra mœnia in cibos admitti poterant, & externi commeatus subuenirent tardius, nec vllum aliud malorum esset remedium, sed alterutrum horum necessitas postularet, vt aut totis viribus in eiiciendo è finibus hoste periclitarentur, aut intra mœnia obsessi partim fame partim intestinis seditionibus interirent, leuiore malo præoptato, statuerunt se externis offerre periculis. eductisque copiis intempesta nocte traiecerunt flumē ratibus; ac prius quam clara dies illuceret, prope hostes castra posuerunt; & sequenti die militem produxerunt in aciem. in dextro cornu Virginius præerat, in sinistro Seruilius. Quos vbi ad certamen paratos viderunt Etrusci, admodum gauisi sunt. putabant enim, si vnum id prœlium ex voto succederet, se conuulsuros Romanam potentiam, quod scirent totum Romanarum copiarum robur in ea stare acie; & spes, licet vana, victoriam promittebat,

tebat, quia Menenii copias, iniquo loco secum congressas, superauerant. Commisso acri & diuturno prœlio, Etrusci multis hostium cæsis, pluribus suorum amissis, in castra se receperunt. Virginius, qui dextro cornui præerat, suos fugientibus instare noluit, sed præsenti successu contentos esse iussit: Seruilius, qui alterum ducebat cornu, cum suis diu persecutus est eos qui sibi oppositi fuerant. Vt vero in sublime venit, conuersi Etrusci, succurrente & castrorum præsidio, fecerunt in persecutores suos impetum. qui cum aliquantisper restitissent, coacti terga vertere, propulsique per decliuia, disiecti passim cæsi sunt. Virginius cognito sinistri cornus casu, suos instructos transuerso itinere per montem duxit: & superueniens à tergo hostibus suos persequentibus, partem militum reliquit ad prohibendos si qui è castris in auxilium suorum prorumperent; cum reliquis hostes inuasit. Ibi & Seruiliani resumptis animis in pugnam reuersi sunt. itaque circumuenti Etrusci, cum nec vlterius penetrare possent propter eos qui à fronte occurrebant; nec retro in castra refugere, propter eos qui à tergo incũbebant, misere maior pars contrucidati sunt. Consules funesta potiti victoria, prœlioque non admodum feliciter confecto, castris ante cæsorum cadauera positis, ibi pernoctarunt.

At ea manus Etruscorum quæ Ianiculum montem occupauerat, quoniam domo nulla submittebãtur auxilia, decreuit præsidio decedere: noctuque motis castris Veios petiit; quæ ciuitatum Etruscarum erat sibi proxima. Quorum castris potiti Romani, direptis impedimentis quæ in fuga non potuerant asportari, saucios etiam multos ceperunt, vel in tentoriis iacentes, vel passim stratos toto itinere. quidam enim desiderio patriæ, supra vires ausi, conabantur sequi suorum vestigia: postea languescentibus membris collabebantur semineces: quos Romanorum equites ad multum viæ persecuti conficiebant. Vbi nulli supererant hostes, diruto castello, milites cum spoliis in vrbem reuersi sunt, referentes in prœlio cæsorum cadauera, miserabile ciuitati spectaculum propter tot & tam fortium virorum interitum. quare populus nec feriari voluit vt re prȩclare gesta; nec lugere vt in magna & irreparabili clade. ac senatus Diis quidem necessaria decreuit sa- XXXIII

cra at consulibus triumphalem pompam ob victoriam non permisit. Non multo post vrbs repleta est commeatibus variis, cùm & legati reipublicæ, & negotiatores qui ante consueuerant, multùm frumenti importarent; ita vt restitueretur annonæ pristina vilitas.

XXXIV. Finitis bellis externis intestina seditio recruduit, tribunis plebem rursum turbantibus. quorum ceteras quidam actiones impedierunt patres, interposita *sua* in singulis *auctoritate*: ceterùm accusationem Menenii, qui superiore anno consul fuerat, licet multa machinati, non potuerunt impedire: sed duo ei tribuni, Quintus Considius, & Titus Genucius, diem dixerunt: iussusque rationem redderet rerum bello nec prospere nec honorifice gestarum, in primis autem de Fabiorum interitu & Cremeræ exscidio grauiter insimulatus, tributis comitiis à plebe omnibus fermè calculis damnatus est: quamuis esset Agrippæ Menenii filius, eius qui plebem patriciis reconciliatam in vrbem reduxerat, quique defunctus à senatu publicis impensis magnifice funeratus fuerat, & à matronis luctu annuo, posito auro & purpura, honoratus. Non tamen capitalis mulcta fuit, sed pecuniaria; si ad nostri seculi vitam ac fortunas conferatur, ridicula; sed illius temporis hominibus, suis manibus necessarium dumtaxat victum quærentibus, præsertim huic cui paupertas pro patrimonio relicta fuerat, grauis: duo assium milia. erat autem as æneum numisma, librali pondere: ita vt tota mulcta sedecim talenta æris conficeret. Inuidiosum hoc videbatur eo seculo; atque adeò postea populi, vt pœnę inuidiam mitigarent, abrogarunt mulctas pecuniarias, & in boues ac pecora transtulerunt, taxato numero vltra quem non liceret magistratui à priuatis mulctam exigere. Hæc Menenii damnatio rursus exasperauit erga plebem patriciorum animos; vt neque agrorum diuisionem fieri permitterent, nec aliud quidquam ei indulgerent. Nec multo post ipsam etiam plebem eius iudicii pœnituit, vbi cognouit de eius viri obitu. nam vitata hominum consuetudine, numquam postea conspectus est in publico: cumque posset exsoluta mulcta redire ad quæuis munia publica, paratis ad numerandum amicis, noluit: sed morte cladē æstimans, domi se cōtinuit, nec admisso quoquam, mœrore inediaq; contabuit. nec aliud eo anno gestum

Menenius ob rem male gestam damnatus.

stum est. Publio Valerio Poplicola, Caio Nautio consulibus rursus alius vir patricius Spurius Seruilius, superioris anni consul, non multo post quam magistratu abiit, capitis apud populum accusatus est, à duobus tribunis plebis, Lucio Cædicio & Tito Statio, die dicta. ab eo magis infortunii quam peccati exigebatur ratio, quod proximo prœlio Etruscos in castra refugientes audacius quam prudentius persecutus, moxque conferta eruptione hostium repulsus, robur iuuentutis amisisset. Ea actio visa est patriciis omnium grauissima: congressiq; inter se, rē indignam & minime ferendam esse dictitabant, eos qui se pro republica impigre hostibus obiicerent, si aduersa fortuna reflaret, ignauiæ accusari ab iis qui numquam in acie steterint: atque hoc modo cohibita ducum audentia, libertatem simul & imperium venire in periculum. itaq; magnis deprecationibus apud plebeios agebant ne damnarent hominē, ostendentes non esse è republica damnari duces ob infortunium. Postquam autem dies iudicii venit, progressus in medium vnus è tribunis Lucius Cædicius, accusationem exorsus est, dicens illius amentia & imperitia in manifestariam perniciem inductum exercitum, pessumdatumq; robur & florem populi Romani, ac ni collega, clade mature cognita, cum suis ilico subuenisset, & tum hostes repressisset, tum ciues seruauisset, nihil obstare potuisse quo minus alter exercitus funditus interisset, & respublica deinceps dimidia ciuium parte orbata esset. His dictis testes citabat tum centuriones qui euaserant, tum è ceteris militibus nonnullos, qui ad diluendam suæ fugæ ignominiam, infelicitatem duci vertebant crimini. Post hæc magnam defunctorum miserationem mouens, & cladem exaggerans; demum magno contemptu effusis omnibus quæ in vniuersorum patriciorum inuidiam vulgo iactabantur, & eos qui pro illo deprecaturi erant, à proposito deterritura videbantur, reo pro se dicendi fecit potestatem.

XXXV. A.V.C.279. conss. P. Valerio, C Nautio, Sp. Seruilius à trib. accus.

Tum Seruilius sic defensionem aggressus est: Si in iudicium me vocastis Quirites, & imperii rationem à me reposcitis, paratus sum caussam dicere: sin ad certum supplicium accersistis, & nihilo potiore conditione futurus sum post probatam vobis meam innocentiam, iam nunc arreptum hoc corpus tractate vt libitum est. Sic enim mori fe-

XXXVI.

licius existimo, quam peracta caussa non persuasisse iudicibus. nam merito viderer pati quidquid de me statuissetis. Vestra quoque minor erit culpa, si negata mihi dicēdi potestate, dum incertum adhuc est an aliquid in vos deliquerim, vestræ *in me* iræ indulseritis. Animum porro vestrum ex auscultatione cognoscere potero. nam è strepitu & silētio coniicere licebit vtrum me ad supplicium an ad iudicium arcessiueritis. His dictis reticuit. mox silentio præbito, & plerisque bono animo esse ac quidquid vellet dicere iubentibus denuo sic exorsus est: Ergo si iudices vos Quirites, non inimicos habeo, facile vobis (vt arbitror) approbabo meam innocentiam. incipiam autem ab iis quæ vobis omnibus sunt notissima. Ego creatus sum consul cum optimo *hoc* Virginio, quo tempore Etrusci communito aduersum vos imminente vrbi tumulo, omnique agro Romano in suam potestatem redacto, spem conceperant breui se deleturos vestrum imperium. intra mœnia graui fame simulque seditione laborabatur, nec expediebatur vllum salubre consilium. Tam iniquo reipublicæ tempore, tamque turbulento & horribili, admotus gubernaculis, hostes ope collegæ vici duobus prœliis, coegique deserto præsidio discedere: nec multo post etiam famem sedaui, repleto foro commeatibus venalibus; & successoribus meis agrum hostilibus armis vacuum, vrbemque omnibus ciuilibus morbis sanam tradidi; in quæ mala eam populi flabella coniecerant. Cuius igitur criminis reus sum? nisi forte hostes vincere, in vos delinquere est. Quod si aliqui milites in prœlio feliciter depugnato ceciderunt, quid *ea parte* Seruilius in populum deliquit? nec enim Deus quispiam se ducibus pro salute omnium qui certamen ineunt, sponsorem sistit: nec ea conditione imperium accipimus, vt omnes hostes deuincamus nullo è nostris amisso. quis enim mortalium in se cuncta & consilii & fortunæ munia recipere sustineat? sed magna operæ præmia magnis semper emuntur periculis.

XXXVII. Nec mihi primo, in congressu cū hostibus, hic casus accidit; sed propemodū omnibus qui *vnquam* minore manu maiores hostium copias ausi sunt aggredi. nam *sæpe* iam vsu venit vt qui modo persequebantur hostem, mox ipsi fugerint; & qui multos hostes occiderant, plures è suis amiserint. taceo multos omnino victos, cū ignomi-

gnominia pariter & clade maxima domum rediisse; quorũ nemo pœnas dedit infortunii. Satis enim *ad pœnam est* ipsa calamitas: nullamque vt par erat laudem assequi, magna & grauis est iactura ducibus, etiamsi nihil accedat præterea. Verum tamen tantum abest vt pro mea defensione afferre velim quod omnes æqui *arbitri* iustum esse fatebuntur, nõ teneri me fortunę caussam agere; vt licet nullus alius ad dicendam istiusmodi caussam descenderit, ego solus non detrectem, sed *lubens* non modo consilium, verum etiã fortunam meã in disquisitionem vocari patiar: modo hoc *vnum* præfari mihi liceat, videre me humanarũ actionum felicitatem infelicitatemq; non è singularibus earum particulis, quæ multæ sunt ac varię, sed ex euẽtu iudicari: qui si ex sententia ceciderit, etiamsi per multa parum grata ad eũ peruentum sit: nihilominus *actiones istas* laude atq; æmulatione omnium dignas haberi audio, & ad bonam fortunam referri: quoties vero finis malus est, etiamsi omnia quæ finem antecesserunt, nullo negotio sint confecta, id eorum qui gesserunt non felicitati tribui, sed infortunio. Huc igitur spectantes, examinate meam quoq; fortunam qua in bellis vsus sum: ac si me ab hostibus victum fuisse comperietis; malam pronũtiate fortunam meam: sin hostes à me superatos, bonam. Verum de fortuna, quoniam eam disputationem molestam esse noui, etsi plura dicere possim, desino.

Sed quia consilium quoque meum accusatur, non proditionis aut ignauiæ; (nec enim tam perfrictæ frontis sunt aduersarii, vt hæc vulgata ceterorum ducum crimina obiicere mihi audeant) sed imperitiæ militarium artium & insipientiæ, quod periculum subierim non necessarium, vsq; castra hostẽ persecutus; reddã etiam huius rationem; cũ in promptu mihi sit dicere, res gestas taxare facillimum esse cuiuis; at res egregias gerere, perdifficile paucisque datum; nec, vt facile est qualia sint præterita, videre; ita etiam facile qualia sint futura, prospicere: quandoquidem illa sensibus percipimus, hæc præsagiis atque coniecturis colligimus: in quibus inest fallaciarum plurimum. perfacile item cuiuis esse, verbis belli ducem agere procul periculo; quẽadmodum accusatores mei faciunt. Sed vt ista omittam, agite, per Deos, dicite, solus ego aut primus muni- XXXIIX

tiones hostium vi aggredi visus sum, & copias per accliuia ducere? an idem fecerunt imperatores vestri complures; alii felici, alii infelici successu? Cur igitur omissis aliis me iudicatis, si hæc amentis imperitique ducis facta esse censetis? Quot alia *meo* isto facto *longe* audaciora ducibus in mentem venerunt, quoties tempus non ferret tuta consilia? quidam enim signiferis erepta signa coniecerunt in hostes medios, vt segnioribus & timidis necessitatem fortitudinis imponerent; scientibus probrosam mortem iis esse propositam qui signa non retulissent incolumia. quidam traductis in hosticum copiis, ruperunt pontes fluminum, vt pugnaturis præcisa effugii spe, audaciam inferent. alii tentoriis vna cum impedimentis crematis, effecerunt vt sui necessario ex hostico peterent quidquid opus haberent. Omitto innumera alia ducum facta & consilia audacissima, quæ vel experientia vel auditu accepimus; ob quæ nemo eorum qui spe sua frustrati sunt, vmquã ad pœnam vocatus est. nisi hoc forsan aliquis vestrum obiiciet, me ceteris in manifestam perniciem coniectis, corpus subtraxisse periculo. quod si inter ceteros versatus, postremus excessi prœlio, eiusdemque cum ceteris fortunæ fui particeps, quid commisi iniuriæ? atque hæc de meipso dixisse sufficiat.

XXXIX. Nunc de ordine senatorio & patricio, quoniam commune odium propter impeditam agrorum diuisionem, me quoque contingit; quod nec accusator dissimulauit, verum bonam accusationis meæ partem in hoc insumpsit; libet paucis apud vos dicere. dicam autem libere: nec enim aliter vel ego dicere queam, vel vos audire expediat. Præter ius & fas Quirites facitis, qui senatui pro tot tantisque beneficiis, quæ in vos contulit, nullam habetis gratiam; sed siquid, cuius concessio maximopere obesset rei publicæ, nõ per inuidiam, sed publicæ vtilitatis consideratione, vestris precibus negauit, eo nomine irascimini. atqui debebatis eius consulta, velut ab optimo animo profecta, & publicam vtilitatem spectantia, quantum fieri poterat, boni cõsulere, & à *priuatis* vestris cupiditatibus absistere: aut si nõ potestis ratione temperare vestris affectibus noxiis, saltem *iustis* persuasionum momentis petere quæ cupitis, non per vim conari eripere. nam vltronea dona, & dantibus iucundiora

diora sunt quam extorta, & accipientibus magis perpetua quam illa contraria. Quod vos, me dius Fidius, non consideratis; sed turbamini & efferamini, ac ne momento quidem temporis ciuitatem quiescere sinitis. vnde fit vt bellũ pace nobis potius videri possit, quando in bellis, inimicis male facimus; in pace, amicis. Atqui si putatis Quirites omnia senatus consilia honesta esse commodaque reipublicæ vt reuera sunt, quin hoc quoque tale esse creditis? Sin prorsus nihil eorum quę deberet curare senatum opinamini, sed male turpiterque administrare rempublicam cur nõ in totum amoto, magistratus ipsi capessitis, *in commune* consulitis, bella pro imperio geritis; sed acciditis eum paulatimque consumitis, iudiciis tollentes illustrissimũ quemque? satius enim esset nos in vniuersum *à vobis* infestari, quam vnum post alium priuatis calumniis appeti. Verum non vos in culpa estis, vt dixi; sed concionatores isti qui vos perturbant, nec imperium ferentes, nec imperare ipsi sciẽtes Et quantum ad istorum insipiẽtiam atque imperitiam attinet, iam sæpe subuersum fuisset vobis hoc nauigium. nunc vero lapsus eorum corrigit, & ciuitatem seruat incolumem, hic ipse senatus qui per eos tam male *apud vos* audit. Hæc siue iucunda vobis auditu, siue molesta, verissima certe ausus sum dicere; vt qui malim ob libertatem reipublicæ vtilem emori, quam ad *solam* voluptatem vestrã loquendo seruari. Hæc locutus, nec vllis infortunii lamẽtationibus aut deplorationibus, nullis item abiectis supplicibusque deprecationibus vsus, nec quidquã ingenerosum præ se ferens, dicendi vices iis tradidit qui patrocinari sibi aut testimonium perhibere vellent. Ibi tum alii multi prodierunt qui culpa eum vacare testarẽtur, tum in primis collega eius Virginius, ad quem victoria referebatur. is non solum alienum eum à culpa pronuntiauit, verum etiã laudandum & ab omnibus honorandum duxit, vt virum in rebus bellicis præstantissimum, ducemque cordatissimum. addiditque, si bellum hoc bonum eis finem sortitum videretur, ambobus sibi habẽdam gratiam: sin malum, ambos ex æquo plectendos. communicatis enim consiliis & factis fortunam quoque communem fuisse. Mouebat autem nõ solũ oratio viri, sed & tota vita, spectata omnis generis bonis operibus. Nec parum item ad ciẽdos affectus faciebat XL.

vultus hominis, alieno dolore mœsti, & haud minus satagentis quam si periculum ipse vel adiisset, vel iamiam aditurus esset. quo factum est vt etiam cæsorum necessarii, qui alioqui cladis illius auctori videbantur implacabiles, molliti, mitiores se præstarent, irasque ponerent, vt mox apparuit. reus enim calculis omnibus absolutus est. atque ita euasit Seruilius. Paulo post Romani expeditionem susceperunt in Etruriam ductu Publii Valerii consulis. Rursus enim Veientes bellum mouerunt adscitis in eius societatē Sabinis; qui hactenus nō ausi se admiscere, nulla spe victoriæ, tunc post profligatum Menenium, communitumq; in propinquo vrbi monte præsidium, affectas rati Romanorum vires, & collapsos animos, iuuerunt Etruscos magnis copiis militum. Veientes itaq; & suis copiis & Sabinorum auxiliis freti, exspectantes etiam à ceteris Etruscis suppetias, in animo habebant cum maiori exercitus parte Romā ipsam petere; sperantes neminem sibi occursurum; sed se aut vi expugnaturos vrbem, aut fame ad deditionem coacturos. Sed dum cunctantur & auxilia opperiuntur, Valerius conatus eorum præuertit: qui assumpto copiarum domesticarum robore sociorumque auxiliis, quantum potuit latenter egressus est. sub vesperam enim traductis trās Tiberim militibus non longe ab vrbe cū copiis substitit. deinde medio noctis excitos ordines, prius quam illucesceret, admouit alteris hostium castris. bina enim erant, modico interuallo à se inuicem distantia; seorsum Etruscis, seorsum Sabinis tendentibus. Priores Sabinos aggressus est, dum plerique adhuc sopiti essent, ac ne excubiis quidem satis custoditi; vt qui in sociali agro nihil minus quam hostem timerent, de quo nullum nuntium acceperant. itaque primo impetu castra capta sunt. ibi alii iugulabantur in cubilibus, alii dum arma induunt, recens exciti; quidam armati quidem, sed passim nullo ordine repugnantes: maxima pars suis castris effusi, dum altera cursu petunt, ab equitibus intercepti perierunt.

XLI. Expeditio in Etruriam.

XLII. In hunc modum captis Sabinis castris, Valerius duxit ad altera, vbi Veientes locum non valde munitum occupauerant. hos non amplius latere potuit nam & dies clara iam erat, & Sabini elapsi è clade; similem illis imminere nuntiauerant. itaque vi aduersus hostem opus erat. ac dum

Etrusci pro castris alacerrime dimicant, acre oritur prœlium, & magna vtrimque strages editur; adeo vt diu dubitaretur vtro inclinaret victoria. tandem Etrusci à Romano equitatu impulsi, refugerunt in castra persequente consule. qui postquam ad munimenta peruenit, male munita, locoque (vt dixi) parum tuto posita, ea partibus aliquot aggressus, non modo per reliquum diei spatium magno labore oppugnationem persecutus est, sed ne in sequentem quidem noctem requieuit. Etrusci continuis ærumnis fessi, castra sub diluculum deserũt: quorum pars in vrbem fugit, pars per siluas proximas dispersa est. Vbi vero hæc quoque castra capta sunt, iussit reliquum diei quieti impẽdi: sequenti deinde, prędam, cuius magna in vtrisque castris reperta erat copia, victoribus diuisit, & eos quorum virtus in prœliis enituerat, ex more coronis militaribus decorauit. In his pręcipuus fuit, & in profligandis Veientibus spectatissimus, Seruilius superioris anni consul, nuper absolutus iudicio populi, tunc vero legatus Valerio additus: qui ob insignem istam fortitudinis operam, præmia quæ apud Romanos censentur maxima, primus reportauit. Deinde consul spoliatis hostium cadaueribus & suorum sepultis, productum exercitum instruxit ante Veiorum mœnia, vt inclusis pugnæ potestatem faceret. Cumque nemo ad pugnam prodiret, videns opidum tam munitum vi expugnari non posse, bonam agri partem populatus est ac mox in Sabinos milite traducto, ex illa quoque regione hactenus intacta prædis per aliquot dies actis, grauem iam nouis impedimentis reduxit exercitum. Venienti populus ad multum viæ coronatus occurrit, suffitum thuris transeunti faciens, & mulsi poculis militem excipiens: senatus triumphum ei decreuit.

Valerius de Veientibus & Sabinis triumphat.

XLIII.

Alter consul Caius Nautius, cui Latinorum Hernicorumque tutandorum prouincia sorte obuenerat, aliquamdiu profectionem distulit; nõ quod imparatus esset aut periculo deterritus, sed in Veientanum bellum intentus, vt si quid cladis accideret illi exercitui, præsto esset vrbi agroq; præsidium; si forte hostis, quemadmodũ ante, admotis ad vrbem copiis, cõmunire vellet *propinquũ* locũ aliquẽ, vnde omnia infesta faceret. Interim in Latio quoq; cũ Æquis & Volscis prospere debellatũ est; & nuntii retulerunt prœlio

Æqui & Volsci repressi.

victos hostes excessisse agro Latino, nec sociis in præsenti vllis amplius opus esse auxiliis. Nihilominus Nautius, rebus in Etruria prospere gestis, eduxit exercitum; ingressusque Volscorum regionem, fuga ex parte magna desertam, paucis mancipiis potitus & pecoribus, incẽsis aruis eorum tum segete fiauentibus, aliisque non paucis damnis peragros datis nemine obsistere auso, reduxit exercitum. Atque hæc gesta sunt ab his consulibus.

XLIV.
A.V.C. 280 conss. A. Mãlio, L. Furio, cum Veientibus debellatum.

Aulus Manlius inde & Lucius Furius fuere conss. quorum alteri cũ senatus bellum cõtra Veientes decreuisset, ductis de more sortibus, Manlio ea obuenit prouincia. Is celeriter eductis copiis, castra prope Veios posuit. Hostes inclusi mœnibus, aliquandiu obstiterunt, missisque ad Etruriæ populos & ad nouos socios Sabinos legatis, rogarunt vt citò auxilia mitterent. cumque nusquam impetrarent suppetias, absumptis commeatibus, fame vrgente prodierunt ad consulem natu maximi & honoratissimi, præferentes supplicum insignia & pacem petentes. Manlius imperato vnius anni stipendio, & cibariis quæ in duos menses exercitui sufficerent; pollicitus est, vbi hæc allata essent, missurum se Romam qui cum senatu de pacis legibus agerent. Illi acceptatis his *conditionibus*, & repræsentato incunctanter non tantum militum stipendio, sed ea etiam pecunia quam pro frumento dependere cõsul permiserat, Romam profecti sunt: admissique in senatum veniam præteritorum petierunt, pacemque in posterum. cumque multa in vtramque partem dicta essent, vicit tandem ea sententia quæ fœdus cum eis faciendum suadebat: & datæ sunt eis induciæ in annos quadraginta. Legati actis senatui gratiis, domum reuersi sunt: Manlio post reditum, ob confectum id bellum, ouatio, vt petierat, concessa est. Actus est etiam census his consulibus: ac ciues qui se cum opibus suis & filiis puberibus censendos obtulerunt, reperti sunt paulo plures centum & tribus milibus.

XLV.
A.V.C. 281 Olymp. 77. conss. L. Æmilio III. Vop. Iulio, turbæ domi.

Deinde Lucius Æmilius Mamercus tertium, & Vopiscus Iulius Consules fiunt, 77. Olympiade, qua in stadio vicit Dates Argiuus, Charete Athenis principe. Hi consulatum habuerunt inquietũ & valde laboriosum; cessantibus quidem externis bellis, & pacatis vndequaq; dissidiis; sed domesticis seditionibus tum ipsos tum rempublicam in extre-

in extremum discrimen adducentibus. nam vt requieuit à militia multitudo, statim flagitauit diuisionem agri publici, inopes instigante tribuno pleb. Cnæo Genucio. Is vir audax nec infacundus, crebris concionibus ad captandam tenuis plebeculæ gratiam abutens, extorquere conabatur à consulibus, vt quod senatus *iam dudum* de diuidundis agris decreuerat, *tandem* exsequerentur. Hi negabant ad se pertinere quod alieno consulatu decretum esset, & Cassii Virginiique successoribus demandatum; ad eos enim id senatusconsultum pertinere. nec senatus decreta perpetuæ legis vim habere; sed esse instituta vnius anni. Elusus hac consulum caussatione Genucius, quia non poterat illos, vt maiori potestate præditos, cogere, aliam audaciæ viam ingressus est. consularibus Manlio & Furio, qui superiore anno magistratum gesserant, diem ad populum dixit. accusationis caussam hanc diserte protulit, factam ab ipsis plebi iniuriam, quia non creassent decemuiros qui ex S C. agros diuiderent. Quod autem nullos è superioribus consulibus *hoc nomine* in iudicium vocaret, cum duodecim anni elapsi essent ex quo id S C. scriptum fuerit. sed hos tantum duos elusæ promissionis reos ageret, non iniquas caussas afferebat: postremo negabat aliter cogi posse ad diuisionem agrorum præsentes consules, nisi viderent ab aliis exactas pœnas neglecti officii, & idem sibi timendum intelligerent. Hæc locutus, cunctisque ad iudicium adesse iussis, per sacra iurauit, permansurum se in proposito, totisque viribus accusationem illam persecuturum: ac simul diem futuro iudicio dixit. At patricios hoc cognito pauor ingens & cura subiit, incertos quomodo reos possent eripere, audaciamque tribuni reprimere. iamque decreuerant, si quid *durius* plebs in consulares statueret, per vim ei resistere, vel si armis opus foret. Non tamen eo ventum est, quod subitum & inopinatum ea res sortiretur exitum, cum enim adhuc vna tantum vsque ad iudicium superesset dies, Genucius in lecto suo mortuus est inuentus, nullo cædis, strangulationis, veneficii, aut alius per insidias conciliatæ mortis vestigio. Quo cognito, & prolato in forum corpore, visum est omnibus diuinitus impeditum iudicium; moxque comitia soluta sunt. tantum enim aberat vt ceterorum tribunorum aliquis sedi-

XLVI.

tionem renouare auderet, vt etiam Genucii furorem damnarent. Quare si consules nihil satagentes amplius, seditionem diuinitus sopitam siuissent quiescere, nullum eis amplius fuisset periculum, nunc superbe ac contumeliose in plebem insurgentes, & magistratus sui potestatem ostendere volentes, magnorum malorum caussa fuerunt. nam ad delectum habendum progressi, siqui parere detrectarent, tum aliis mulctæ generibus, tum flagellatione adegerunt; atque ita effecerunt vt maior plebis pars in furorem verteretur, ex hac potissimum caussa.

XLVII. Plebeius quidam Publius Volero, bellica virtute clarus, qui superioribus expeditionibus ordines duxerat, tunc inter gregarios adscriptus, refragabatur, nec inferiorem locum capere volebat; quippe qui nihil in superiorib. expeditionibus cōmisisset, ob quod miles *gregarius* è duce fieri deberet. consules offensi eius libertate, misso lictore spoliari hominem & virgas expediri iusserunt. Ibi iuuenis tribunorum opem inuocabat, ac siquid deliquisset, caussam se apud populum dicturum aiebat: cumque consules nihil eius vociferatione mouerentur, sed abduci eum & cædi à lictore iuberent, vir ætate ferox & viribus, rem indignam ratus, ipse sibi tribunum præstitit, & lictorem qui primus in se tendebat, in faciem ingestis pugnis deiecit: itidemque mox alterum. consules indignati, vniuersos apparitores in eum concitat. Non tulerunt hoc plebeii qui aderant: sed ilico conglobati, clamoreque se inuicem cohortati, tum Voleronem eripiunt, tum lictores ictibus abigunt. denīq; in consules impetus factus est, qui ni è foro se proripuissent, perpetratum fuisset nefarium facinus. Hoc facto in diuersa studia scissa est tota ciuitas: & tribuni qui hactenus quieuerant, efferati inuehebantur in consules: nec iam de agrorum diuisione, sed de reipublicæ statu maior feruebat contentio. nam patricii cum consulibus indigne ferentes violari summam potestatē, eum qui apparitoribus manus inferre ausus esset, deposcebāt ad rupis *Tarpeiæ* supplicium. contra plebeii facto globo vociferabantur, seque inuicem cohortabantur ne libertatem suam proderent; sed re ad senatum delata consules accusarent, & animaduersionem aliquam in eos poscerent; quippe qui ciuem tribunorum opem implorantem & ad iudicium populi prouocantem, vtroq; illo iure priuas-

priuassent & ingenuum non aliter ac *vile* mancipium verberari iussissent. Ita neutris de contentione quidquam remittentibus, reliquum eius consulatus tempus totũ inglorium præteriit, nec domi nec foris gesta vlla re memorabili. Proximis comitiis Lucius Pinarius, Publius Furius creati sunt consules. Huius anni principio religionibus quibusdam territatus est populus, multis prodigiis apparentibus, & vatibus ac sacrorũ interpretibus Deorum ira hæc fieri pronuntiantibus, quod sacra quędam non rite nec pure peragerentur Nec ita multo post pestilentia inuasit mulieres quanta numquam antea, pręsertim grauidas. immaturos enim ac mortuos fœtus effundẽtes, & ipsæ cum partu moriebantur: & nec supplicationes ad puluinaria & aras Deorum habitę, nec expiationes publicis priuatisve sacris factæ, quidquam ad malorum pacationem conferebant. Hac calamitate sæuiente seruus quidam pontificibus indicat, vnam Vestalium virginum Vrbiniam virginitate amissa impure sacra pro populo facere. hi amotam à sacris & in iudicio conuictam virgis ceciderunt, traductamq; per vrbem viuam defoderunt. ex incesti vero patratoribus alter sibiipse manus intulit; alter à pontificibus comprehensus, in foro *sub furca* velut mancipium flagris cæsus ac necatus est. atq; ita *demum* pestilentia, quæ mulieres magno sexus interitu inuaserat, confestim desiit. At seditio iam inueterata, qua *scilicet* plebs à patriciis diffidebat, rursum exsuscitata est opera Publii Voleronis, qui superiore anno ab Æmilio & Iulio consulibus miles pro centurione scriptus, imperium eorum detrectarat; postea non ob aliam magis caussam, (quippe qui ulgaribus parentibus ortus, in magna etiam tenuitate atq; egestate educatus esset) sed eo potissimum nomine tribunus ab infima plebe creatus erat, quod primus omnium consularem potestatem regia dignitate præditam, ipse priuatus imperii detrectatione attenuasse visus esset: præsertim cum magistratum ambiens pollicitus esset ablaturum se potentiã à patriciis. Hic, cum primum licuit placata Deorũ ira tractare rempublicam aduocato in concionem populo legem tulit de tribunitiis comitiis, vt pro curiatis tributa fierent: quorum hæc est differentia. Curiata comitia tum demũ rata habebantur, si re prius in senatu agitata, populiq; calculo per curias

XLVIII. *A.V.C.282 conss. L. Pinario, P.Furio, prodigia & pestis insolita ob Vestalis virginis stuprum.*

XLIX. *Turbæ domesticæ recrudescunt.*

approbata, post ambo ista, diuina etiam signa atque auspicia assensissent. Tributa vero, etiamsi nec senatusconsultum præcessisset, nec sacra vel auspicia addixissent, vna die peragebantur à tribulibus. Habebat autem è ceteris quatuor collegis duos legis ferendæ socios; atque ita reliqui, qui dissentiebant, superabantur numero. At consules & senatus, totusque ordo patricius, legi quo minus

L. perferretur summa i resistebant: & postquam dies sanciendæ legi dictus venit, magna frequentia in forum prodierunt, variasque orationes habuerunt non modo consules & senatores ætate grandiores, sed etiam alii qui declarare vellent quantæ in ea lege essent absurditates Tribuni contra suis orationibus refellere conabantur consules; ac vicissim illi tribunos: protractoque in longum isto orationum conflictu, temporis angustia, appetente iam nocte, comitia illa soluit. Cumque tribuni rogationem legis iterum in trinundinum edixissent, ac maior quam ante turba ad comitia confluxisset, res non aliter quam prius magna contentione acta est. Id animaduertens Volero, apud se statuit posthac nec consulibus dissuasionem legis permittere, nec patriciis suffragia; sed in totum eos comitiis arcere. habebant enim illi sua sodalitia, & cateruatim cum clientelarum non exiguo numero multas fori partes occupabant, animos addendo legis dissuasoribus, defensoribus contra obstrependo, aliaque multa in decore faciebant, quæ præ se ferrent futuram in suffragiis confusionem & violentiam. Hæc eius consilia non tam ciuilia

LI. *Pestis atrox.* quam tyrannica præpediuit alia dira calamitas. Inuasit enim vrbem pestilentia, reliquam etiam Italiam peruagata, sed nusquam alibi quam Romæ infestior: in qua nec humana ope quidquam proficiebatur, sed æque interibant & quibus magna, & quibus nulla impendebatur cura; nec supplicationum sacrificiorumque, & (quod extremũ eiusmodi calamitatibus quæri solet remedium) lustrationum priuatarum publicarumve vlla erat vtilitas. Sæuiebat id malum nullo ætatis, sexus, roboris, imbecillitatisve discrimine; etiam contra medicamenta aliaque morbi leuamina contumax; non mulieribus parcens, non viris; non natu grandibus, non iuuenibus. Non tamen diuturnum erat, (quod *solum* in caussa fuit quo minus vniuersus deperiret

deperiret populus) sed torrentis in morem aut incendii, totis viribus homines adoriens, vt cito inuadebat, ita etiam celeriter abripiebat. Sedata hac peste Volero appetente sui magistratus exitu, quia legem perferre non poterat, proximis comitiis iterum tribunatum ambiit, multa & magna ciuibus *de se* pollicens. Ita denuo tribunus à plebe creatur, & cum eo duo *illi* ex collegis. His patres simili machinamento opposuerunt virum austerum, & plebi infestum, nec passurum vt optimatium regimen aliquid detrimenti pateretur, Appium Claudium Appii filium, eius qui plebi reducendæ plurimum aduersatus fuerat: quem Appium diu multumque refragantem, ac ne in campum quidem comitiorum gratia progredi volentem, nihilominus vt ante in senatu decreuerant, ita tunc suis suffragiis absentem crearunt consulem. Comitiis facile peractis (nã pauperes *confestim* è campo discesserunt audito Appii nomine) consulatum inierunt Titus Quintius Capitolinus, Appius Claudius Sabinus; ingenio simul & voluntate dissimiles. Nam Appio placebat externa militia distineri otiosam plebem & inopem, vt victum quotidianũ, quo *domi* careret, ex hostico suis sibi parans laboribus, reipublicæ commoda iuuaret, nec patribus in reipublicæ administratione molestias facesseret. non defuturam honestam belli occasionem populo, qui ad imperium aspirans, inuidiosus esset omnibus: & de futuro coniecturas faciendas ex præteritis, docens omnes superiores seditiones exortas bellis cessantibus. Quintio vero non placebat vllis inferri bellũ; sed dicebat, gratum esse debere, si ad bella necessario repellenda vocata plebs pareret: & cõmonstrabat fore vt si militiam detrectantibus vim adhiberent, adacta ad desperatam audaciam plebs, abiiceret magistratus reuerentiam, quemadmodum consularibus proximis. vnde geminum instare periculum. aut enim sanguine cædibusq; ciuilibus seditionem esse compescendam, aut plebem demerendam parum honestis obsequiis. Erat autem penes Quintium eius mensis imperium quamobrem necesse erat collegam nihil inuito illo facere. At Volero cum collegis suis nihil amplius cunctati, de lege quam superiore anno perferre non potuerant, iterum rogationem ferebant; addito legi, vt iisdem comitiis ædilium quoq; collegium sanciretur; &

LIII.

A.V.C. 283 conss. T. Quintio, Ap. Claudio turba domi.

quicquid p plebẽ agi decernive deberet, ageretur tributiis comitiis. quod nihil aliud erat, quã aperte à senatu in plebẽ transferre potentiam Hoc cognito consules cura subiit quomodò primo quoque tempore quam fieri posset tutissime motus iste seditioque tolleretur. Appius censebat vocandos ad arma qui saluam vellent rempublicam, & siqui armis se opponerent, eos habendos pro hostibus. Quintius rationibus persuadendam plebem aiebat, & docendam quàm perniciosis consiliis *præceps* raperetur per ignorantiam rerum salubrium : extremæ insaniæ esse dicens, ab inuitis ciuibus extorquere, quod impetrari possit à vo-
LIV. lentibus. In eam sententiam à frequenti senatu itum est: *confestimq*; in comitium progressi consules à tribunis petierunt copiam dicendi, & diem. ægre vtrumq; concessum est. Ea dies vbi venit, foro varia turba referto, quia factionis vtriusque magistratus subsidia sibi adsciuerant, dissuasores legis prodierunt in medium. Ibi Quintius, vir moderatus & populari facundia gratiosus; primus petita dicendi potestate, apposite admodum & plausibiliter concionatus est; adeo vt suasores legis prorsus hærerent, nihil valentes afferre vel iustius vel æquius. Ac si collega eius nihil tentasset amplius, populus considerata petitionum suarum iniquitate, legem abrogasset. Nunc illius orationis superba, & inopibus auditu molesta, factum est vt plebs exasperata, ad acriorem & peruicaciorem quam antehac contentionem accensa sit. non enim vt ingenuos ciues allocutus est, penes quos esset legis sanciendæ irritandæve arbitrium; sed velut apud inhonoros, exteros, nec certæ libertatis compotes, licentius agens, acerba & intolerabilia eis obiecit crimina, decoctionem exprobrans fraudatosque creditores, & defectionem à consulibus, quum raptis signis sacrosanctis, desertisque castris, in voluntarium abierunt exsilium; quodque arma, quæ se pro patriæ defensione sumpturos iurassent, in illam ipsam contra iusiurandum conuertissent proinde nil mirum, contemptores Deorum, periuros, ducum desertores, patriæ quantum in se sit desolatores, nec nisi ad fidem irritandam, leges euertendas, patriaq; instituta pessumdanda, in vrbem reuersos, nihil moderate agere, nec posse bonorum ciuium officium facere; sed semper obsequentes suis cupiditatibus
plus

plus æquo sibi vsurpare; nunc proprios sibi magistratus petendo, eosq; sacrosanctos & nemini obnoxios; nunc quoslibet è patriciis in capitis iudicium vocando, legitimaque iudicia, quibus de capitali pœna ciuium exsiliique mulcta maiores antehac decerni voluerint, à sincerissima ciuitatis tribu ad sordidissimam colluuiem transferendo; nunc ad extorris ac meritoriæ turbæ commoda, in nobilitatis iniuriam, leges ferendo tyrannicas & nefarias; ne cognitione quidem harum permissa patribus, sed hoc quoque honore illos priuando, quem semper ab vrbe condita habuerint tum sub regibus tum sub tyrannis. His aliisque multis huiusmodi probris in eos congestis, à nulla contumelia, nullo conuitio temperans, postremo in hæc verba desiit, quibus maxime plebs offensa est: numquã in ciuitate caussas quascumq; dissidiorum defore, sed semper aliis post alios morbis laboraturam, dum tribunitia potestas in ea sit mansura: ostendens omnium institutorum ciuilium consideranda initia, vt pia sint iustaque. Sic enim natura comparatum, vt è bonis seminibus boni felicesque proueniant fructus; & contra ex malis mali perniciosique. Si, inquit, hic magistratus in ciuitatem per concordiam, ad iuuanda totius reipublicæ commoda rite bonisque auibus inuectus esset, fuisset nobis multorum magnorumque bonorum caussa, concordiæ, bonarũ legum, bonæ de Diis spei, innumerorum aliorum. nunc quoniam per violentiam, iniquitatem, seditionem, belli ciuilis metum, aliaque humano generi abominanda inductus est, quid amplius bonæ salutarisve rei sperandum est postquam hæc sumpsit initia? Quapropter superuacaneum est auxilia remediave contra pullulantia inde mala quærere, quæcumque potest excogitare humana ratio, si mala ista radix diutius supersit. numquam enim non infestabimur diris, donec inuisa hæc furia & vomica inhærens ciuitati corrumpet suo tabo honesta omnia. Sed de his alias dicetur tempestiuius. nunc quoniam prouidendum est præsenti negotio, dicam quod sentio, nihil dissimulans: Neque hanc legem, neque vllam aliam de qua senatus non ante consultarit, patiar perferri me consule: sed tum dictis optimatium iura defendam, tum factis (si opus fuerit) non cedam aduersariis. Si ante nesciuistis quantam vim consulatus habeat, certe

LV.

LVI. discetis me consule. Sic Appius. Tum ad respondendum surrexit Caius Lectorius inter tribunos natu & dignitate maximus, vir bello spectatus, nec inidoneus tractandis ciuilibus negotiis. Hic altius rem repetens, multa pro plebe dixit: Hos vituperatos à consule inopes, multos variis ac difficilibus bellis labores exantlasse; non tantum sub regibus; quod necessitatis videri potuerit, sed etiam post exactos reges, in vindicanda patriæ libertate atque imperio propagando: nec tamen vllam retributionem accepisse à patriciis; ac non modo vllius communis boni fructum eis concessum, sed etiam velut bello captis mancipiis libertatem insuper ademptam, cuius recuperandæ desiderio coactos relinquere patriam, & alias sedes quærere, vbi homines ingenui, non paterentur seruiles contumelias: deinde nec vim factam senatui, nec bello acquisitum reditum: rogatos vt relicta reciperent, cessisse senatus precibus. Tum commemorauit iusiurandum & leges reditus: in quibus erat primum omnium offensarum obliuio; deinde proprius plebis magistratus, qui subueniret pauperibus, & oppressores eorum reprimeret. Post hæc protulit leges nuper à plebe latas, alteram, de iudiciorum translatione, vt scilicet plebi senatus potestatem fecerit iudicandi patricios quoslibet: alteram, de ferendis suffragiis; vt *idem senatus* non amplius penes centuriata, sed

LVII. penes curiata comitia, suffragia esse voluerit. Hæc pro plebe locutus, sermonem vertit ad Appium. Et postea, inquit, tu audes his conuitium facere, per quos magna ex parua, illustris ex obscura, hæc ciuitas est reddita. & seditiosos vocas alios, atque exsilium eis exprobras; quasi non omnes hi meminerint vbi maiores tui nostra ætate dissidentes à Sabinorum proceribus, relictis patriæ sedibus, supplices hic consederint. nisi forte vobis honestum est libertatis desiderio patriam antiquam reliquisse: Romanos vero idem fecisse non decet. Audes etiam vituperare tribunitiam potestatē, vt in vrbem inuectam malo reipublicæ & suades his tollere pauperum auxilium sacrosanctum, atq; immobile, magnisq; tum diuinitus tum humanitus stabilitum necessitatibus; inimice plebis, tyranno quam ciui similior? Nec sentis te tuis istis verbis & senatui conuitiari, & huic quem geris magistratui? nam totus

senatus

ſenatus in reges inſurrexit propter intolerabilem eorum ſuperbiam petulantiamque,& creatis cõſulibus priusquam illos vrbe pelleret, aliis regiam poteſtatem tradidit. itaque quod de tribunatu plebis dicis, malo reipublicæ in ciuitatem receptum, quoniam à diſſidio ſumpſerit initium, id dictum in conſulatum recidit. nam nec ipſe alia occaſione inuectus eſt, quam ex patriciorum defectione à regibus. Sed quid hæc tibi loquor, quaſi bono ac moderato ciui? quem omnes hi ſciunt durum, aſperum, atq; infeſtum plebi natum, nec vmquam potuiſſe depoſita naturæ feritate manſueſcere? quin potius omiſſis verbis manu te adorior, & reipſa tibi oſtendo te neſcire quantam vim plebs habeat, quam te non puduit ſordidam & ſine lare appellare, quantaque ſit huius magiſtratus poteſtas, cui te leges cogunt cedere Ergo & ipſe, poſita omni diſſimulatione, rem aggrediar. Hæc locutus, *per omnia ſacra*, quod *omnium* apud ipſos maximum eſt iuramentum, deierauit, aut perlaturum ſe legem, aut è vita exceſſurum.

Tum ſilentio facto, & omnibus in certamen intentis, quidnam incepturus eſſet, iubet Appium è concione excedere. Quo non parente, ſed ſtipante ſe lictoribus ceteraque turba quam in hoc paratam domo adduxerat, & repugnare malente quam comitio excedere, Lectorius indicto per præconem ſilentio pronuntiauit, collegium tribunorum iubere duci conſulem in carcerem. ac mox iuſſus apparitor acceſſit eum apprehenſurus: ſed à proximo lictore pulſatus & repulſus eſt. Ad quod factum clamore ex indignatione circumſtantium coorto, vadit ipſe Lectorius, cohortatus vulgum vt adeſſet auxilio. cui ſe Appius cum magna & valida iuuenum caterua, quam circa ſe habebat, opponit. Ibi coortæ ſunt indecoræ altercationes vociferationesque & protruſiones: poſtremo rixa prorupit ad pugnos, atque inde ad iactus lapidum. *Efferueſcens* malum ne vlterius procederet, effecit alter conſul Quintius, rogando omnes obſecrandoque vna cum ſenioribus ſenatoribus, & in medium conflictum ſe intrudendo. & iam parum diei ſupererat, ita vt vel inuiti dirimerentur. Inſecutis diebus magiſtratus accuſabant ſe inuicem: conſul tribunos, quod magiſtratum ſuum conuellere conati eſſent, iubentes conſulem abduci in carcerem: tribuni rurſus conſulem, quod pla- LVIII.

gas ingessisset iis quorum corpora lex sacra & sancta esse iubet. & præferebat Lectorius manifestas ictuum notas in facie: totaque ciuitas dissidiis efferata est. Plebs cum tribunis occupauit Capitolium, diurnis nocturnisque id seruans excubiis. Senatus in curiam collectus, magna cura quærebat modum quo sedaretur seditio, sollicitus tum propter periculi magnitudinem, tum propter dissensionem consulum. nam Quintius concedenda plebi æqua postulata censebat; Appius emori malebat quam cedere.

LIX. Cumque nullus *contentionum* finis fieret, Quintius seorsum tribunos allocutus, seorsum Appium, orabat obsecrabatque, vt publica commoda plus quam priuatos affectus apud se valere sinerent. & animaduertens illos iam mitiores factos, collegam vero in sua manere peruicacia, persuasit Lectorio & collegis, vt omnium istarum criminationum, tum publicarum tum priuatarum, senatum facerent arbitrum. Quo impetrato, senatum conuocauit; & prolixè laudatis tribunis, collegam quoque obsecrauit ne publicæ saluti obsisteret: moxque consulares rogauit sententiam. Inter quos Publius Valerius Poplicola primus sententiam rogatus dicit: Quæ inuicem se criminentur tribuni & consul, mutuasque iniurias per tumultum factas, quia non dolo malo nec priuatæ rei caussa eo ventum sit, sed per contentionem de republica, remitti debere mutuum, nec vocari in iudicium. Quod vero ad legem attineat, quoniam Appius consul pati nolit vllam legem inconsulto senatu pro concione ferri, referri de ea ad senatum. Ceterum tribunos vna cum consulibus operam dare vt concors sit ciuitas, & decorum seruet dum de lege ferentur suffragia. Probata omnibus hac sententia, Quintius confestim de lege ad senatum retulit: & post longam dissuasionem Appii, tribunorumque suasiones, multis calculis vicit ea senatus pars quæ rogationem permittebat; factoque S. C. diremptisque priuatis magistratuum contentionibus, plebs æquis animis amplexa quod senatus concesserat, legem suffragio suo comprobauit. Ex illo tempore vsque ad nostram ætatem comitia creandorum tribunorum atque ædilium absque auspiciis ceteraque religione, peraguntur tribuum suffragio. atque is finis eius seditionis fuit.

Lex de tributis comitiis.

Paulo

Paulo post placuit exercitus conscribi, & vtrumque consulem contra Æquos ac Volscos proficisci. nuntiabatur enim vtriusque gentis magnas copias populari agros sociorum. Comparatis celeriter exercitibus, Quintius Æquos, Appius Volscos, prouinciam sortitus est. Vtrique consuli negotium successit vt succedere par fuit. Exercitus Quintii, lenitatis eius & æquitatis amore, prompte iussa capessebat, pleraque munia & pericula sponte subiens, quo duci suo honorem pararet & gloriam: magnamque hostici agri partem prædabundus peruagatus est, Æquis obuiam prodire non audentibus; vnde copiosa præda magnisque commodis potitus est: nec multo post incolumis in vrbem rediit cum duce rebus egregie gestis conspicuo. Qui vero Appii ductu profecti sunt, odio ducis, multas patriæ disciplinæ partes neglexerunt. nam vt toto eius militiæ tempore data opera rem male gesserunt, ducemque contempserunt, ita in aciem contra Volscos producti, noluerunt cum hoste congredi; sed & ordinum ductores & antesignani, hi abiectis signis, illi desertis ordinibus in castra se proripuerunt: & nisi hostes inopinatam fugam mirati, insidiasque veriti, abstinuissent à persequendo, perisset maior Romani exercitus pars. Id autem faciebant præ inuidia, ne consul re bene gesta triumpho aliisque ornaretur honoribus. Sequenti die cum ille increparet ignominiosam fugam, hortareturque ad abolendam strenuo prœlio istam ignominiam, ac nisi fortiter resisterent, minaretur pœnas statutas legibus, pergebant detrectare, vociferantes, abduceret se ex infestis terris saucios, & ob id ad pugnam inutiles. multi enim integras corporis partes quasi vulnerati obligauerant. itaque Appius coactus est exercitum ex hostico deducere: & Volsci extremum agmen carpentes, non paucos interemerunt. Vt vero in pacatum ventum est, consul pro concione militibus exprobrata ignauia, ait se vt in desertores animaduersurum: multumque deprecantibus senioribus & honoratis, ne publicæ cladi aliam nouam calamitatem adderet, spretis illorum intercessionibus pœnas ratas esse iussit. ac mox & ordinum ductores quorum manipuli fugerant, & antesignani qui signa amiserant, partim securi percussi sunt, partim occisi fusti-

LX.

bus. è reliqua multitudine decimus quiſque, vt quemque ſors popoſcit, pro ceteris neci datus eſt: quæ pœna ſolennis apud Romanos eſt eorum qui ordines deſeruerunt, ſignave amiſerunt. Poſt hæc exoſus dux cum reliqua exercitus parte, mæſta illa & ignominioſa, comitiis appetentibus, in vrbem rediit.

LXI. *A.V.C.284. conſſ. L. Valerio II. & Ti. Æmilio, agitata res agraria.*

Sequenti anno conſulatum inierunt Lucius Valerius iterum, & Tiberius Æmilius. nec diu ceſſauerunt tribuni; ſed rurſus de diuidundis agris mentionem fecerunt; aditisque conſulibus poſtularunt ratum haberi quod ſenatus plebi promiſiſſet conſulatu Spurii Caſſii & Proculi Virginii; afferentes preces & obſecrationes maximas. & habuerunt fauentem vtrumque conſulem; Tiberium Æmilium, propter offenſam veterem non omnino iniuſtam, quia patri eius triumphum petenti ſenatus negauerat: Valerium autem, demereri plebem cupiebat, infenſam ſibi propter mortem Spurii Caſſii, quem ipſe quæſtor tyrannidis affectatæ *conuictum ac damnatum* affecerat ſupplicio, hominem illa ætate rebus domi foriſque geſtis clariſſimum, qui & primus mentionem agrariæ legis in ciuitatem intulerat; eo nomine potiſſimum exoſus patriciis quaſi plebem ad ſe allectans. Igitur pollicitis conſulibus relaturos ſe de diuiſione publici agri ad ſenatum, & confirmationem legis adiuturos freti his pollicitis tribuni venerunt in ſenatum, & verbis vſi ſunt moderatis. quibus nihil contradicentes conſules, ne viderentur contentionem quærere, ſeniores rogauerunt ſententiam.

LXII. Primus autem rogatus eſt Lucius Æmilius pater alterius conſulum; qui dixit, ſibi è republica videri, ſi bona publica poſſiderentur ab omnibus potius quam à paucis: gratificandumque oranti plebi, vt ea conceſſio imputaretur pro beneficio. ſæpe enim coactos ei conceſſiſſe quod ſponte largiri noluerint. tum occupatores earum poſſeſſionum, qui tanto tempore clam fructus inde perceperint, gratias habere debere pro tamdiu diſſimulato negotio: & ſi vetarentur in poſterum, non debere eſſe pertinaces. Addebat, præter ius receptum conſenſu gentium, quo publica, habentur omnium communia; priuatæ vero poſſeſſiones, eorum cenſentur propriæ, qui legitimè illas ſibi pepererunt, neceſſitatem etiam incumbere ſenatui, quod de agro diuidēdo S. C. factum ſit ante annos ſeptemdecim

decim

decim. ostendebatque id tunc decretum fuisse in vtilitatem publicam, ne ager incultus iaceret, neve vrbani pauperes nihil negotii habẽtes, vt nũc, alienis bonis inuiderent; vtq; iuuentus educaretur in domesticis patrimoniis, & honeste educata tanto fieret animosior. nã eos qui nihil rei familiaris habeãt, quiq; ex alienis fundis quos mercede colũt, macre viuãt, aut nullos omnino liberos sibi cupere, aut si procreandæ sobolis studium eos subeat, parum felices fructus prouenire coniugii, nimirũ humiles & mendicitati proximos. Ergo, inquit, pro sententia dico, S.C. cuius exsecutio propter secuta turbulenta tẽpora dilata est, confirmandum à consulibus creandosque *decem* uiros qui agros diuidant.

Post hunc Appius Claudius superioris anni consul rogatus, contrariam dixit sententiam, docens numquam senatus voluntatem fuisse vt diuiderentur publica: (nam si voluisset, iamdudum id fecisse) sed deliberandum id distulisse in tempus aliud, quo facilius sopiretur seditio quam tum excitarat consul affectans tyrannidem. quo meritis pœnis affecto, nec primos post id S.C. consules negotio finem imposuisse, cernentes quantis malis aditus in ciuitatem aperiretur, si reciperetur mos publica diuidendi pauperibus, neque per *continuos* deinceps quindecim consulatus vllum consulem, licet plebe sæpius periculose tumultuante, sustinuisse quidquam facere contra bonum publicum, quippe quibus non licuerit decemuiros diuidendis agris ex S.C. creare, sed solis primis, quorum consulatu id factum sit. Ergo, inquit, ne vobis quidem Valeri, tuque Æmili, de diuidendis agris referre licet, quod à senatu vobis mãdatum non est, nec recte facitis aut ex institutis maiorum vestrorum honestissimorũ, atque adeo nec sine periculo. Hæc de S.C. quo tot annis post consules facti non tenemini, dixisse sufficiat. De illis porro qui vel per vim vel clam sibi vsurpant publica, paucis dicam. Siquis compertum habet aliquem frui agris quorum se legitimum possessorem probare nequeat, deferat eum ad consules iudicandum iuxta leges, quas nihil opus est recentes condere: iamdudum enim scriptæ sunt, nec adhuc antiquatæ. Quoniam autem & de vtilitate disseruit Æmilius, asseuerans eam diuisionem bono fore omnibus, ne hanc quidem partem inconfutatam relinquam. Videtur enim mihi præsen- LXIII.

tem tantummodo rerum statum spectare; at in futurum nequaquam prospicere: nam vt paruum videatur quod adhuc de publico concedi potest segni inopum turbæ, erit tamen idipsum multorum & magnorum malorum caussa. mos enim qui hoc facto introducitur, permanebit in vrbe, grauis ac perniciosus in perpetuum. Potiri enim malis cupiditatibus, tantum abest vt ex animo eas eximat, vt potius eas augeat atque improbiores efficiat Id facile ex ipsorummet factis colligere potestis. nec opus est vt vel ex meis,

LXIIII. vel ex Æmilii verbis dependeatis. Nostis ipsi quot & quantos hostes vicerimus, quantum agrorum populati simus, quantum prædæ ex oppidis expugnatis partum sit, magno hostium dispendio, qui olim beati, nunc ad magnā egestatem redacti sunt. Ab his commodis nemo istos repulit; sed qui *nunc* de inopia queruntur, ex æquo fuerunt huiusmodi lucrorum participes. num igitur ex his lucris aliquid accessit eorum fortunæ pristinæ, aut ideo in re lautiore sunt? Vellem sane, atque à Diis optarem; vt minus molestos cohabitatores haberemus. at nunc videtis & auditis eos queri de extrema inopia. Itaque etiamsi hæc quæ nunc petunt impetrauerint, atque ampliora etiam, nihilo tamen magis fortunas suas instaurabunt. non enim in fortunis eorum egestas inest, sed in moribus; quos ne regum quidem & tyrannorum omnium exsatiauerit munificētia, nedum exigua hæc prædia quibus si hæc concesserimus, idem faciemus quod medici qui ægrotis pro libito morem gerunt. non enim ægra pars ciuitatis sanabitur, sed sana inficietur contagio. In vniuersum P. C magna vobis cura opus est & diligentia, vt quanto potestis studio, corruptos ciuitatis mores in integrum restituatis. Videtis quo processerit plebis immodestia, vtque consulibus parere nolint amplius: quam adeo non pœnitet domesticorum facinorum, vt in castris quoque agatur eisdem intemperiis, arma proiiciens, ordines deserens, signa prodens hostibus, ante congressum ignominiose fugiens; quasi mihi tantum hac ratione adimeretur victoriæ gloria, ac non simul patriæ de hostium clade lætitia. Nam Volsci nunc de Romanis trophæa statuunt, & templa illorum nostris ornantur spoliis, iactantq; se vt nūquam ante illi populi, paulo prius ducibus nostris supplices ne occidione perirēt aut venirēt sub hasta.

Hiscine

Hiſcine factis æquum aut honeſtum eſt vos referre gratiam? hæccine remunerari diuiſione agri publici? quem hoſtis iam, quantum in ipſis eſt, obtinet. Sed quid opus eſt hos accuſare; qui male nati, male educati, paruam honeſtatis rationem habent: cum videamus maiorum inſtituta ne in noſtris quidem manere moribus? Grauitas enim, à quibuſdam ſuperbia vocitatur; iuſtitia, fatuitas; fortitudo, inſania; temperantia, & modeſtia, ſtoliditas. contra, quæ apud priſcos illos odioſa erant, hæc efferuntur & in admiratione ſunt hoc corrupto ſeculo; ignauia *ſcilicet*, ſcurrilitas, malitia, verſutia, animus ad quæuis temerarius, & mens ad optima quæque deſerenda flexilis; quæ multas iam reſpublicas quantumuis potentes, funditus euertêre. Hæc P.C. ſiue auditu iucunda vobis ſint ſiue moleſta, certe vere dicta ſunt & libere; ac vobis quidem, ſi perſuaſi morem geſſeritis, tum in pręſens vtilia erunt, tum etiam tuta in poſterum: mihi vero, qui publicorum commodorum ſtudio priuatas inimicitias ſuſcipio, allatura non mediocria pericula. Scio enim ratione futura præſagire; & quid mihi accidere poſſit, exemplum ex aliis ſumo. In hanc Appii ſententiam ceteris ferme omnibus diſcedentibus, ſenatus dimiſſus eſt. LXV.

Tribuni repulſam iſtam paſſi, iratis abierunt animis, atque extemplo de Appio vlciſcendo cogitarunt. itaque poſt longam conſultationem placuit eis diem Appio dicere, lite æſtimata capite; idque mox pro concione fecerunt, hortati omnes vt ad eam diem adeſſent ad ſuffragia. Crimina erant hæc: Malas eum contra plebem ſententias dicere; ſeditionem in ciuitatem induxiſſe; violentas manus contra leges ſacroſancto tribuni corpori inieciſſe; exercitui præfectum, cum magna clade atque ignominia reuerſum eſſe. His ei pro concione obiectis, dieque dicta qua id iudicium perageretur, denuntiauerunt vt ad cauſſam dicendam ſe tunc ſiſteret. Id cum omnes patricii ferrent ægerrime, nihilque ſibi ad ſummam ſollicitudinem reliquum facerent quo reum ſeruarent, Appiumque hortarentur vt tempori cedens habitum præſenti fortunæ conuenientem ſumeret: negauit ſe quidquam facturum quod animo generoſo & ſuperioribus ſuis actionibus indignum eſſet; addens ſe millies emori malle, quam alicuius genua tangere. eos quoque qui pro ipſo depre- LXVI.

cari parabant, vetuit; dicens, duplicatum sibi fore dedecus, si alios pro se facientes videret, quæ ipse sibi parum decora putaret. Hæc aliaque multa similia dictitans, nec vestimento nec vultu mutato, nec quidquam remittens de magnanimitate pristina, vt vidit totam ciuitatem eius certaminis exspectatione arrectam, paucis ante iudicium diebus mortem sibi consciuit, eius tamen necessarii morbo exstinctum finxerunt. Prolato deinde in forum corpore, filius eius à tribunis & consulibus petiit, vt, quod instituto maiorum in præstantium virorum funere soleret fieri, sibi quoque concionem de more cogerent, & funebrem super patre orationem habere permitterent. Tribuni vero, dum populus adhuc vocaretur à consulibus, obstiterunt, ac denuntiarunt adolescenti vt cadauer è foro tolleret. Non tulit hoc populus, nec dissimulauit hanc iniuriam, vt inhonoratum corpus eiiceretur; sed permisit adolescentem patri *extremum & moribus receptum honorem persoluere* atque hic finis fuit Appii.

App. Claudius moritur.

LXVII. *Bellum cum Æquis & Sabinis.*

Ceterum consules conscriptas copias eduxerunt ex vrbe, Lucius Valerius contra Æquos, Tiberius Æmilius cōtra Sabinos, nam hi seditionis tempore in agrum Romanum irruptione facta, eiusque magna parte vastata, multum prædæ abegerant. Æqui aliquoties cum hoste congressi, multis vulneribus in castra firmo loco sita compulsi, non amplius prodibant ad pugnam. Ibi Valerius oppugnationem eorum aggressus, prohibitus est diuinitus. iam enim progresso, & rem inceptanti, caligo superne cum imbre magno incubuit, simulque fulgura & aspera tonitrua. exercitu vero tempestate disperso, confestim & tempestas ipsa conquieuit, & magna serenitas rediit. Hac religione vatumque monitis deterritus consul, omissa oppugnatione ad vastandos eorum agros versus est, concessaque militi tota præda, reduxit domum copias. Tiberium Æmilium contemptim per hosticum aliquamdiu vagatum, & iam nihil hostile timentem amplius, Sabini aggressi sunt: collatisque signis pugnatum est ferme à meridie vsque ad occasum solis, nocte ingruente, ad sua vtrique castra sese recepere, incerta victoria. Sequentibus diebus vtrique suos funerauerunt, & vallum fossa communiuerunt: contentique sua tueri, neutri lacessere volebant alteros: tandem tamen solutis tentoriis abierunt.

Sequenti

LXVIII. A.V.C.285 olymp. 78. conss. A. Virginio, T. Numicio, bellum cum Volscis, Æquis, Sabinis

Sequenti anno septuagesima octaua Olympiade, qua in stadio vicit Parmenides Pæstanus, Athenis annuum imperium gerente Theagenide, consules Romæ creati, Aulus Virginius Cælimontanus, Titus Numicius Priscus. quorum consulatus initio nuntiatum est Volscos aduentare cum magno exercitu: nec multo post vnum è circumfusis vrbi *castellis* Romanis, captum atque incēsum est. quod cum ab vrbe non longe abesset, fumus cladis nuntiū Romam pertulit. Ibi consules, quod nox adhuc esset, missis speculatum equitibus, & dispositis per mœnia custodiis, ipsi ante portas stationem habebant cum expeditissimo quoque, exspectantes quid renuntiarent equites. Simulatque vero dies illuxit, & coierunt vrbanæ copiæ, in hostes properarunt. at illi direpto incensoque castello, celeriter se inde proripuerant. consules exstinctis incēdii reliquiis, & relicto ibi præsidio, in vrbem reuersi sunt. Post aliquot dies ambo consules cum domesticis & auxiliaribus copiis profecti sunt; Virginius in Æquos, in Volscos Numicius; felici vterque successu. nam Virginium Æqui agros suos *impune* vastare passi sunt, non ausi congredi: semel tantum lectorū virorum manum collocauerunt in silua quadam, quæ hostes palantes aggrederetur ex insidiis. sed is conatus fuit irritus, quia mature dolum senserunt Romani acri pugna cōmissa multos ex suis Æqui desiderauerunt; nec amplius voluerunt martem experiri.

LXIX.

Numicio quoque ducenti exercitum ad Antium, quod tunc inter primarias Volscorum vrbes erat, nullus exercitus se opposuit; sed singuli populi defensabant se mœnibus. interea & ager eorum magna ex parte vastatus est excisis *arbustis*, & oppidulum quoddam maritimū captum, quod *Antiatibus* erat nauale simul & forum rerum ad victum pertinentium, quæ vel negotiationibus maritimis vel latrociniis subuectæ, plurimum illis emolumenti importabant. *Hoc direpto* mancipia, pecuniæ, pecora, merces, permissu consulis in prædam cesserunt militi: libera corpora, quæ cladi superfuerant, sub hasta sunt venumdata. captæ sunt etiam vigintiduæ longæ naues Antiatium, & alia nauium armamenta instrumentaque. Post hæc consulis iussu incensæ sunt ædes, diruta nauium receptacula, æquata solo mœnia; ne castellum relictum Antiatibus in posterum esset

vsq;, atque hæc seorsum vterque consul gessit. Post hæc cōiunctis duobus exercitibus fines Sabinorum ingressi, agrosque depopulati, sub finem anni reduxerunt domum copias.

LXX. Tito Quintio Capitolino, Quinto Seruilio Prisco cōsulibus, statim initio anni fuit in armis Roman⁹ exercitus; & vltro accesserunt etiam sociales copiæ, antequam eis denuntiaretur expeditio. moxque consules votis *in Capitolio* factis, lustratoque exercitu, contra hostes profecti sunt. Sabini, quæ Seruilii prouincia fuit, adeo non pugnauerunt, vt ne exercitum quidem producerent; sed intra munimenta se continentes, sufferebant agrorum *vastationem*, *arbustorum* excisionem, villarum incendia, seruitiorum transfugia; vt Romani minimo negotio præter ingentem prædam, insigni etiam gloria adaucti, domum repeterent. atq; hūc habuit exitum Seruilii expeditio. At Quintius cū suis contra Volscos Æquosque profectus, qui coniunctis copiis ad Antiū consederant, citatiore gradu iter emēsus, *opinione citius* eis superuenit: nec longe ab eorum castris vbi primum & visus est ab hoste, & hostem ipse vidit, loco depresso impedimenta deposuit, ne hostem numero longe superiorem metuere videretur. Vtrimque deinde ad pugnam parati, processerunt in aciem; congressique dubio marte certauerunt vsque ad meridiem, laborantibus continue submittentes subsidia: qua parte potior erat Volscorum Æquorumque conditio. nam copiarum multitudine longe præpollebant: Romani vero parem alacritati numerum non habebant.

A.V.C. 286 cōss. I. *Quintio* II. *Q. Seruilio*, *bellum cum Sabinis, Æquis, Volscis.*

LXXI. Ibi Quintius videns multos suorum cecidisse, ex superstitibus plurimos vulneratos esse, cogitabat receptui signum dare: sed veritus ne opinione fugæ hostibus animos adderet, aleam persequi statuit; assumptisque fortissimis equitum, dextro suorū cornui, qua maxime laborabatur, succurrit: & nunc ducum ignauiam increpans, nunc anteacta prœlia in memoriā eis reuocans, nunc periculum & *ignominiam* quæ fugientibus exspectanda esset memorās, ad vltimum opportunissimo figmento rem labantem sustinuit; quo & suis audaciam, & hosti pauorem attulit. dixit enim alterum cornu pulsis hostibus, iam castris illorum esse proximum. His dictis impressionem in hostes facit; &

desen-

descendens ex equo, cum lectissima equitum manu, qua se stipauerat, statariam capessit pugnam. quo viso, militē iam aliquamdiu laborantem *subita* incessit audacia; atque vniuersi, quasi alii essent facti, *tanta vi in hostem* irruunt, vt Volsci, qui erant in aduerso cornu, licet diu acerrime restitissent, *tandem in fugam* inclinarent. Quibus profligatis, Quintius rursum conscenso equo in alterum cornu aduolans ostendebat fugatam partem hostium, cohortabaturq; ne virtute cederent alteris. quo facto, cessit tota hostium acies, effusa fuga castra sua repetens. nec tamen diu Romanus institit; sed statim *signo receptui dato* pedem retulit, quod nec viribus iam nec armis esset integris. Interiectis deinde aliquot dierum induciis, qui sepeliendis cęsis curandisque fractis impensi sunt, comparatis quæ ad bellum *instaurandum* deerant, denuo concertatum est pro castris Romanis. nam Æquorum & Volscorum copiis aucti supplemento misso à circumuicinis oppidis, dux eorum fretus suis copiis, quintuplo quam hostiles maioribus, vidensque Romana castra parum munito loco sita, commodissimum oppugnandi tempus adesse putauit. quod vt *semel* apud se statuit, eductis circa mediam noctem militibus, Romanos circumdedit, ne clam è castris discederent. Gratum hoc fuit Quintio, cui non ignota erat multitudo hostium: exspectataque hora diei ferme tertia, vigiliis velitationibusque fessos animaduertens non centuriatim nec instructis ordinibus accedere, sed cōfuse ac sparsim, aperta porta erupit cum lectissimis equitum, sequentibus denso agmine peditibus. At Volsci territi hac audacia furiosoque incursu, breui à castris repulsi sunt. Non longe inde aberat leniter accliuis tumulus: in eū cursu se receperunt, vt interquiescerent, moxque instaurarent aciem. Sed non licuit eis se recolligere, nec ordines instaurare; quod hostes in vestigiis hęrerent, constipato quantum fieri poterat agmine, ne impellerentur per decliuia certatumque est acriter ad multū diei, multis vtrimque cadentibus. LXXII.

Volscis & numero & loco superioribus neutrū horum cōmodorum profuit, Romana virtute peruadente omnia; depulsiq; tumulo, & ad castra refugientes, *in medio* pleriq; occisi sunt. semper enim Romanus tergo hærebat nec prius destitit quam castris vi potiretur. itaq; captiuis corporibus, LXXIII.

equis, armis, pecuniis permultis, & ceteris quæ relicta in castris erant, in suam potestatem redactis, eam noctem in captis castris exegerunt. Sequenti die paratis rebus ad oppugnationem necessariis, consul in Antiatem agrum mouit, trigesimo inde distantem stadio. Inerat Antio tunc Æquorum auxiliariorum præsidium, qui mœnia seruabāt. hi Romanorum audacia territi, cogitabant inde profugere. sed re Antiatibus cognita, vetiti abire, consultauerunt de vrbe Romanis, si venirent, tradenda. hoc *quoque* consilium indicio compertum à ciuibus, effecit vt temporis iniquitati cederent. communicato igitur cum præsidiariis consilio, Quintio se dediderunt, his conditionibus; vt Æqui fide consulis accepta decederent; Antiates præsidio Romano in vrbem suam recepto, imperata facerent. Sic potitus Antio consul, accepto stipendio ceterisque quibus opus habebat exercitus, relictoque ibi præsidio, reduxit militem; quo nomine à senatu obuiam egresso comiter exceptus est & triumphali pompa honoratus.

LXXIV. *A.V.C. 287 conss. Tib. Æmilio II. & Q. Fabio, ager plebi diuisus, Sabini populati; Æqui in amicitiam & fœdus recepti.*

Anno deinde insequenti Tiberius Æmilius iterum, & Quintus Fabius conss. fiunt. hic Fabius erat vnius trium fratrum filius, qui præsidio Cremeram misso duces præfuerant, & cum clientelis suis ibidem occubuerant. Horum consulatu tribunis rursum plebeios ad petendam agrorum diuisionem concitantibus, & adiuuante illos Æmilio consule, senatus demereri ac subleuare inopes cupiens, decreuit eis diuidi agri de *Volscis & Antiatib⁹* superiore anno capti partem aliquā. Triumuiri agro dando creati sunt, Titus Quintius Capitolinus, (cui se Antiates dediderant) Lucius Furius, & Aulus Virginius. Ea agri assignatio non grata erat omnibus in Romana plebe inopibus, vt qui ablegarentur à patria. cumque pauci darent nomina, vt iustus expleretur numerus, Latinis & Hernicis senatus consulto permissum est, vt qui vellent, ei se coloniæ socios adderent. his triumuiri agrum deuiserunt, parte quadam eius relicta Antiatibus. Interea consul vterque profectus est cum exercitu; Æmilius in Sabinos, in Æquos Fabius. Æmilius diu moratus in hostico, neminē inuenit qui obsisteret: sed impune peruastato agro, cum appeteret comitiorum tempus, exercitum reduxit. Ad Fabium vero Æqui, prius quam deletis copiis aut captis mœniis necessitas cogeret, præcone

ad

ad pacem atque amicitiam impetrandam miserunt. Consul imperatis duorum mensium cibariis, binis in singulos milites tunicis, stipendio sex mensium, & siquid opus haberet præterea, inducias eis dedit donec Romam profecti conditiones à senatu acciperent. Patres ad Fabium legatos gentis remiserunt, permisso ipsi conditionum arbitrio. Ita intercessu consulis fœdus his legibus inter Æquos & populum Romanum factum est: Æquorum populi saluis suis oppidis & agris, Romanorum subditi sunto; Romanis nihil mittunto, præter auxilia quoties accita fuerint; eaque sumptu proprio. Icto fœdere Fabius reduxit exercitum, & vna cum collega magistratus in annum sequentem designauit.

Designati vero ab eis sunt Spurius Postumius Albinus, & Quintus Seruilius Priscus iterum, consules. Horum cōsulatu Æqui recens acceptam pacem sibiipsi fecerunt irritam, ex caussa huiuscemodi. Antiates qui vrbana & rustica prædia habebant, manserunt in eis, colentes non modo sibi relictos, sed etiam nouis colonis assignatos agros, pro locatione pendentes certam partem fructuum. ceteri qui nihil tale habebant, patria relicta excepti libenter ab Æquis, eruptione inde facta, Latinorum agros infestabant latrociniis. his se postea ex Æquorum gente audacissimi atque indigentissimi quique prædationis addiderunt socios. Super hac re Latinorum legatis apud senatum querentibus, & aut exercitum ad se mitti, aut arma sibi aduersus belli auctores permitti postulantibus, patres re cognita necipsi exercitum mittere decreuerunt, nec Latinis copias educere permiserunt: sed tribus legatis electis, quorū princeps erat Quintus Fabius, qui pacem cum gente pepigerat, mandauerunt eis scitari a gentis proceribus, vtrū communi consilio latrocinia emitterentur in sociorum & Romanorum agrum: (nam huius quoque partem incursauerant exsules) an nihil horum fieret culpa reipublicæ: ac si priuata ea esse facinora, nec quidquam reipublicæ permissu factum esse respōderent, res repetere, noxiosque ad supplicium deposcere. Æqui auditis legatis, oblique responderunt, negantes latrocinium fuisse publicum, nec tamen volentes eius auctores dedere; quippe qui amissa patria vagi, sedem in suis campis supplices posuissent. Tum Fabius in-

LXXV. A.V.C. 288 conss. Sp. Postumio, Q. Seruilio II. fœdus ab Æquis violatum, & dedicata ædes Dii Fidii.

dignans & fidem fœderum inuocans, vt vidit Æquos simulate agere, tempusque ad deliberandum petere, & hospitii prætextu se detinere, mansit aliquamdiu; vt interim quales ciuitatis res essent perspiceret. Ibi permeatis visendi prætextu locis tum sacris tum publicis, vt per bellicorũ instrumentorum officinas vidit arma quædam iam perfecta esse, quædam adhuc esse in manibus, *facile* mentem eorum intellexit.

LXXVI. In vrbem deinde reuersus, renuntiauit senatui quæ audisset & vidisset. qui nihil amplius cunctatus, fetiales decreuit eo mittere, qui bellum Æquis denuntiarent nisi exsules Antiatum expellerent, & res per iniuriam ademptas pollicerentur reddere. Æqui satis audenter responderunt, nec inuitos se bellum accipere dixerunt. non licuit tamen Romanis exercitum eo anno contra illos mittere, siue auspiciis vetantibus, siue quod magna parte anni populus laboraret morbis variis. tantum præsidio sociorum alter consul Quintus Seruilius eduxit manum modicam; cum qua in Latinorum finibus statiua habuit. In vrbe ædem Dii Fidii collega eius Spurius Postumius dedicauit nonis Iuniis in colle Martiali exstructam ab vltimo regum Tarquinio, non tamen solenni dedicationis ritu ab eo consecratam. sed tum demum ex S C data est eius inscriptio Postumio. Aliud nihil memorabile his conss. gestum est.

LXXVII. *A.V.C. 289 olymp. 79. coss. T. Quintio III. & Q. Fabio II. bellum cũ Æquis.*

Olympiade LXXIX. qua vicit Xenophõ Corinthius, Archedemide Athenis principe, consf. facti sunt Titus Quintius Capitolinus tertium, Quintius Fabius Vibulanus iterum: quibus ambobus senatus magnos & bene instructos exercitus attribuit. Quintius iussus est tutari Romanum agrum qui hostibus esset finitimus. Fabius ad populandã Æquorum regionem missus est. is hostem in finibus se cum magno exercitu opperientem inuenit. cumque vtrique castra opportunis locis communissent, progressi in campum, Æquis Romanos prouocantibus & prœlium auspicantibus, continue ad multum diei concertarunt magna animorum & virium contentione, singulis non in aliena, sed in sua tantum dextra victoriã collocantibus. postremo continuis ictibus hebetatis plerorumque gladiis, duces receptui signo dato reduxerunt in castra suos exercitus. Post hæc non amplius acierum congressu dimicatũ est, sed tan-

tantum continuis velitationibus & conflictationibus inter aquatores & deductores commeatuum; æquo plerumque marte. Dum hæc geruntur, pars quædam Æquorum exercitus per incustoditos tramites inuasit in eã Romani agri partem, quæ maxime auersa erat à suis finibus, ac proinde minus custodita; ex qua multos captiuos & multas opes abduxit; & clam Quintio, qui cum suis agrum Romanum obire ac tutari iussus erat, recepit se in sua: idque sæpius factitabant, magno rubore consulũ. Tandem Fabius cognito ex captiuis & exploratoribus, è castris Æquorum exisse robur exercitus, ipse quoque relictis ad castrorum custodiã senioribus, noctu exiit cum florentissimis equitum atque peditum. Æqui direptis quæ incursarant castellis, magna cum præda domum reuertebantur. his Fabius non longe progressis superuenit. ita & præda recepta est, & prœlio victi sunt quotquot certauerunt viriliter: reliqui dispalati, refugerunt *tamen* in sua castra, propter locorum peritiam elusis persecutoribus. Hac inopinata clade fracti Æqui, solutis noctu castris receperunt se intra mœnia. nec postea prodierunt; sed passi sunt frumentum iam maturum hostes absportare, & pecorum greges abigere, resque suas diripere, villas incendere, captiuos multos abducere. His gestis Fabius, quoniam aliis tradendus erat magistratus, domum reduxit copias. idem fecit & Quintius. Reuersi in vrbem designarunt consules Aulum Postumium Album, & Spurium Furium. qui simulatque consulatum iniuerunt, nuntii sociorum Latini nominis Romam propere venerunt; inductique in senatum indicauerunt Antiates ad defectionem spectare, occulte per legatos Æquis eos sollicitantibus, Volscis vero etiam aperte mercatus prætextu ad eos ventitantibus, ductu eorum qui Antium, cum ager diuideretur, deseruerant, & ob paupertatem ad Æquos transfugerãt, vt antea diximus. nec solos indigenas corruptos esse, verumetiam magnam partẽ aduenarũ: & nisi mature vrbẽ eam idoneo præsidio munirent, illinc quoque inopinatum bellum Romanis exoriturum. Paulo post superuenerunt Hernicorum legati, nunciantes magnum Æquorum exercitum finibus suis egressum, agros ipsorum insedisse, & quotidianis eruptionibus agere ac ferre omnia: iunctosque his Volscos maiorem eius exercitus partem conficere. Senatus decreuit ad Antiates dubiæ fidei (quidam enim

LXXVIII.

LXXIX. *A.V.C. 290 conss. A. Postumio. Sp. Furio, bellũ cum Æquis & Volscis.*

eorum excusatum se venerant, & satis apparebat nihil sanũ eos cogitare) mittendum aliud præsidium, quod eos in fide contineret: contra Æquos vero alterum consulem Spuriũ Furium exercitum iussit ducere. vtrique sine mora profecti sunt. Æqui cognito Romanorum aduentu, relicto agro Hernico, iuerunt eis obuiam. & vt in mutuum conspectũ venerunt ambo exercitus, non longe semota à se inuicem castra eo die posuerunt Sequenti vero hostes ad vallũ Romanorum accesserunt, tentaturi quid haberent animi. quibus non progredientibus, leui velitatione defuncti, nec gesta re vlla memorabili, magna cum iactantia discesserunt. Consul postridie castra, quod minus idoneo loco essent posita, in tutiorem locum transtulit, eaq; profundiore fossa & altiore vallo muniit. quo viso creuit audacia hostium; ac magis etiam postquam noua ipsis ab Æquis Volscisque submissa essent auxilia: ita vt nulla amplius interposita mora copias Romanis castris admouerent.

LXXX. At consul cogitans exercitum suum imparem esse ambabus gentibus, equitibus quibusdam cum litteris in vrbẽ missis, opem celerem petiit, vt in extremo constitutus periculo. quibus circa mediam noctem acceptis, collega Postumius patres per aliquot præcones domibus excitos in curiam conuocat: factumque est S C antequam clara illuxisset dies, Titum Quintium ter consulatu functum, cum robore peditum equitumque, proconsulari potestate ornatum, recta in hostem pergere: alterum consulem Aulum Postumium contractis ceteris copiis, quæ tam cito cogi non poterant, cum primum fieri posset, illum subsequi. Prima luce Quintius voluntariorum ad quinque milia in armis habuit; quos sine lõga mora eduxit. Id suspicati Æqui, statuerunt, priusquam Romanis adessent auxilia, castra eorum aggredi; quippe quæ numero & vi facile capi possent. itaque copiis in duas partes diuisis, vniuersi prodierũt, totoque die ingens commissum est prœlium, Æquis propugnacula hostium multis ex partibus præcipiti ardore inuadentibus, nec vel tragularum', vel sagittarum arcu, aut saxorum funda emissorum continuo iactu se repelli patientibus. Ibi consul & legatus cohortati se inuicem, subito apertis portis erumpunt eodem tempore; & cum validissimis iuuenum incurrentes in oppugnatores, ab vtraq; parte

iam

iam vallum conſcendentes forti dimicatione repellunt. fugientes conſul non diu perſecutus, in caſtra cum ſuis rediit: ſed frater & legatus eius Publius Furius, ardore animi euectus, vſque ad caſtra eorum tergo hærendo cædendoque inſecutus eſt, habens ſecum non plus quam duas cohortes quingenarias. Hoc animaduerſo hoſtes, circiter quinquies mille caſtris progreſſi, eos à fronte adoriuntur: equites vero circumuecti, à tergo eos inuadunt. Ita circumuenti & interclusi, quum traditis armis ſalutem poſſent redimere, (ad hoc enim inuitabantur ab hoſtibus, pro magno ducentibus ſi mille fortiſſimos viros in poteſtatem redegiſſent, ſperantibuſq; tanto honeſtiorem pacem ſe inuenturos) cōtemptis illorū verbis, ſe inuicem cohortati nequid admitterent indignum patria, fortiter pugnantes, multis hoſtiū cæſis, ad vnum omnes occiſi ſunt.

Hoc ſucceſſu elati Æqui, rurſum pro caſtris adfuerunt, Romanis legati aliorumq; illuſtrium virorum capita haſtis præfixa oſtentantes, & hoc terrore ad deditionem eos cogi poſſe putantes: quod longe aliter euenit. nam exſtinctorum miſeratio, acerque è tam lugubri clade dolor, animos illis duplo maiores indidit; ita vt aut fortiter vincere, aut eodem quo illi modo occumbere mallent, quam in hoſtium manus deuenire. Illam igitur noctem obſeſſi peruigilauerunt, ſarciendo vallo ceteriſque rebus ad ſuſtinēdam oppugnationem neceſſariis intenti; vt ſi forte hoſtis denuo caſtra inuaderet, vndique inſtructi eſſent. *nec eos fefellit exſpectatio* nam reuerſa luce rurſum multis locis vallum conuellebatur; & Æqui nunc crebris globorum eruptionibus repellebantur, nunc ipſi compellebant in caſtra progreſſos audacius. durauitque id certamen per totam diem: in quo conflictu etiam conſul iaculo per ſcutum in femur vulneratus eſt, aliique multi nobiles qui circa eum verſabantur. Iamque pene deſperatis rebus, ex inopinato ſub veſperam Quintius Romanis conſpectus eſt cum florentiſſimis voluntariorum auxiliis: ad quorum aduentum hoſtes omiſſa oppugnatione receptui cecinerunt: Romani vero erumpentes, extremum agmen cedebant aliquamdiu; ſed breui & ipſi deſtiterunt perſequi; quod plerique ex vulneribus eſſent inualidi. itaque mature ſe *ad ſuos* receperunt. Vtraque deinde pars ſe intra caſtra aliquamdiu continuit, res ſuas LXXXI.

Pp

LXXXII. tueri ſatis habens. Tandem Æquorum & Volſcorũ manas, rati opportunum tempus prædandi veniſſe, dum Romanæ iuuentutis robur diſtineretur externa militia, noctu egreſſi, Romani agri partem inuadunt longiſſime diſſitã, qua maxima eſſe videbatur agreſtium ſecuritas: vbi multum prædæ, multum captiuorum partum eſt. ſed in recedendo non eadem fuit felicitas. nam alter conſul Poſtumius, qui contractis auxiliis ad ferendam obſeſſis opem contendebat, vt audiuit factum hoſtium, ſuperuenit eis ex inſperato. Illi aduentu eius nil territi, impedimentis & præda per otium in munito loco depoſitis, & addito eis ſatis valido præſidio, reliqui acie ſtructa cum Romanis congreſſi ſunt; conſertisque manibus memorabilia ediderunt facinora, nec numero pares nec armaturę genere. nam plerique, qui per agros diſperſi fuerant, eo cum leui armatura confluebant, & cum viris toto corpore armatis inibant prœlium: in quo tantus Romanorum numerus cecidit, vt parum abfuerit quin *prædatores* in alieno agro deprehenſi, *clarum* de propugnatoribus trophæum ſtatuerint. ſed cõſul vna cum lectiſſimis equitum, laxato equis freno, illati in eam hoſtium partem quæ vt validiſſima erat, ita etiam fortiſſime dimicabat, perruperunt ordines, proſtratis plurimis. tum anteſignanis obtritis, etiam reliqui verſi ſunt in fugam: & qui impedimentis cuſtodes appoſiti fuerant, relictis eis, proximos montes curſu petierunt. atque in prœlio quidem non magnus hoſtium numerus periit, in fuga vero plurimi; quippe qui & locorum ignari eſſent, & premerentur ab equitibus.

LXXXIII. Interea Furius vt collegam ad opem ſibi ferendam aduentare cognouit, veritus ne hoſtes obuiam illi profecti iter intercluderent, oppugnatione diſtinere eos ſtatuit. Sed hoſtes non exſpectata oppugnatione, ſimulatque cladem ſuorum cognouerunt ex his qui è prædatione euaſerant, motis prima ſtatim nocte caſtris repetierunt patriam, re geſta non omnino ex animi ſentẽtia. nam præter abſumptos in prœliis & prædationibus, in hac quoque poſtrema fuga maior quam ante deſideratus eſt numerus. nam quos labor & vulnera grauabant, tarde gradum promouentes, deſtituentibus eos membris collabebantur potiſſimum circa riuos & flumina, vt ſitis ardorem exſtinguerent: quos aſſecuti equites occidebant. Sed nec

Ro-

Romanis vsquequaque fortuna in eo bello fauit. nam & alios multos fortesque viros in prœliis amiserunt & *Furiū* legatum cuius virtus præ ceteris in pugna enituerat. victoriam tamen patriæ nulla inferiorem retulerunt. atque hæc sunt gesta his consulibus.

Sequenti vero anno Lucio Æbutio, Publio Seruilio Prisco consulibus, nec militiæ nec domi quidquam memorabile gestum est, pestilentia sæuiente magis quam vnquam antea; quæ primum equorum boumque armenta per agros pascentia inuasit; mox capratum ouiumque greges aggressa, pene totum quadrupedum genus absumpsit. hinc cōtagium ad pastores & agricolas transiit; donec malum per agros passim diuagatum, postremo in vrbem incubuit. Seruitiorum mercenariæque & plebeiæ multitudinis hac peste absumptæ ne numerus quidem iniri potuit. nam primo coaceruata in plaustris cadauera exportabantur; tandem vero quorum minima haberetur ratio, in profluentem Tiberim proiiciebantur Senatorum quarta pars exstincta est, & in his ambo consules, maiorque pars tribunorum collegii. cœpit is morbus circiter calendas Septembres durauitq; annum eum continuum, non ætati vlli parcens, non sexui. Quod vbi apud vicinas gentes est cognitū, Volsci & Æqui rati venisse tempus excidendi Romani imperii, icto inter se societatis fœdere, paratisque rebus oppugnationi necessariis, quam celeriter potuerunt eduxerunt ambos exercitus. & vt Romanis sociorum auxilia præciderent, Latinorum Hernicorumque agros primum inuaserunt. Cum vero vtriusque gentis sociæ legati ad petendam opem in vrbem venissent, consulum alter Lucius Æbutius eo die mortuus erat; alter, Publius Seruilius, exigua in spe trahens animam, senatum conuocauit. plerique semimortui lecticis in curiam illati, responderunt legatis, renuntiarent suis, senatum illis permittere vt sua virtute hostem arcerent tantisper dum consul melius haberet, & exercitum in defensionem eorum colligeret. Hoc responso accepto, Latini rebus quotquot poterāt ex agris in oppida cōportatis, contenti mœnia tutari, contemnebant damna cetera. Hernici, non ferentes vastationem & direptionem rerum suarū, arreptis armis pgressi sunt *hosti . buia*: editaque egregia pugna, multis suorū amissis, pluribus hostium

LXXXIV. A.V.C. 298 conss. L. Æbutio, P. Seruilio, domi pestis sæuissima, foris bellum ab Æquis & Volscis.

occisis, postremo coacti intra mœnia se recipere, non am-
LXXXV. plius tentauerũt martis aleam. Æqui & Volsci agrum eorum impune posthac populati, vsque in Tusculanum agrũ processerunt: & hoc quoq; rapinis exhausto, nemine repugnante, ad Sabinorum fines perrexerunt: & hac etiam regione sine periculo peruasa, in agrum Romanum *populabundi* transierunt: vrbemque grauiter quidem terruerunt, non tamen ea potiri valuerunt nam Romani, licet infirmi corporibus, & vtroque consule orbati, (nuper enim & Seruilius è vita excesserat) supra vires armati, muros tuebantur. erat autem tunc vrbis ambitus non maior quam Athenarum: & pars eius in tumulis abruptisque sita rupibus, ab ipsa natura sic communita erat, vt exiguo egeret præsidio: pars à Tiberi non secus ac muro defendebatur. eius enim fluuii latitudo, est quatuor ferme iugerũ profunditas, nauibus etiã magnis meabilis; fluxus concitatus & vorticosus, si quis alius; peditibus nõ nisi põte superabilis; qui tũc vnicus erat sublicius, dissoluebaturq; bell. tẽpore. qua vero maxime hostium incursionibus vrbs est obnoxia, ab Esquilina porta Collinam vsq;, opere manu facto munita est. nã fossa præcingitur, cuius latitudo, qua minima, centum & amplius pedum est; altitudo, triginta: & supra fossam exsurgit murus alto & lato intus suffultus aggere, nec arietibus concuti nec cuniculis suffodi facilis. per eam munitionem septem ferme stadiis longam, latam quinquaginta pedibus, dispositi tunc cateruatim erant ciues ad arcendum hostium incursum. nec enim eo seculo vel testudines ad fossarum congestionẽ, vel machinas ad vrbium expugnationem parare nouerant. Itaque hostes, desperata vrbis expugnatione, abduxerunt inde copias; & agro *prius* quacumque iter fa-
LXXXVI cerent peruastato, redierunt in patriam *incolumes*. Romani creatis interregibus comitiorum caussa, (quod facere solẽt cum summus in vrbe magistratus vacat) per eos de-
A.V.C.292. conss. L. Lucretio, T. Veturio, bellum cum Æquis & Volscis. signarũt consules Lucium Lucretium & Titum Veturium Geminum. Sub horum consulatu pestilentia desiit, simulque à ciuilibus litigiis tum priuatis, tum publicis, quies fuit. nam etsi vnus è tribunorum collegio Sextus Titius actionem agrariam denuo mouere conatus fuerat. plebs tamen id fieri vetuit, & in commodius differri tempus maluit. omnesque ardens incessit alacritas vlciscendi hostem qui

pestis

pestis tempore vrbi admouisset copias. ac mox ex senatus cõsulto &plebiscito delectibus institutis, nemo qui militari ætate esset, etiamsi legitimam immunitatem caussari posset eam expeditionem deserere voluit. Copiis trifariam diuisis, cum parte vna Quintus Fabius vir consularis vrbis præsidio relictus est; duæ reliquæ cum consulibus in Æquos & Volscos profectæ sunt. Idem iam & hostes fecerant. nã vtriusq; gentis robur cum duobus ducibus sub dio erat in agro Hernico; & initio inde facto, infestare parabat quidquid Romano pareret imperio. reliqua manus, *externæ militiæ* minus vtilis, ad oppidorum tutelam relicta est contra repentinos incursus hostium. Hic deliberantibus consulibus visum est optimum, per oppida hostium circũferre bellum, cogitabant enim, coniunctas illorum copias *facile* dissipatum iri, si sua quiq; oppida in summum discrimen adducta cognoscerent: satiusque putaturos, sua defendere, quam res hostium pessumdare. itaque Lucretius Æquorum agros inuasit; Volscorum, Veturius. Æqui cõtempto vastationis damno tantum munitionibus se tuebantur.

At Volsci, audacia atque arrogantia impulsi, contempto Romano exercitu, vt qui sustinendæ ipsorum multitudini haud par futurus esset, prodierunt ad defendendos agros, & castra prope Veturium posuerunt. Sed (vt accidere solet nouitio exercitui, qui ex oppidana & agresti turba pro tempore contractus est; vt scilicet magna pars & inermes sint, & periculorum inexperti) ne manus quidem cum hoste conserere sustinuerunt: sed plerique primo statim Romanorum incursu consternati, clamoreque & strepitu armorum perculsi, effusa fuga repetierunt mœnia: ita vt multi inter viarum angustias intercepti obtruncarentur, at multo plures per portam se intrudentes ab equitibus opprimerentur. ex hac clade Volsci cognita sua dementia, nihil amplius periclitari sunt conati. *Alteri* autem Volscorum & Æquorum duces qui sub dio erant cum suis copiis, postquam suos bello vrgeri cognouerunt, statuerunt & ipsi generosum aliquod facinus edere; motisque ex Hernico & Latino agro castris, quanta celeritate & ira possent, Romam ipsam petere. nam & ipsi opinabãtur, è duobus alterutrum sibi successurum; ac fore vt vel Romam incustodi- LXXXVII.

tam caperent, vel hostem à suis finibus auerterent: necesse namque futurum consulibus, patriç contra hostium incursum subuenire. Hoc igitur consilio celerabant iter quantũ poterant, vt improuisi adessent ad mœnia, ac mox oppu-
LXXXVIII. gnationem aggrederentur. Sed cum Tusculum vsque peruenissent, & mœnia Romana per circuitum armatis oppleta esse cognouissent, excubantibus ante portas quatuor cohortibus sexingenariis, omisso Romam versus itinere, agrum quem superiore irruptione intactum reliquerant, populari cœperunt. Cumque superueniret alter consulum Lucius Lucretius, nec longe ab ipsis castra poneret, rati commodissimum fore si *de summa rerum* armis decernerent, prius quam alter consul Veturius cum collega se coniungeret, depositis impedimentis in quodam tumulo appositisque præsidio duabus cohortibus, reliqui processerunt in aciem: congressique cum Romanis, diu rem gesserunt fortiter. at postquam cognouerunt è castello quodam à tergo per collem descendere exercitum, opinati alterum consulem cum suis copiis aduentare, & veriti ne ab ambobus circumuenirentur, non amplius substiterunt, sed in fugam se verterunt. In hoc prœlio vterque hostium dux post edita *multa* præclara facinora cecidit, & circa eos multi alii viri fortes. qui superfuerunt, fuga dispersi, receperunt se in suam quisque patriam. Post hæc Lucretius sine vllius periculi metu Æquorum agrum vastauit & Veturius Volscorum, vsque ad comitiorum tempus: quo instante, motis castris domum reduxerunt copias. Cum victoriali vterque pompa vrbem ingressus est; sed Lucretius quadrigis insidens; Veturius autem, pedester incedens. duobus enim istis triumphi generibus senatus *victores* duces ornare solet, vt dixi; qui ceteris honoribus pares, eo tantum differunt, quod alter equester est *seu curulis*, alter vero pedester.

DIO-

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATUM Romanarum Liber decimus.



POST horum cõsulatum Olympias acta LXXX. qua stadio vicit Torymbas Thessalus, Phrasicle Athenis principe: Romae autem consules creati sunt, Publius Volumnius, Seruius Sulpicius Camerinus. Hi nullum eduxerunt exercitum vel ad vlciscendas suas sociorumue iniurias, vel ad res imperii tutandas. tantum intra mœnia curabant nequam nouam seditionem plebs contra senatum moueret. turbabatur enim rursus à suis tribunis, asserentibus nihil esse liberae ciuitati conuenientius, quam aequum ius agendi de republica: eoque volebat omnia tam priuatim quam publice ex legum praescripto geri. nondum enim erat apud Romanos ius aequum omnibus ciuibus, nec omnibus ex aequo dicendi potestas erat, nec in tabulas relata erant iura omnia: sed olim quamdiu regnatum est in vrbe, regum arbitrio lites dirimebantur; & quod iustum illi iudicassent, id erat pro lege. translato deinde à regibus ad annuos consulatus imperio, inter cetera officia regia, iuris quoq; reddendi munus ad eos deuênit: ita vt quacumq; de re orta esset inter ciues cõtrouersia, illi de iure responderẽt. id ius maxima ex parte constabat virorum potestate praeditorum praeiudiciis; & per pauca in sacris libris habebantur quae legũ vim obtinerent: & horum ipsorum scientia penes

I. *A.V.C. 293 olymp. 80. conss. P. Volumnio, Ser. Sulpicio, turba domi, & prodigia varia.*

ſolos erat patricios, quod hi ſoli in eius cognitione verſarentur. at promiſcuum vulgus, quod negotiationibus & agriculturæ operam dabat, nec niſi mercatus gratia per interualla in vrbem veniebat, *prorſus* imperitum erat rerum talium. Primus Caius Terentius, qui ſuperiore anno tribunus plebis fuerat, id inſtitutum introducere tentauerat, ſed rem imperfectam omittere cogebatur, quod ciuium maior pars diſtineretur militia, & conſules data opera copias vſque ad magiſtratus ſui exitum in hoſtico detinerent.
II. His vero conſulibus Aulus Virginius cum reliquo tribunorum collegio, accepto in manus negotio, ad finem id perducere aggreſſus eſt. contra, conſules, ſenatus, & reliqui ciues qui plurimum in vrbe poterant, nihil non quotidie tentarunt ne id fieret, neue ex legum præſcripto rempublicam adminiſtrare cogerentur. quamobrem crebro ſenatus habitus, conciones pene continuæ, vtriuſque partis magiſtratibus nihil intentatum relinquentibus. è qua contentione perſpicue videbant omnes, magnum aliquod & atrox reipublicæ exoriturum malum. & ad humanas iſtas coniecturas accedebant etiam ſigna diuinitus ad terrorem augendum oblata, quorum nonnulla nec in publicis monumentis adnotata, nec vlla hominum memoria obſeruata comperiebātur. nam fulgores per cælum diſcurſantes, ignisque incendia eodem loco conſiſtentia, terræ mugitus tremoreſque continuos, ſpectraque mutatis ſubinde formis per aerem ſe oſtentantia, voces humanam mentem territantes, & quæ huius generis alia contingebant, olim quoque accidiſſe inueniebant, vel magis vel minus: quod vero hactenus inuiſum inauditumque plus ceteris omnibus prodigiis terruit, erant niuis in morem copioſe cælitus demiſſa carnis fruſta maiora minoraque. quorum bonam partem in ſublimi aduolantes omnis generis volucrum greges roſtris diripiebant; reliquū quod in terram decideret, in vrbe agriſq; *ſparſum* iacebat multo tempore, nec colorē odoremue mutans, nec putredine diffluens, contra morem veteraſcentium carnium. id portentū vates indigenę interpretari non potuerunt. in Sibyllinis oraculis inuentum eſt, fore vt intrantibus in vrbem hoſtibus exteris, magno libertatis periculo dimicaretur. ſed externum bellum initium ſumpturum ab inteſtina ſeditione: cuius

cuius ſemina ex vrbe exterminanda eſſe, Diiſque tum votis tum ſacrificiis placatis, auerruncanda mala. quod ſi fieret, *certam* de hoſtibus fore victoriam. Hæc vt euulgata ſunt, ſacra primum per eos quibus incumbebat ea cura, Diis auerruncis facta ſunt. deinde conuocato ſenatu, cui etiam tribuni plebis interfuerunt, conſultatum de ſalute publica.

In hoc igitur conſenſere omnes, ſummouendas *tandem* eſſe criminationes mutuas, atque (vt oracula monerent) vnanimi conſenſu tractandam rempublicam. ſed quo modo id fieri poſſet, & quid primum alteri alteris cedere deberẽt, qua verò ratione ſeditionum finis fieret, de eo non leuis incidit diſquiſitio, nam conſules & ſenatus proceres turbarum cauſſam in tribunos referebant, vt qui nouis inſtitutis introducendis priſtinam reipublicæ formam abolere conarentur: tribuni contra, nihil ſe indignum *mauerit us*, nihil iniquum aut noxium moliri dicebant, quippe qui bonas leges & æquabilem ſui iuris tuendi poteſtatem introducere cuperent: ſed conſules & patricios ſeditionis auctores fore, qui legum confuſionem & immoderatã eminendi libidinem *in vrbe* fouerent, tyrannicoſque mores affectarent. Huiuſmodi altercationibus aliquot dies contriti ſunt inaniter; nec interim vel publicorum vel priuatorum negotiorum quidquam peractum. tandem tribuni cernentes nihil ſe iſtis cum ſenatu altercationibus atque expoſtulationibus proficere, hoc omiſſo concionem aduocant plebique pollicentur ſe legem de poſtulatis ſuis laturos. quod cum probaretur multitudini, ſine mora legem *iam antè in hoc* paratam recitant; cuius capita erant hæc: Decemuiros legitimis comitiis à populo eligi, qui ætate ac prudentia præſtantes, honoris quoque atque bonæ exiſtimationis rationem haberent maximam eos viros leges de omnibus *negotiis* tam priuatis quam publicis conſcribere, & *conſcriptas* ad populum referre: haſque leges in foro poni; vt quid annuis magiſtratibus & priuatis ciuibus inter ſe iuris eſſet, ceu limites definirent. Hac lege propoſita, poteſtatem fecerunt iis qui diſſuadere vellent, in trinundinum. exſtiteruntque multi ex ſenatu eius legis diſſuaſores, tum ſeniores tum iuniores; iique non peſſimæ notæ; qui accuratis diligenterque meditatis orationibus aliquot dies contriuere. Deinde tribuni cum tempus ſic teri ægre ferrent, non propoſita III.

Rogatio de decemuiris & legibus.

amplius dissuadendæ legis potestate, diem certam statuerunt ad quam omnes ciues præsto essent laturi de lege suffragia: nec enim amplius prolixas orationes aures ipsis obtusuras, sed de lege per tribus latum iri calculos. His promissis concionem dimiserunt.

IV. Post hæc consules & patriciorum potentissimus quisque asperius cum illis egerunt, negantes se legum ferendarum potestatem eis permissuros, præsertim de quibus in senatu præconsultatum non esset. Leges enim, esse commune *totius* ciuitatis, non partis alicuius in republica conuentum & *pactum.* esseque id certum ad fœdam perniciem iter vel ciuitatibus vel priuatis familiis, si deterior pars potiori leges præscriberet. Quam, inquiunt, potestatem legum ferendarum aut abrogandarum vobis sumitis? annon certis conditionibus magistratum istum à senatu impetrastis, vt iniuriam aut vim patientibus pauperibus succurreretis, nec aliud tentaretis præterea? Immo etiam siquid potestatis ante habuistis, quod non iure sed vi extorsistis, dum senatus contentionum tædio iniquis postulatis vestris semper cessit, annon id quoque totum nunc amisistis mutata comitiorum ratione? quando iam nec ex S.C. eam potestatem accipitis, neque curiæ de vobis ferunt suffragia; nec ante comitia Diis *immortalibus* sacra facitis quæ leges fieri iubent, nec quid quam eorum quæ vel Deûm religio, vel hominum iura postulant, in comitiis vestris peragitur. Quam igitur sacrorum ac religiosorum (quæ venerari lex iubet) partem fecistis vobis reliquam, qui iura omnia abnegastis? Huiusmodi voces tribuni tunc passim audiebant à seniorum iuniorumque sodalitiis. adhæc moderatos quidem ciues patricii blandis mulcebant alloquiis; at refractarios & turbulentos minis territabant, ni sibi temperarent. quosdam etiam ex infima tenuiorum plebe, qui propriorum commodorum studio nihili faciebant quietem publicam, pulsatos velut mancipia foro eiiciebant.

Plurimum autem tunc inter iuuenes poterat maximoque sodalitio stipatus erat Cæso Quintius, Lucii Quintii Cincinnati filius, genere illustris, nec facultatibus vlli secundus; ad hæc aspectu pulcher, bellica laude clarus, & natiua facundia præditus. is tunc vehementer in plebeios inuehebatur, nec verbis nec factis asperis temperans. eamque

que ob rem patricii in pretio eum habebant, ac ne se periculis deterreri sineret, tutum ei subsidium pollicebantur: plebeii contra pessime illum oderant. Eum tribuni decreuerunt primum è medio tollere, vt *hoc pacto* ceteros absterrerent iuuenes, & *in posterum* temperare sibi cogerent. His animo decretis, paratisque tum accusationibus tum testimoniis compluribus, publicæ iniuriæ reum agunt, & morte mulctam æstimant. Die illi ad populum dicta, vbi tempus liti præfinitum aduenit, pro concione accusatione prolixa in hominem inuecti sunt, enumerantes quam multiplicem in plebeios exercuisset violentiam, & testes facinorum eius adducentes illos ipsos qui iniuriam accepissent. Facta deinde reo pro se dicendi copia, adolescẽs ipse non prodiit ad dicendam caussam; sed ab ipsis priuatis, siqui iniuriam sibi factam quererentur, diem sibi ad consulum tribunal ex lege dici voluit; & consulum iudicio litem decidi. At pater eius, videns plebem offensam eius pervicacia, caussam egit filii, ac pleraque tum falsa tum insidiose in adolescentem conficta esse ostendit; quæ vero infitiari non poterat, parua & leuia esse dixit, nec digna offensione publica. quin illa ipsa facinora non data opera nec per cõtumeliam commissa, sed à iuuenili quadam ambitione profecta esse, per quã in rixis multa contra volũtatem tũ aliis intulerit, tũ ab aliis ipse acceperit, vt qui nec ætate, nec iudicio adhuc maturo sit. orabatque plebeios vt non tantũ delictis eius succenserẽt, verum etiã meminissent fortia eius in bello facinora, & præclara in rẽpublicam merita; quibus vt ciuiũ libertatẽ & patrię imperium asseruerit, ita sibiipsi gratiam multitudinis, & si quid forte deliquerit, veniam pepererit. tum enumerauit quoties militasset, quot prœliis interfuisset, quot ciues in bellis propugnasset, quoties hostiũ muros primus conscendisset, & quot eo nomine, præter cetera fortitudinis præmia, tũ ciuicas tũ murales ab imperatoribus suis coronas accepisset. Postremo ad preces & miserationem *mouendam* versus, rogabat vt pro sua erga omnes benignitate, vitaq; omnium testimonio innocenter acta, vnam sibi donarent gratiam, incolumitatem filii.

Pergrata fuit plebi hæc oratio, videbaturq; libenter gratificatura homini. Quod vbi sensit Virginius, videns intolerabilẽ *posthac* futuram iuuenũ audaciam & peruicaciam, VI.

si Cæso impunitus dimitteretur, surrexit, &, Tua quidem
Quinti, ait, tum cetera virtus, tum erga plebem beneuo-
lentia, satis testata est; debeturque tibi & habetur honos
eo nomine. Sed huius *tui* iuuenis insolentia & erga nos o-
mnes superbia, nullam vel excusationem vel veniam me-
retur: qui sub tam populari modestoque patre educatus, vt
omnes scimus, spretis tuis moribus & studiis, tyrannicam
peruicaciam & barbaricam petulantiam amplecti maluit,
prauorumque facinorum exempla in ciuitatem introduxit.
quod certe si te nescio factum est, nunc postquam in cogni-
tionem tuam venit, merito indignationem tibi nostro no-
mine mouere debet: sin te conscio & adiutore insultauit e-
genorum ciuium fortunæ, tu quoque malus fuisti, boníque
viri existimatio immerito tibi obtigit. Sed enim nesciebas
eum indignum tua virtute. Id vero vt credatur, facile impe-
trabis meo quoque testimonio. Sed vt te illi tunc in infe-
renda nobis iniuria non adfuisse facile concedo, ita nō pro-
bo quod nunc nobiscum non *itidem eo nomine* indignaris.
Vt autem melius scias quale malum in reipublicæ perni-
ciem insciens alueris, quam immane ac tyrannicum, ac ne
à ciuili quidem cæde purum, audi facinus eius egregium, &
si libet confer cum præclaris istis *quæ memorasti* militiæ de-
coribus. Vos quoque qui modo miserabili hominis oratio-
ne vos affici sinebatis, circumspicite an tali ciui parcere vos
VII. deceat. Hæc locutus, surgere iussit vnum è collegis suis
Marcum Volscium, & quæ de adolescente sciret, dicere.
Moxq; silentio facto, & omnibus exspectatione suspensis,
Volscius inhibita paulisper voce, mox sic orsus est. Equidē
Quirites percupiuissem priuata actione, vt lege concessum
est, pro atrocibus & plus quam atrocibus iniuriis pœnas de
hoc homine reposcere. quod quia *hactenus* per fortunæ ac
virium tenuitatem, vt vni è vulgo, non licuit, nunc saltem,
quando licet, si nō accusatoris, testis personam sumam. vos
quam immani & atroci affectus sim iniuria, cognoscite.
Frater mihi fuit Lucius, omniū mortalium dilectissimus:
is mecum apud amicum cœnabat. post cœnam quum do-
mum noctu reuerteremur, emensi forum incidimus in hūc
Cæsonem cum aliorum ferocium adolescentum turba co-
missantem. hi primum cauillis nos & probris incesserunt,
vt ebrii & petulantes iuuenes humilioribus & tenuioribus
insultare

insultare solent. Ibi cum indignaremur, & frater in hunc diceret quiddam liberius, Cæso hic indignum ratus, audire aliquid quod nollet, in eum incurrit, pugnis & calcibus impetit; aliisque indignis modis pro libidine tractatum, *demum* interficit. & cum ego clamorem tollerem, ac pro mea virili propulsarem iniuriam, omisso illo iam mortuo, pugnos in me couertit nec prius desiit, quam me voce ac motu destitutum cerneret, & mortuum esse duceret. His perpetratis ille, quasi re bene gesta, lætus abit: nos vero, qui *forte fortuna* superuenerãt, cruentos tollunt & domum reportant; fratrem, enectum, vt dixi, me, semineccem & nihilo meliori spe trahentem animam. Hæc facta sunt Lucio Æbutio & Publio Seruilio consulibus, quum magna illa pestis grassaretur, à qua neque nos duo immunes fuimus quę quoniam vtrumq; consulem absumpsit, mihi cum aduersario legibus agere tunc non licuit. successerunt consules Lucius Lucretius, Titus Veturius, quos *diu* militia distinuit ab vrbanis negotiis vbi vero è militia reuersi sunt, quoties ad magistratus eum citaui, toties (vt multi ciues norũt) plagas ab eo retuli. Hæc sunt Quirites quæ mihi accidisse verissime apud vos perhibeo. His auditis exortus est in populo clamor, & multi ad exigendas manu pœnas proruerunt: sed consules cohibuerunt multitudinem, atque etiam plerique tribuni, quod malum exemplum in vrbem introduci nollent: quin & plebis magna pars erat integra, quæ nollet de capite certantem indicta caussa perire. Itaque tunc prouida iuris consideratio *cæcos* audaciorum impetus repressit, dilatumque est iudicium, non sine magna contentione asseruandusne interim reus esset in vinculis, an dato vadimonio dimittendus, vt pater postulabat. Senatus *demum* iussit, interpositis mulctæ vadibus, reum vsque ad iudicii tempus dimitti. Postridie tribuni coacto populo, cum iuuenis litem *simul & vadimonium* deseruisset, absentem ex populi sententia damnarunt, & à vadibus, qui erant numero decem, pactas de sistendo reo pecunias exegerunt. Ita Cęso insidiis tribunorum circumuentus, qui etiam Volscium falsum (vt post compertum est) testem subornauerant, exsulatum in Etruriam abiit. Pater eius maxima bonorum suorum parte diuendita satisfecit vadibus: contentusque vno transtiberino rusculo, in quo humile habebat tuguriolum, cum

VIII. [margin, beside "His auditis exortus est"]

K. Quintius iniqu. damnatus. [margin]

paucis seruis vitam ibi laboriosam & ærumnosam agricolando egit, præ mærore ac inopia nec vrbem inuisens, nec amicos salutans, nec festos dies agitans, nec vllam aliam hilaritatis materiam sibi indulgens. Ceterum tribuni multum sua spe falsi sunt. Adeo enim nihil profecit Cæsonis calamitas ad moderandam iuuenum peruicaciam, vt multo etiam ferociores & asperiores fierent, & tum dictis tum factis rogationem oppugnarent: ita vt tribuni nihil amplius efficere potuerint, absumpto in hęc *negotia* consulatus tempore. itaque plebs in annum sequentem eosdem tribunos refecit.

IX. *A.V.C. 294. cōss. P. Valerio, C. Claudio, turba domi.*

Vbi vero Publius Valerius Poplicola, Caius Claudius Sabinus consules magistratum inierunt, periculum quale numquam ante, ab externis gentibus in vrbem incubuit, per intestinas seditiones intra mœnia adscitum, vt & Sibyllini libri præmonebant, & signa diuinitus edita superiori anno portenderant. Id bellum qua ex caussa sit ortum, & quæ res eius periculi tempore gestæ sint, nunc denarrabo. Tribuni, qui denuo ad magistratum euecti erant, vt eo facilius legem perferrent, cum viderent alterum consulem Caium Claudium innato & à maioribus propagato in plebem odio laborare, paratumque totis viribus ipsorum conatus impedire, adhæc potentissimos quosque iuuenes palam eo ferociæ atque audaciæ processisse, vt vinci superari non possent, tum in primis maiorem populi partem patriciorum blanditiis delenitam esse, nec amplius tanto studio rogationem legis vrgere, audaciore via rem aggredi statuerunt, qua & plebem percellerent, & consulem reprimerent. ac primum rumores per vrbem sparserunt varios. deinde à mane vsque ad vesperam in propatulo consultabant, nec quemquam nisi ex collegio, ad colloquium istud & consilium admittebant. postremo vbi visum est tempus exsequi consilia, confinxerunt literas, easque sibi in foro considentibus ab ignoto homine reddendas curauerunt. quas vt acceperunt, frontem ferientes, vultumque demittentes, surrexerunt. *ad quem casum* concursu vulgi facto, & omnibus magnum aliquod malum diuinantibus contineri his literis, silentio per præconem indicto: Extremum, inquiunt, plebi periculum instat, Quirites: & nisi Deus aliquis propitius innocentes respiceret, atrox nos vniuersos obruisset calamitas. rogamus vt tantisper exspectetis dum

dum rem nuntiatam ad senatum referimus, quo possimus in commune consulere.

His dictis proripiunt se ad consules. Interim autem dum senatus cogitur, varii sermones iactabantur toto foro, aliis data opera (vt mandatum à tribunis acceperant) per circulos sermones serentibus, aliis quæ suus cuique timor fingebat, ea tribunis nuntiata dictitantibus. alius aiebat Æquos & Volscos Cæsonem Quintium à populo damnatum excepisse, eumque ab vtrisque populis designatum imperatorem, cum magnis copiis vrbem inuadere parare. alius, hunc ipsum de communi patrum sententia externo milite stipatum *postliminio* reduci, idque ad summouendam tam in præsens quam in futurum plebeiorum tutelam. rursum alius, non totum patriciorum ordinem id moliri, sed iuniores tantummodo. nec deerant qui asseuerarent intra mœnia latere hominem, & hoc agere vt in potestatem suam redigeret loca vrbis munitissima. atque ita vrbe tota commora exspectatione calamitatis alicuius, cum ob mutuas suspiciones alteri ab alteris sibi cauerent, consules senatum aduocauerunt, tribuni ostenderunt litteras. quorum vnus pro omnibus Aulus Virginius sic locutus est. X.

Quamdiu nihil aliud quam leues & incerti rumores audiebantur, P. C. *puduit atque* piguit nos de rebus incompertis ad vos referre, quod vereremur ne & magnæ in populo turbæ exsisterent, (vt solet in terrificis rumoribus) & consilium vobis nostrum plus festinationis quam prudentiæ habere videretur. non tamen eos rumores plane neglеximus, sed, quantum in nobis fuit, veritatem scrutati sumus diligentissime. & quoniam diuina prouidentia, perpetua huius reipublicæ custos, pro sua benignitate, clandestina consilia & nefarios conatus sceleratorum hominum prodit, & à beneuolis hospitibus (vt mox audietis) recens accepimus literas, & cum externis domestica indicia consonant, nec res vrgens vllam amplius dilationem patitur, prius quam in populum efferremus, vobis primum, vt par est, ea nuntiare statuimus. Scitote igitur coniuratum in plebem à viris non obscuris, in quibus fertur esse aliquot (non multos tamen) ex hoc senatorum consessu, sed plerosque ex equitibus nondum in senatum allectis, quos vobis indicari nunc tempus non est. Hi, vt comperimus, XI.

statuerunt nocte tenebrosa nos dormientes adoriri, dum nec prospicere quid fiat, nec tueri nos singuli possumus: factoque in ædes impetu, primum nos tribunos iugulare, & si qui alii ex plebeiis in tuenda libertate ipsis vel antehac restiterunt, vel in posterum obstituri videntur. tum nobis è medio sublatis, putant se sine vllo vel negotio vel periculo à vobis deinde impetraturos, vt quæ cum plebe pepigistis, communi decreto abrogetis. Et quoniam ad hoc facinus externa manu militum occulte comparata opus fore videbant, eaque non mediocri, ducem sibi facinoris sumpserunt vnum è nostris exsulibus Cæsonem Quintium, qui cædium & seditionis conuictus, à quibusdam vestrum pœnæ subtractus est, & incolumis ex vrbe emissus, cui nunc reditum pollicentur, honoresque, & alia operæ præmia. nam & ille *vicissim* pollicitus est adducturum se Æquorum Volscorumque copias, quantas opus fuerit. aderitque breui ducens secum audacissimum quemque, sed clam & *sparsim* alios post alios: reliquum copiarum exspectabit donec nos plebis antistites de medio tollamur, vt tum ceteram aggrediatur plebem, siquis forte pro libertate quid audeat.

XII. Hæc sunt Patres conscripti, quæ per tenebras perpetrare decreuerunt, nec in atrocibus his ac nefariis sceleribus vel Deorum iram pertimescunt, vel hominum indignationem verentur. Quapropter in tanto periculo constituti, supplices ad vos confugimus, patres, vosque obtestamur per Deos & sacra communia, per tot tantaque bella simul gesta, ne patiamini contra ius & fas ab inimicis nos opprimi: sed ferte opem, & iusta indignatione concepta, meritas pœnas nobiscum de tam nefarii facinoris auctoribus sumite, si non de omnibus, saltem de coniurationis principibus, & ante omnia petimus quod iustissimum est, decernatis vt per nos tribunos de his indiciis agatur inquisitio. nec enim ius modo sed etiam necessitas postulat, accuratissimas ab iis inquisitiones institui, qui ipsi versantur in discrimine. Quod siqui vestrum se nulla in re præbere æquiores possunt, sed omnibus qui plebis caussam agũt, obsistere decreuerunt, eos libens interrogauero, quonam ex his postula is offendantur, aut quid persuadere nobis parent, vtrum nullam inquisitionem fieri, sed dissimulari rem tam nefariã, excogitatã in plebis perniciẽ. & quis hos sanæ mẽ-

tis esse dixerit, ac non potius eadem corruptela infectos & coniurationis socios; ideoque sibi metuentes, veritatis inquisitionem impedire, ne patefiat ipsorum machinæ. quos vtique à vobis audiri haud par est: nisi forte cognoscendorum iudiciorum ius non penes nos, sed penes senatum & consules esse volunt. Quid igitur obstabit quo minus & plebis antistites hoc ipsum dicant, siqui ex plebeiis facta in consules & senatum conspiratione, senatorii ordinis euersionem moliantur? par scilicet esse, vt qui plebis tutelam susceperunt, ii de plebeiis cognoscant. At quid inde consequetur? Vt nulla vmquam fiat de rebus occultis quæstio. Sed neque nos hoc postulauerimus, (suspecta enim est talis ambitio) neque vos recte feceritis, si illis qui idem nobis præstari nolunt, aures præbueritis, nosque communes ciuitatis hostes iudicaueritis. Nulla re, Patres conscripti, magis quam celeritate nunc opus est. anceps enim periculum vrget; nec cunctationem tempus fert in malis nil cunctantibus. itaque omissis contentionibus & prolixis orationibus, decernite quod videtur è republica.

XIII. Hæc tribuni verba senatum in magnum metum magnasque angustias coniecerunt. Patres enim capita inter se conferentes, aiebant æque periculosum esse, permittere tribunis inquisitionem de re tam magna, atque denegare. Interim alter cõsulum Caius Claudius suspicatus illorum machinas, surrexit, & in hanc sententiam verba fecit: Non vereor, Virgini, ne me hi coniurationis putent esse participem, quam contra vos & plebem factam dicitis; ideoque vel mihi, vel alicui ex meis velut huic culpæ obnoxio metuentem ad contradicendum vobis exsurrexisse. nam vita anteacta ab hac suspicione plane me liberat. Quod autem senatui populoque Romano bonum & commodum fore censeo, id candide ac libere *nunc* dicam. Longe, vel potius tota via mihi errare videtur Virginius, siquem nostrũ putet negaturum inquisitionem habẽdam de re tam magna atque necessaria, aut magistratus plebeios ad eam inquisitionem admittendos. Nemo tam stolidus est aut iniquus plebi, qui hoc dixerit. Siquis ergo roget quamobrem surrexerim ad impugnanda ea quæ vt iusta concedi posse arbitror, dicam per Iouem, quid sibi mea velit oratio. Ego Patres conscripti, censeo prudentibus diligenter contem-

planda omnium rerum initia & prima consilia. nam qualia hæc fuerint, tales etiam de eis sermones fieri necesse est: age igitur audite quidnam in hoc negotio tribuni sibi ab initio proposuerint, quodue sit eorum consilium. Nihil potuerunt hoc anno efficere eorum quæ superiore frustra conati sunt, vobis æque vt ante resistentibus, & frigescentibus plebis studiis. Hoc illi scientes, cogitauerunt quomodo & vos inuitos sibi cedere cogerent, & populo eandẽ sibi obsequendi necessitatem imponerent. Cum igitur nullam iustam & veram rationem inuenire possent qua vtrumque hoc efficerent, tentatis multis consiliis, & re ultro citroque agitata, tandem huiuscemodi eos subiit consilium: Criminemur coniurasse quosdam ex viris illustribus in plebem vt eam priuent sua potentia, & statuisse iugulare quotquot plebem tuentur. huiusmodi rumores vbi per vrbem aliquamdiu sparserimus, quibus metus facile fidem apud vulgus adstruet, subornemus hominem ignotum qui litteras nobis in multorum præsentia offerat. postea senatum ingressi indignemur & queritemur, reique indicatæ postulemus nobis inquisitionem. Si enim patricii refragẽtur, hac occasione ad populum eos traducemus; atque ita totus populus in illos exasperatus, promptum se nobis exhibebit ad quodlibet obsequium. sin concesserint, pro noxiis arripiemus generosissimum quemque, & maxime nobis aduersum, tam ex senioribus quam ex iunioribus. illi, damnationis metu, aut transigẽt nobiscum, nec se amplius vlla in re nobis aduersaturos promittent; aut cogentur vrbe cedere. exinde aduersarios ad magnam redigemus solitudinem.

XIV. Hæc erant illorum consilia P. C. & in consessu illo quo superioribus diebus consultantes vidistis hic ab eis dolus contra optimum quemque nostri ordinis texebatur, & hos rete contra sacerrimum equitum ordinem nectebatur. Id ita esse perpaucis verbis edoceri potest. Age Virgini, vos quibus tam graue instat periculum, à quibus hospitibus accepistis litteras? vbi habitantibus? vnde vobis notis? aut quomodo consultationes quæ hic fiunt, scientibus? Quid cunctamini? quid vos posthac illos nominaturos pollicemini, ac non potius iamdudum nominatis? Quis vero est qui vobis eas litteras reddidit? quin producitis eum in medium,

dum, vt ab ipso primum exquirere incipiamus, verane sint ista quæ affertis, an vestra figmenta, vt mihi subolet. Iam domestica indicia cum externis litteris *vt vos dicitis* consentientia, quænam sunt, & à quibus facta? quid *rerum argumenta* occulitis, nec in medium profertis? sed opinor eorum quæ nec fiant nec futura sint, nullum inueniri posse documentum. Hæc sunt, P. C. indicia, non coniurationis in istos, sed malitiosi contra nos doli, quem hi clanculum moliuntur; vt res ipsa satis loquitur. In caussa vero estis vosipsi, qui à principio tantum istis permisistis, & magistratus illius insaniam tāta armastis potestate, dum anno superiore passi estis Cæsonem Quintium reum agi falsis criminibus, & tam insignem optimatum propugnatorem vobis eripi siuistis. itaque nihil amplius moderate agunt, nec singulos tantum è nobilitate destinant, sed vno agmine bonos viros conantur ex vrbe pellere. & quod grauissimum est, ne contradici quidem ab vllo vestrum sibi volūt, sed in suspicionem & crimen trahendo, velut clandestinorum consiliorum socios, territant, ac statim osores plebis nominant, & eorum qui hîc dicuntur, indicta ad populum die, rationes ibi postulant. Verum de his alias dicetur opportunius. nunc quia compendio loquendum est, nec contendendum vlterius, ego hos vt ciuitatis turbatores obseruandos censeo, ne dent alicuius magnæ cladis initiū. quod nō solū hic dico clā populo, sed etiā pro cōcione ea qua par est libertate vtar, atq; ostendā nullū eis imminere periculū, nisi malos & dolosos antistites, qui sub amicorū specie moliuntur hostilia. Hæc cū dixisset cōsul, acclamatione ac laudatione à consessu exceptus est, senatusq; dimissus. tribunos nemine morāte amplius. Tū Virginius aduocata cōcione in senatū simul & cōsules inuehebatur: nec Claudius tacuit, sed eadē repetiit quæ in senatu ante dixerat. ac ꝑsuasum est cordatiorib. è plebe, vanū esse timorē; stulti vero maluerūt rumoribus credere: pessimus quisq; & nouarū rerū semper cupidus, de inquisitione nil sollicitus, tantū seditionis & tumultus occasionē quærebat. In tā ꝑturbato ciuitatis statu Appius Herdon. Sabinus, vir nō obscuris natalib. & opib. pollēs, rē Romanā cōuellere aggressus est, siue sibi tyrānidē parās, siue suæ genti imperium & dominatum vindicās, siue gloriosi nominis cupidus. is communicato cum ami-

XV. (margin, beside "documentum. Hæc sunt, P. C. indicia")

XVI. *Ap. Herdonius Capitoliū occupat.* (margin, beside "In tā ꝑturbato ciuitatis statu")

cis consilio, expositoq; aggrediendæ rei modo, vbi rem probari eis sensit, è clientibus & seruis contraxit quos habebat audentissimos: conflatisq; breui tempore quatuor circiter milibus, eos armis, commeatibus & ceteris bello necessariis probe instructos in naues fluuiales imposuit: deuectisq; per Tiberim nauigiis, ad eam Romæ partem appulit in qua Capitolium est, nec toto stadio a profluente distans. erat tunc nox media, & magna per totam vrbem quies: cuius adminiculo ille facta confestim excensione, traductoq; per sacram Capitolii portam (ea ex oraculo quodam patere sinebatur, Carmentalis dicta) milite, Capitolium occupauit; & mox inde in contiguam Capitolio arcem inuolauit; hoc animo, vt occupatis locis munitioribus, exsules reciperet, seruos ad pilea vocaret, obæratis debitorum remissionem polliceretur, tenuiores ciues & ob id iniquos potentioribus, oblata rerum nouandarum occasione, commodorum faceret participes. Animum ei firmamq; successus spem addebat intestina vrbis seditio; qua futurum credebat vt plebs nulla amplius cum patriciis amicitiam nec societatem coleret. quod si primus hic conatus non succederet, tum vero vocare statuerat Sabinorum exercitum Volscorumque, & ceterarum vicinarum gentium quæ inuidioso Romanorum imperio liberari cuperent.

XVII. Sed in totum sua spe falsus est, nec seruis ad eum transfugientibus, nec exsulibus confluentibus, nec inopibus aut obæratis sua commoda publicis præferentibus; externarum quoque gentium quæ sperabat auxiliis exclusis breuitate temporis nã primis *illis* tribus quatuorve diebus cõfecta res est, quæ in magnum metum, grauemq; perturbationem Romanos coniecerat. cum enim occupatis munitionibus, ii qui sedes habebant in vicinia, nec primo statim impetu trucidati fuerant, coorto clamore subito diffugerent, maior pars *populi* quid hoc mali esset nescia, correptis armis & concursu facto, alii editiora vrbis loca, alii patentes areas, (quales in vrbe passim videntur) alii adiacentes campos occuparunt. Defecti vero viribus ætateque fessi, vna cum mulieribus in ędium tecta conuolarunt, inde in hostem pugnaturi *missilibus*; quem iam putabant oppleße loca vrbis omnia. Prima vero luce vbi cognitum est quænam

nam vrbis loca, & à quo occupata essent consules in forum progressi, ad arma vocabant populum. Tribuni concione aduocata negabant obstaturos se bono publico: æquum tamen aiebant vt plebs subitura tam periculosum certamen, sciret sibi propositum certum aliquod præmium. Si, inquiunt, pollicentur vobis patricii, & fidem suam iureiurando obstringunt, se finito hoc bello permissuros vobis vt *decem* viros scribendis legibus creetis, & posthac æquo cum illis iure in republica versemini, adiuuemus eos in liberanda patria quodsi nihil æquum dignantur facere, quid animas nostras periculis pro illis obiicimus, quando nihil inde fructus ad nos rediturum est? Mouerunt hæc plebem; nec iam audire sustinebat alios.

Ibi Claudius censebat nil opus esse talibus auxiliariis XVIII. qui non sponte, sed mercede, eaque immodica conducti, vellent opem ferre patriæ. præstare, ipsos patricios armatis suis & clientum suorum corporibus, & siqui alii se belli socios sponte adiungerent, cum his ad oppugnandam arcem proficisci. quæ manus si parum valida videretur, vocari posse Latinos & Hernicos; & seruis (si id necessitas postularet) libertatem promitti: denique quorumuis opera vtendum potius quam eorum qui tam iniquo patriæ tempore veterum offensarum memoriam refricarent. At Valerius collegæ indignationem cohibebat, ne plebem iam exasperatam, in totum patriciis infensam redderet: admonens cedendum esse tempori; & externo quidem hosti ius opponendum; in ciuilibus autem controuersiis adhibendam moderationem & æquitatem. In huius sententiam cum senatus esset propensior, consul progressus in comitium, orationem, quam appositam & grauem habuit, hoc iuramento clausit: Si plebs cum patriciis alacriter id bellũ susciperet, & res vrbanæ in integrum restitutæ essent, permissurum se tribunis vt legis de æquali iure cœptam rogationem ad populi iudicium ferrent; daturumque operam vt in suo consulatu plebiscita ad finem perducerẽtur. Sed Diis aliter visum; nec promissa præstare valuit, vrgenti iam fatali die. Soluta deinde concione sub vesperam ad præstituta quisque loca concurrebant, vt nomina darent, ducibus, & sacramento se obstringerẽt: totumq; huius diei reliquum & nox insequens tota insumpta est habendis de-

XIX. lectibus. Luce redeunte consules adscitos sibi ordinum ductores sacris signis præfecerunt, confluente & agresti multitudine: & celeriter instructis omnibus, consules diuisis copiis sortiti sunt munia. Claudio sors excubias ante mœnia dedit, vt caueret nequa externa auxilia obsessis intus succurrerent. omnes enim maximum fore motum suspicabantur, ac metuebant ne omnes vna hostes in se consurgerent. Valerio arcis oppugnationem sors obtulit. Sed & ceteris munitionibus sui præfecti sunt duces, vt internas vrbis partes insiderent: infessæ item viæ ferentes in Capitolium, ne seruitia vel inopes plebeii ad hostem transfugerent; qui metus tunc erat non minimus. Auxilium à sociis nullum venit in tempore, nisi à solis Tusculanis, qui eadem nocte tum cladem audierant, tum se ad ferendas suppetias instruxerant, duce Lucio Mamilio viro impigro; qui tunc summum apud eos magistratum gerebat; hosque solos in partem periculi assumpsit Valerius, vsusque est egregia eorum opera & studio in recipiendo Capitolio. Oppugnabatur autem arx vndique. nam alii è propinquis ędibus vasa bitumine piceque referta, fundisque aptata & incensa, in eam eiaculabantur. alii congestis sarmentorum fasciculis, exstructisque celsis sub rupem suggestis, mox accendebant ipsam congeriem, permissis secundo vento flammis. atqui fortitudine præstabant ceteris, densatis ordinibus, per aduersum cliuum & viam manu factam in arcem tendebant. his nec numerus proderat, quo longe superabant hostem; (per angustam enim viam ascensus erat, in qua & lapidatores multi adeuntes impetebant, & parua manus numerosam vim sustinere poterat) nec item longo bellorum vsu ad perferendas ærumnas confirmata tolerantia per ardua nitentes adiuuabat. neque enim statariis conflictibus audentiam & robur animi ostentare poterant; sed eminus pugnandum erat. adhæc etiamsi ictus aliquos in sublime inferrent, erant tamen illi, vt credere par est, tardi & inualidi, contra è sublimi immissa, & citius & validius feriebant, adiuuante iactum pondere. non defatigabantur tamen oppugnatores, sed aduersus duram necessitatem perdurabant in continuis die nocteque laboribus. tandem telis & viribus obsessos destituentibus, arx vi capta est, oppugnationis die tertia. In eo certamine multi ex Roma-

nis viri

nis viri fortes ceciderunt;omnium autem confessione fortissimus ipse consul: qui multis vulneribus acceptis, non tamen destitit, donec muros scandenti saxum ingens impactum vitam simul ademit & victoriam. Arce capta Herdonius, vir robustus & manu strenuus, edita prius incredibili circum se strage, obrutus telis periit. Ceteri qui cum eo Capitolium occupauerant, pauci viui capti; maior pars seipsos iugulauerunt, aut per rupes præcipitauerunt.

XX. *Turbæ domi recrudescũt.*

Finito hoc siue bello siue latrocinio, statim tribuni intestinam seditionem renouauerunt, postulantes à superstite consule quæ collega ipsius Valerius in pugna interemptus de lege ferenda promiserat. Claudius trahebat aliquã-diu tempus, nunc lustrationibus vrbis, nunc sacrificiis ad agendas Diis gratias; interdum etiam ludis & spectaculis oblectans populum. tandem consumptis omnibus tergiuersationibus, opus esse dixit vt alius in defuncti locum subrogaretur. quod enim à se vno ageretur, nec legitimum nec ratum futurum: quod vero ab ambobus, id demum & legitimum futurum,& pondus habiturum. Hac caussatione repulsis tribunis, diem indixit comitiis quibus collegam crearet. interim proceres senatus clam inter se consultauerunt cui consulatum mandarent. die comitiorum, cum per præconem citata esset prima classis, intrarunt in præstitutũ locum tum octodecim equitũ centuriæ, tum octoginta centuriæ peditum maximi census, & consulem elegerunt Lucium Quintium, cuius filium *Cæsonem* tribuni in discrimen capitis adductum vrbem deserere coegerant. reliquæ classes ne citatæ quidem sunt ad suffragia, quod tribus centuriis vincerentur ab iis qui suffragia iã dederant. Ingratũ id plebi fuit;quasi infensum habituræ consulem. Senatus misit ad Quintiũ qui eum in vrbem ad magistratum sumendum adducerent. forte fortuna tunc noual ad sementem subigebat, scindentes aruum buculos ipse sequens, sine tunica, solo succinctus subligari, & caput tectus pileo. vbi vero cateruam hominum vidit rus suum petere, inhibito aratro aliquantisper dubitauit quinam essent, quidue sibi aduentus eorum posceret: deinde à *viatore* præcurrente alios monitus vt se ornaret melius, sumpta intra tugurium veste prodiit *obuiam venientibus.* Ibi

qui arcessitum eum venerant, omnes *vno ore*, non nomine suo, sed consulem salutant; & iniecta veste purpurea, securibusq; ac ceteris magistratus insignibus assistere iussis, rogarunt vt se in vrbem sequeretur. Obticuit ille paulisper, ac *demum* effusis lacrymis; Ergo, inquit, hoc anno agellus mihi non seretur, & de victu periclitabimur. Deinde vale vxori dicto, iussaque rei familiaris curam gerere, in vrbem abiit. Quod ideo mihi dictum est, vt omnes videant quales tum populus Rom. habuerit præsides, manibus suis victum quærentes, temperatos, nec grauatim innocentem paupertatem ferentes; adeo non affectantes regiam potestatem, vt etiam vltro oblatam renuerent. Sic enim apparebit quam dissimiles illorum sint nostri seculi homines, longe diuersa sequentes studia; præter admodum paucos qui adhuc imperii dignitatē sustinent, & priscorum ex-
XXI. empla conseruant. Sed vt ad rem propositā reuertamur, Quintius cumprimum magistratum iniit, tribunorum ardorem in ferenda lege introducendisque nouis institutis, compescuit vna denuntiatione, se, ni turbare rempublicam desinerent, indicta ciuibus militia, omnes in Volscos educturum. cumq; tribuni se intercessuros dicerent quominus delectus haberentur, aduocata concione commonefecit omnes militaris sacramenti, quo singuli promisissent secuturos se consules ad quodcumque vocarentur bellum, nec deserturos signa, nec quidquam contra populi maiestatem commissuros: & quia consularem potestatem accepisset, omnes sibi iureiurando adstrictos esse. Hæc locutus, iuratusque se legibus animaduersurum in detrectantes imperium, signa è templis proferri iussit. ac, ne speretis, inquit, vllam vobis seducendæ plebis occasionem me consule futuram, iam nunc prædico vobis, non deducturum me ex hostico exercitum, nisi exacto toto magistratus mei tempore. quapropter parate vos vt in castris hibernaturi. His verbis cum illi territi & modestiores facti, militiæ remissionem peterent, respondit se requiem à bellis ea conditione ipsis daturum, vt nihil amplius mouerent, sed se pro arbitratu imperium gerere sinerent, ad reddendum cuiq; ius
XXII. suum. Tumultu *hoc pacto* sedato, iudicia multis annis extracta petentib. reddidit, & plerasq; causas ipse ex ęquo bonoq; diiudicauit, tota die pro tribunali sedens, facilemque,
lenem

lenem & humanum se præbens iis qui ad caussam dicendam venirent: adeoque plausibilem reddidit optimatium potentiam, vt pauperes, ignobiles, & alioquin humiles, à potentioribus pressi, tribunos non requirerent, nec nouas leges de iure æquando desiderarent; sed præsenti reipublicæ statu, in quo bonæ leges ita vigerent, contenti ac læti essent. In his actionibus magna cum laude magistratu exacto, maiorem etiam meruit, quod in tanta potestate retineri noluit; quamuis multum rogante senatu, vt esset qui obsisteret tribunis iam tertium annum in eodem magistratu permanentibus, nec noua instituta in rempublicam inuehere cessantibus; vir venerandus æque ac metuendus, & quem plebs vt virum optimum non recusaret ferre consulem. Sed ille se nec tribunos probare dixit, qui magistratu non decederent, nec se admissurum vt in similem reprehensionem ipse incideret: aduocatoque in concionem populo, prolixè in eos inuectus qui magistratum non deponerent, persanctè iurauit non accepturum se denuo consulatum, nisi priore deposito; simulque diem indixit comitiis; & designatis consulibus, in suum se recepit tuguriolum, ac vt ante, suis manibus victitauit. Quinto Fabio Vibulano tertium, Lucio Cornelio consulibus, dum ludi ab eis ritu patrio celebrantur, Æquorum manus ad sex milia, viri selecti, & leui armatura instructi, nocturno itinere peruenerunt Tusculum Latini nominis vrbem, non minus centum stadiis Roma dissitam; repertisque (vt in *alta* pace) patentibus portis & incustoditis mœnibus, primo impetu eam ceperunt, infensi Tusculanis, quod constantes in fide populi Romani, præter alia officia, in Capitolio recuperando soli tulissent opem. multi ciuium ea oppressione perierunt: sed maior pars ad primam irruptionem per *auersam* portam effugit, quos non vel morbus retinuit vel senium. mulieres & pueri, mancipiaque, in prædam cesserunt cum pecuniis. Vbi verò fuga elapsi cladem eam Romam nuntiauerunt, consules exsulibus confestim ferendam opem & restituendam patriam censuerunt: sed rursus obstabant tribuni, nec conscribi sinebant copias ante quàm de legibus ferrentur suffragia. Eam expeditionis moram molestè ferente senatu, alii superuenerunt à Latinis nuntii, de Antiatium defectione; in

XXIII.
A.V.C.295. conss. Q. Fabio III, & L. Cornelio, bellum cum Æquis & Volscis.

quam omnes palam oppidani consenserant, non modo Volsci, prisci eius vrbis incolæ; sed etiam *nouelli* Romanorum coloni, quibus sedes ibi assignata erat, & agri portio. Hernici quoque eodem tempore nuntiabant, Volscos & Æquos magna manu egressos iam agros suos populari. Tot nuntiis sollicitatus senatus, decreuit non morandum amplius, sed cum omnibus copiis occurrendum hosti, & mittendum in bellum vtrumque consulem: habendumque pro hoste, siquis ciuis sociusve nomen in eam militiam dare detrectaret. Ibi cum & tribuni cessissent, consules conscripserunt quidquid erat ætate militari; accitisque
XXIV. etiam sociorum auxiliis, mox profecti sunt, relicta domi adcustodiam tertia parte vrbanorum militum. Fabius contra Æquos properauit Tusculum. sed horum maior pars oppido direpto iam discesserat: pauci ad arcis custodiam remanserant, est enim arx illa munitissima, nec indiget magno præsidio. Hos præsidiarios quidam aiunt, cum exercitum Roma egredientem vidissent, (liquido enim ex arce illa conspici potest quidquid locorum interiacet) vltro decessisse præsidio: alii, à Fabio expugnatos præsidium ex compacto dedidisse, & sub iugo dimissos esse liberos. Fabius, reddito ciuibus Tusculo, sub vesperam quanta celeritate potuit, in hostem inde mouit, audito ad Algidum esse totum Volscorum Æquorumque exercitum: & continuato per totam noctem itinere, sub lucem se ostendit hostibus in *patente* campo statiua habentibus sine fossa & vallo, vt qui in suo solo nihil sibi ab hostibus timerent. Ergo suos ad rem fortiter gerendam cohortatus, primus cum equitibus in hostium castra fecit impetum: quos mox sublato clamore secuti sunt pedites. Ibi nonnulli etiamtum cubantes cæsi sunt, quidam surgentes & conantes resistere: maxima pars diuersa fuga saluti suæ consuluit. Captis nullo negotio castris, concessa militi præda vniuersa, exceptis captiuis Tusculanorum corporibus, non diu hic moratus duxit Ecetram, quæ tum clarissima Volscorum erat, & optimo loco sita: positisque prope vrbem castris, per aliquot dies dimicationem exspectauit. vbi cum nemo prodiret in aciem, agrum populatus est, refertum hominibus & pecoribus nam repentina incursione præuenti, res suas ex agris *in loca tutiora* comportare ne-

tare nequiuerant. Ea quoque præda militibus concessa, multis diebus in populationes insumptis, tandem domum reduxit exercitum. Alter consul Cornelius Antium contra Volscos & Romanos eductis copiis, offendit exspectantes se in finibus. cum quibus congressus, multis cæsis, reliquis in fugam versis, castra oppido admouit. cumque oppidani non auderent amplius ad pugnam prodire, excisis primum toto agro arbustis, demum fossa & vallo vrbem cingere instituit. ita necesse habuerunt hostes rursum totis viribus in aciem progredi. sed incondita multitudo non diu pugnam sustinuit, rursum coacta intra mœnia turpiter refugere. Consul vero nullam eis respirationem concedens, scalas admouit mœnibus, & portas discussit arietibus: fractisque labore propugnatoribus, non magno negotio vi in oppidum penetrauit. vbi quidquid auri, argenti, æris, pecuniarumque inuentum est, in ærarium referri iussit, & captiuos cum reliqua præda *sub hasta* vendi à quæstoribus: militibus vestis cessit, & cibaria, & cetera huius generis emolumenta. deinde vbi præcipuos tum ex colonis tum ex veteribus Antiatibus defectionis auctores fuisse comperit, (quorum magnus erat numerus) virgis aliquamdiu laceratos, tandem decollari iussit. His gestis & ipse domum reduxit copias. Venientibus consulibus senatus iuit obuiam, & ambobus triumphum decreuit. XXV.

Æquis per legatos pacem petentibus, pax his conditionibus data est: vt retentis oppidis suis & agris, quos tum cum fœdus fieret, tenerent, parerent Romano imperio; immunesque à tributis ceteris, tantum bello quantacumque auxilia mitterent ex fœdere, quemadmodum & reliqui socii. atque ita hic annus abiit. Sequentis anni consules, Caius Nautius iterum, Lucius Minucius, inito magistratu, aliquamdiu intra mœnia de iure ciuili conflictati sunt cum Aulo Virginio & ceteris tribunis, qui iam quartum annum eundem magistratum obtinebant. Deinde vicinis gentibus bellum vrbi mouentibus & imperium in discrimen adducentibus, consules libenter occasionem à fortuna oblatam arripuerunt: habitoque delectu, & accitis sociorum auxiliis, trifariam diuiserunt copias. partē vnam in vrbe reliquerunt, cui præerat Quintus Fabius Vibulanus. cum reliquis duabus ipsi ocius profecti sunt, in Sabinos Nautius, in Æquos Minucius. ambę enim

XXVI. *A.V.C.296 cōss. C. Nautio II. & L. Minucio, turbæ domi, ac foris bellum cum Æquis & Sabinis.*

hæ gentes vno eodemq; tempore defecerant ab imperio: Sabini, propalam; & Fidenas vsque cum exercitu venerāt; (quod oppidum Romanis parebat, quadragesimo ab vrbe stadio dissitum) Æqui, verbis quidem pacta recens inita seruabant, sed factis & ipsi se gerebant hostiliter. Latinos enim populi Romani socios bello lacessiuerant, quasi nullo sibi coniunctos fœdere. cuius expeditionis dux erat Gracchus Clœlius vir industrius; qui delatum ad se gentis imperium proxime regiam potestatem euexerat. is enim progressus cum exercitu vsque Tusculum, quod ab Æquis superiore anno captum & direptum Romani ex hoste receperant, hominum & pecorum abegit quidquid per agros corripere potuit, segetesque iam tum maturas corrupit. Ad eum cum legati à senatu Romano venissent, causam quæsituri cur Æqui infestarent populi Romani socios post recens fœdus nulla iniuria lacessiti; Clœliumque hortaturi vt dimissis captiuis Tusculanis exercitū abduceret, & ob illatas Tusculanis iniurias ac damna iudiciū subiret, diu simulans occupationes, ne ad colloquium quidem legatos admisit. tandem vbi visum est admittere, mādatis senatus expositis: Miror vos Romanos, inquit, cum ipsi omnes pro hostibus habeatis, etiam à quibus læsi non estis, tantum imperandi & dominandi cupidine; non permittere Æquis vt ab his Tusculanis inimicis suis pœnas exigant; cum tamen illis non sit cautum in fœdere vobiscum inito. Si ergo vobis priuatim iniuriam aut damnum à nobis illatum conquerimini, iudicium ex pacto subibimus: sin Tusculanis pœnas poscitis, non à me sed ab ista fago petite. quæ dicens, ostendit eis fagum in propinquo

XXVII. stantem. Affecti hac contumelia Romani non statim per indignationem eduxerunt exercitum; sed iterum legatos ad eum miserunt cum fetialibus, qui Deos geniosque testarentur, se iure suo frustratos, iusta piaque arma coactos sumere: ac tum demum consulem *cum exercitu* emiserunt. Gracchus cognito Romanorum aduentu motis castris cum exercitu perrexit vlterius, sequentibus è vestigio hostibus, vt in eiusmodi eos loca pertraheret vbi ipse futurus esset potior: quod & euenit. obseruata enim conualle quadam angusta & montibus cincta, postquam Romanos persequendi studio ingressos in eam vidit, verso agmine,

agmine, ad viam quæ extra conuallem fert, castra locat. quo factum est vt Romani non quem vellent locum castris caperent, sed quem dabat ratio temporis; vnde nec equis pabulum petere commode poterant, loco nudis & asperis montibus circumcluso, nec sibi ex hostico alimenta comportare, absumptis commeatibus quos domo attulerant, neque castra transferre licebat obsessis ab hoste exitibus. Cumque acie instructa vi perrumpere conarentur, reiecti sunt acceptis multis vulneribus, & in sua castra compulsi. Quo successu elatus Clœlius, fossa eos & vallo circumdare aggressus est, sperans fame pressos deditionem facturos. His Romam nuntiatis Quintus Fabius præfectus vrbis selectum copiarum suarum robur in auxilium misit consuli, ductu Titi Quintii quæstoris & viri consularis. deinde ad alterum consulẽ Nautium, qui cum exercitu in Sabinis erat, misit litteras, significans quid accidisset Minucio, rogansque vt ipse veniret celeriter. Ille commissa legatis castrorum cura, cum ceteris equitibus Romam citato cursu properauit: & profunda adhuc nocte vrbem ingressus, consultauit cum Fabio senioribusq; quidnam facto esset opus. & quia videbatur omnibus tempus dictatorem poscere, ad magistratum eum designauit Lucium Cincinnatum: atque his peractis retro ad suum exercitum abiit. Præfectus vrbis Fabius misit qui ad imperium Quintium adducerent. is forte tum quoque tractabat opus quoddam rusticum: & conspecta accedentium turba, suspicatus eam ad se venire, sumpta veste paulo decentiore, processit eis obuiam. cumque appropinquasset, oblati sunt ei equi decoris ornati phaleris, assistere iussis viginti quatuor lictoribus cum virgis & securibus, oblatæ item vestes purpureæ, & reliqua insignia quibus olim regum imperium exornabatur. Ibi videns se creatum esse dictatorem, adeo non delectatus est hoc honore, vt etiam indignabundus dixerit, Peribit ergo & huius anni fructus propter meas occupationes, & male esuriemus omnes. Deinde vrbem ingressus, ciues iussit bono esse animo, oratione vsus apud populum quæ deiectos animos spe bona posset erigere. mox coactis tam ex agro quam ex vrbe quotquot essent ætate militari, accitisque sociorum auxiliis, magistrum equitum dixit Lucium Tarquinium, vi-

XXVIII.

4. Dictator L. Quintus Cincinnatus.

rum neglectum quidem ob paupertatem, sed bello strenuum: conflatisque istis copiis, vbi quæstorem Titum Quintium attigit, qui aduentum eius exspectabat, assumpto illius etiam milite, admouit ad hostem exercitum. Vbi vero satis perspexit locorũ naturam in quibus castra erant, partem exercitus in sublimi collocauit, qui prohiberent ne qua Æquis noua auxilia commeatusve submitterentur: reliquos ipse produxit in aciem. Nec Clœlius pugnam detrectauit, vt qui non contemnendum circa se haberet exercitum, ipse vir magnanimus, nec bello ignauus. dimicatum est acriter: tandem Romanis continua bellorum assuetudine laborem facile ferentibus, & equitibus quacumque parte laboraretur succurrentibus, Clœlius expugnatus in castra sua concluditur. Post hæc Quintius eum circumdedit vallo excelso, & crebris circumcirca turribus distincto; & quia commeatus inopia laborare illum norat, tum ipse continuo incursu vallum Æquorum impetiuit, tum Minucium ex altera parte cum suis inuadere iussit: ita vt Æqui & commeatu destituti, & auxilii spe frustrati, vrgentibus vndequaque hostibus, sumpto supplicum habitu, legatos ad Quintium de pace acturos mitterent. Ille respondit, se ceteris quidem Æquis pacem daturum, liberosque dimissurum, si positis armis singuli subire iugum vellent: Gracchum vero belli ducem, cum reliquis defectionis auctoribus, vt hostem tractaturum: iussitque eos vinctos sibi dederent. Quibus annuentibus, illud insuper *mulctæ nomine* imposuit vt cum Tusculanos, populi Romani socios, nulla iniuria lacessiti capto & direpto oppido, in seruitutem abegissent, vicissim sibi è suis oppidis Corbionem traderent eodem tractandam modo. Cum his responsis legati dimissi, paulo post reuersi sunt Gracchum vinctum adducentes cum ceteris defectionis sociis: ipsi deinde positis (vt imperator mandarat) armis, relictis suis castris, per Romana castra sub iugo transierunt; & Corbionem ex pacto dediderunt; hoc vno postulato, vt ingenuis *antequam oppidum diriperetur*, liceret excedere: pro quibus Tusculanos captiuos ex permutatione dimiserunt.

XXIX. (margin, at "tur: reliquos ipse produxit in aciem")

XXX. Quintius accepto oppido, quod è præda lectissimum erat, Romam deferri mandauit; reliqua omnia per centurias diuidenda reliquit, tum iis qui secum venerant, tum iis qui

cum quæstore Tito Quintio præmissi fuerant: at iis qui cum Minucio consule in vallum conclusi fuerant, magni muneris loco esse debere dixit, quod ipsos morti subtraxisset. His rebus gestis, & magistratum deponere coacto Minucio, reuersus est in vrbem clariore triumpho quam vllus ducum *ad eam diem*, intra sextumdecimum diem ex qua magistratum acceperat, seruatis Romanorum castris, superato valido hostium exercitu, vrbe quoque hostili direpta & præsidio munita, catenatum præ se agens belli ducem cum aliis captiuis illustribus. Et quod maximam meretur admirationem, cum summam potestatem in sex menses accepisset, non vsus est toto legis beneficio, sed vocato in concionem populo, redditaque rerum gestarum ratione, magistratum eiurauit. cumque senatus vellet vt ex agro armis parto quantum liberet caperet, mancipia item & pecunias è præda sibi sumeret, iustisque opibus, quas suo labore ex hostibus honestissime cõquisisset, paupertatem corrigeret; amicis quoque ac gentilibus priuata munificentia hominem ornare volentibus, & nihil magis cupientibus quam talem virum videre diuitem, noluit quidquam eorum quæ offerebantur accipere, sed laudata illorum erga se propensa voluntate, recepit se in suum prædiolum, operariamque sibi vitam pro regia resumpsit, magis sibi paupertate placens quã alii homines diuitiis. Nec multo post alter consulum Nautius, acie victis Sabinis, & agro eorum magna ex parte vastato, reduxit domum copias. Hos secuta est 81. Olympias, qua in stadio vicit Polymnastus Cyrenensis, principe Athenis Callia; quo anno Romæ Caius Horatius, Quintus Minucius facti consules. Horum consulatu Sabini rursum cum copiis egressi, magnam agri Romani partem deuastarunt; & profugi agrestes, agminatim in vrbem venientes, nuntiabant occupata omnia quæ inter Fidenas & Crustumerium interiacerent. Æqui etiam nuper deuicti, arma resumpserũt: & misso per noctem iuuentutis robore, Corbionis (quod oppidum superiore anno Romanis dediderant) præsidiũ sopitum inuaserunt atq; interfecerunt, exceptis paucis qui forte aberant. ceteri magno numero egressi, Ortonẽ Latini nominis oppidũ primo impetu ceperunt, & iram quam

XXXI.
A.V.C 297
Olymp. 81.
conss. C. Horatio, Q. Minucio, turbæ domi, ac foris bellum cum Æquis & Sabinis.

in Romanos non poterant, effuderunt in socios, cædibus sæuiendo in omnes quotquot pubertatem attigissent, nisi siqui inter primam statim trepidationē elapsi essent: mulieres vero, pueros, & senes, captiuos abduxerunt; & conuasata propere, quantam ferre possent, præda, prius quam à Latinis populis succurreretur, in tutum se receperunt. Quæ cum vna tum à Latinis tum ab his qui è præsidio euaserant, in vrbem renuntiarentur, decreuit senatus emittendum esse cum copiis vtrumque consulem. At Virginius cum collegis, iam quintum tribuni plebis refecti, delectus impediebant, quemadmodum annis superioribus; intestinum bellum prius finiri postulantes, & legem de æquando *ciuium* iure latam, ad populi cognitionem referri, plebe quoque multas cum illis inuidiosas voces in senatum iactante. Cumque tempus extraheretur, & neque consules de lege ad populum referenda senatusconsultum vrgerent, neque tribuni vel educi vel conscribi copias sinerent, nil proficientibus orationibus & expostulationibus, quas alteri aduersus alteros tum in curia tum in comitio frequentes instituebant, tribuni senatum nouo instituto circumuenerunt; quod tum quidem seditionem in vrbe sopiit, sed in posterū multas & magnas plebi ad augendam potentiam occasiones præbuit. Hoc quoque potentiæ incrementum vt plebi obtigerit, referre libet.

XXXII. Dum Romanorum æque ac sociorum agri popularentur, hosteo omnia ceu deserta peruastante, nec quidquam metuente ne Romani cum exercitu occurrerent, quippe qui intestina seditione laborarent, consules senatum coegerant, quasi extremum hoc de rerum summa consultaturi. Vbi cum habitis aliquot orationibus ad sententias rogandas ventum esset, primus Lucius Quintius, qui superiore anno dictator fuerat, vir non belli solum verumetiam pacis artibus ætate sua clarissimus, dixit pro sententia quod maxime tum tribunos tum ceteros ciues mouit: actionem illam de lege cognoscenda, quandoquidem in præsentia aliæ res magis vrgeant, differendam in tempus opportunius. bellum vero quod sit præ manibus, & tantum non in vrbem ipsam incumbat, propulsandum totis viribus, nec committendum vt imperium maximis laboribus partum, turpiter amittatur per ignauiam. Quodsi plebis opera ad

ad tuendum impetrari non poſſit, debere patricios vna cum clientibus, & ſiqui alii ciues ad pulcherrimum hoc pro patria certamen ſe ſponte offerant, alacri animo in hoſtem pergere, inuocatis ad præmonſtrandam belli viam Diis vrbis cuſtodibus. fore namque vt è duobus iuſtiſſimis & honeſtiſſimis alterutrum conſequantur, aut victoriam omnibus tum ſuis tum maiorum rebus geſtis clariorem, aut in forti certamine mortem honeſtiſſimam. huic tam honeſto periculo neque ſe defuturum, ſed æque ac valentiſſimum quemque interfuturum prœlio, idemque facturos omnes ſeniores, quibus libertas cordi ſit ac bona fama. In hanc ſententiam vbi à ceteris omnibus itum eſt, XXXIII.
nec fuit qui contrarium diceret, concionem aduocarunt conſules. Ad quam confluente populo, vt rem nouam audituro, progreſſus in medium alter Conſul Caius Horatius, conabatur perſuadere plebi vt hanc quoque expeditionem volens ac libens ſuſciperet. ceterum tribunis reclamantibus, & plebe illis adhærente, rurſum progreſſus conſul, Rem egregiam, inquit, & mirificam feciſtis, Virginii, diuulſa à ſenatu plebe: &, quantum in vobis eſt, actum eſt de imperio ceteriſque commodis quæ vel à maioribus accepimus, vel noſtris laboribus nobis hucuſque peperimus. nos tamen non ſinemus hæc nobis eripi ſine *ſudore ac* puluere; ſed ſumptis armis vna cum aliis ciuibus, qui patriam cupiunt incolumem, ibimus cum bona ſpe in prœliũ: &, ſiquis Deus curat iuſta & præclara certamina, & fortuna quæ hanc vrbem iam multos annos prouehit, nondum eam deſtituit, hoſtes ſuperabimus. quod ſi numen aliquod obſtat, nec ſaluam rempublicam vult, non tamen propterea nos pium patriæ ſtudium deponemus, ſed omnium honeſtiſſimam pro ea mortem oppetemus. vos interim domi cum mulierculis manete generoſi plebis præſides, nobis deſertis vel potius proditis; quibus nec, ſi vicerimus, honeſte, nec, ſi ſucceſſu caruerimus, tuto licebit viuere. niſi forte frigida illa ſpe attollimini, fore vt exſtinctis patriciis, vobis parcant hoſtes, & agnito hoc beneficio, vos patria, libertate, imperio, & ceteris omnibus bonis quibus nunc fruimini, frui ſinant; quibus vos, cum mente adhuc ſana eſſetis, multos agros ademiſtis, multaſque vrbes abductis ciuibus euertiſtis, tot-

que & tanta hostilitatis contra eos tropæa & monumenta statuistis, vt ne æternitas quidem omnis ea sit abolitura. Sed quid plebem hoc nomine increpo, quæ numquã spõte malitiosa fuit; ac non potius vos Virgini, qui hos præclaros mores in ciuitatem inuehitis? nos certe, quos celsos animos sumere cogit necessitas, semel decreuimus, nec est quod nos impediturum sit, pro patria dimicare: vos desertores & proditores reipublicæ meritas Diis vltoribus pœnas dabitis: ac, si forte hominũ pœnas effugeritis, Deorum tamen vindices manus effugere non poteritis. Nec territandi *tantum* gratia hæc à me dici existimetis. certo enim scitote, eos nostrum qui relicti hic fuerint ad vrbis custodiam, si hostes victores fuerint, eam quæ ipsos deceat mentem habituros. nam cum barbaris quibusdam ab hoste victis in mentem venerit coniuges, liberos, & tecta victoris libidini subtrahere, ac potius hæc incendere, illos iugulare; putatis Romanos, quibus hæreditarium est aliis imperare, non idem de sese consulturos? non erunt adeo degeneres, sed facto à vobis inimicissimis initio, tum demum manus conuertent in carissimos. Huc versis oculis
XXXIV. *atque animis* conciones habete, & nouas leges ferte. Hæc & multa his similia locutus, produxit seniores patrum flentes. quibus conspectis, magna plebis pars nec ipsa sibi à lacrimis temperare potuit. itaque vehementer motis affectibus ætate ac dignitate virorum, consul post interpositum breue silentium: Non pudet vos Quirites, inquit, nec sub terram vos abditis, dum hi senes pro vobis iuuenibus arma sumere parant? poteritisne hos duces deserere, quos patres semper appellastis? ô miseri, ac ne Quiritium quidem nomine digni aut hac patria, cuius conditores parentes suos gestauerunt humeris, Diis per armatos hostes & incendia tutam viam præbentibus. Tum Virginius, vt vidit flecti plebem his sermonibus, veritus ne vel se inuito id bellum vna cum patriciis susciperet, progressus in medium; Neque deserimus vos, inquit, patres, neque prodimus, nec vos deseruerimus, vt neque antehac nos vlli expeditioni subtrahere cupiuimus, immo & viuere vobiscum volumus & pati quidquid Deo libuerit. Sed cũ semper promptam vobis operam nauauerimus, mediocrẽ à vobis gratiam reposcimus; vt quemadmodum communia pe-

nia pericula ex æquo vobiscum sustinemus, ita etiam æquo vobiscum iure degamus, constitutis legibus libertatis custodibus, quibus omnes vtamur in posterum. quod si hoc vobis displicet, neque ciuibus vestris hanc præstare gratiam vultis, sed capitale existimatis plebi æquale ius concedere, desinemus vobiscum contendere; atque aliud à vobis petemus beneficium; quo impetrato, forsan non opus erit nouis legibus. Veremur autem ne hoc quoque nobis negetur; quod *tamen* nullo senatus detrimento concedi potest, & plebi erit gratum atque honorificum. Ibi cum dixisset consul, si tribuni actionem istam senatui permitterent, nullam eis iustam petitionem denegatum iri, iussissetque effari quid peterent; Virginius pauca prius cum collegis collocutus, ait se apud senatum dicturum. ac mox coacto à consulibus senatu, ingressus, secum priuilegia plebis deferens, petiit plebeii magistratus numerum duplicari, & posthac quotannis pro quinque tribunis creari decem. Id ceteri patres nihil reipublicæ incommodare censebant, ac sine vlla refragatione concedi posse iudicabant, præeunte sententiam Lucio Quintio tum principem auctoritatem in senatu obtinente. Solus contradixit Caius Claudius Appii filius, eius qui semper plebis postulatis, si iniqua essent, aduersatus fuerat: qui tum in aliis actionibus publicis paterna vestigia sequebatur, tum in consulatu suo impedierat ne tribunis in equites coniurationis per calumniam insimulatos permitteretur inquisitio. Is breui oratione docebat, plebem duplicato magistratus numero, nec moderatiorem nec meliorem futuram, sed dementiorem potius & insolentiorem. futuros enim tribunos, non sumpturos magistratum certis conditionibus, intra quas sese continerent, sed rursus verba facturos de agris diuidundis & communicandis honoribus, omnesque ex ordine scrutaturos quibus tum dictis tum factis plebis potentiam proueherent, & senatus honores imminuerent. XXXV.

Nec parum eius oratio mouit magnam senatorum partem. Sed eos à sententia deduxit auctoritas Quintii, ostendentis in rem senatus esse augeri tribunorum numerum. minorem enim inter plures quam inter paucio-res fore concordiam: vnum esse reipublicæ remedium, quod Appius Claudius Caii pater primus viderit, si XXXVI.

x tribuni plebi ex S.C. concessi.

dissidium sit in eo collegio. Hac sententia probata S.C. factum est, licere plebi decem tribunos quotannis creare, sed neminem ex iis qui tunc magistratū gererent. Id S.C. Virginius & collegę promulgarunt, & sancita super eo lege, decem tribunos in sequentem annum designarunt. Ita seditione composita, consules habito delectu prouincias sortiti sunt: Minucio Sabinum bellum obtigit, Horatio Æquicum. moxque in hostem perrexerunt ambo. Sabini intra oppida sese continentes, omnia per agros agi & ferri patiebantur: at Æqui mittebant qui hosti occurrerent qui licet fortissime dimicarent, non potuerunt tamen Romanorum vires frangere, sed in oppida sua recedere sunt coacti, amisso illo oppidulo pro cuius mœnibus pugnatum fuerat. Horatius *quoque* hoste profligato, magnaque agri parte peruastata, demum Corbionis tum mœnia tum priuata ædificia funditus euertit; atque ita reduxit exercitum.

XXXVII

A.V.C.298 conss. M. Valerio, Sp. Virginio, quies foris turba domi.

Anno sequenti Marco Valerio, Spurio Virginio consulibus nullum Romanis bellum externum fuit; sed domi contentiones recruduerunt inter tribunos & consules, qua conflictatione tribuni consulari potestati nō nihil detraxerūt. nam antea concionū duntaxat ius penes tribunos erat: senatum conuocare aut sententiam dicere eis non licebat, sed consulum is honos fuit. huius anni tribuni primi senatum conuocare aggressi sunt auctore Icilio, qui eius collegii princeps erat, vir gnauus & pollens Romana facundia. nam is quoque ausus est aliquid nouare in republica, locum plebi ad ædificandum postulans, Auentinum collem. is collis modicæ altitudinis, intra mœnia situs, ambitu suo complectitur stadia non minus duodecim, nec totus tunc habitabatur, sed nemorosus erat & publicus. Hoc institutum persequens tribunus, cius anni consules & senatum adiit, rogans vt senatus de lege ista consultaret & ad populum referret, quibus rem differentibus, misso apparitore iussit consules ad collegium sequi, & senatum conuocare. quem apparitorē cum vnus è lictoribus iussu *consulū* pepulisset, Icillius cum collegis indignatus, correptum lictorē abduxit, quasi de rupe *Tarpeia* deturbandū. nec consules, tametsi grauiter eam contumeliā ferentes, vim moliri aut hominē eripere potuerunt: tantum ceterorū tribunorū opem inuocabant. quod enim eis

eius collegii sententia fit, nemini inhibere nec vetare licet, nisi alii tribuno. sed iam ante inter eos conuenerat, nequis priuato consilio nouum aliquod institutum inueheret, nisi idem toti collegio probaretur; nec vllus vlli actioni intercederet, sed quod plurium sententiis approbaretur, id ratum esset: & in hæc mox ab initio magistratu inter sacra coniurauerant; sic maxime rati fore inuiolabilem suam auctoritatem, si dissidium è collegio tolleretur. Hanc ergo coniurationis legem secuti, consularis imperii stipatorem abduci iubebant, de communi collegarum sententia id fieri dictitantes. non tamen in ea perstiterunt ira, sed supplicium hominis condonauerunt senioribus patrum deprecantibus; veriti etiam rei inuidiam, quod primi morte mulctarent hominem, qui magistratus iussa fecisset; & timentes ne per hanc occasionem ad extrema audenda patricii necessario se verterent.

Post hoc factum coacto senatu, consules grauiter accusauerunt tribunos. Pro quibus respondit Icilius, excusans iram in lictorem, & sacratas leges *pro se* afferens, quæ neque magistratui neque priuato concederent quidquam tribuno aduersari. Ad senatus conuocationem quod attineret, ostendit se nihil fecisse absurdi; multas & varias ad id probandum meditatus rationes. Dilutis his accusationis capitibus, mentionem legis intulit. Erat autem huiusmodi: Quæ priuati homines bono iure parta possiderent, ea manere penes suos dominos. Quæ vero per vim aut fraudem occupassent ædificiis, ea, restitutis ex arbitrorum sententia impensis, addici populo. Cetera, quæ publica essent, sine pretio plebi diuidi. Id institutum tum ad alia multa reipublicæ profuturum docebat, tum in primis ad compescendos inopes, nequas amplius turbas de agro publico, qui à patriciis detineretur, excitarent. nam contentos fore assignata intra vrbem portione, dum agri cõsortio per eos qui & multi & potentes illum sibi vsurpassent excluderentur. Hæc dicenti multi assentiebant, solo refragante Caio Claudio. tandem S.C. factum est vt plebi locus is daretur. Post hæc quum præsentibus pontificibus, auguribus, & duobus sacrificis, solennes ab eis preces & vota facta essent, centuriatis comitiis per consules indictis lex perlata est, quæ exstat in Auentino incisa in columna ærea. San-

XXXVIII

Auentinus mons plebi

ad ædificandum concessus. cita lege, plebeii areas eius soli diuiserunt sibi ad ædificia, occupantes quantum quisque poterat. interdum duo tresve pluresve vnas ædes collatis impendiis exstruebant; aliis inferiores earum partes, aliis superiores forte capientibus. atque is annus totus in ædificationes absumptus est.

XXXIX. *A.V.C. 299 T. Romilio, C. Veturio consf. turbæ domi, & foris bellum cum Æquis.* Sequens annus consules habuit Titum Romilium & Caium Veturium; tribunos, Lucium Icilium cum collegis refectum; variis motibus & grauibus rebus memorabilis nam & ciuilis seditio, quæ iam sopita videbatur, denuo à tribunis excitabatur; & externi hostes insurrexerunt, maiore ciuitatis bono quam incommodo; quod ea res ad emendam seditionem faceret. Hic enim iam consueto circuitu in vrbe recurrebat mos, vt in bellis concors, in pace discors esset. Quo animaduerso, quotquot ad consulatum eueherentur, nihil magis quam externos motus optabant: & quoties foris pax esset, quærebant inculationes & bellorum occasiones; quippe qui viderent felicitatem vrbis externis bellis crescere, at intestinis seditionibus imminui atque eneruari. Eodem consilio eius etiam anni consules exercitum in hostes educere statuerunt, metuentes ne durante pace turbas aliquas molirentur homines otiosi & inopes. Et recte quidem, quod populum externis bellis distinendum viderunt: sed in eo peccarunt, quod cum (vt in morbosa ciuitate) moderatos delectus habere deberent, militiam detrectantes vi cogere instituebant, nec vel excusationem vllam admittebant, vel veniam dabant; sed legum pœnas tum corporibus tum bonis acerbe infligebant. Ex hoc illorum rigore tribuni rursum commouendæ plebis occasionem sumpserunt; & aduocata concione, tum alia aduersus consules vociferabantur, tum in primis quod multos ciues tribunitiam potestatem implorantes, in carcerem abduci iussissent; seque illos à militia liberare dictitabant: quippe qui legitima potestate essent præditi. cumque *clamoribus* nihil se viderent proficere, sed maiore contentione delectus fieri, aggressi sunt factis obsistere. Consulibus vero pro imperii maiestate resistentibus, irritatis contentione animis, interdum non temperabatur à manibus. aderat præsto consulibus iuuentus patricia, tribunis inops & ignanum vulgus. primo contentionis die consules tribunis longe superiores

riores fuerunt: sequentibus verò, affluente ex agris maiore multitudine, tribuni rati se iam non impares, continue concionabantur, ostentantes suos apparitores sugillatos, & deposituros se magistratum minitantes, si nullum sibi exspectandum esset à plebe auxilium. Vbi cum & plebem indignantem viderent, consules citarunt ad populū, ad reddendam factorum rationem. qui cum obedire detrectarent, senatum adierunt, qui tum forte in curiam hac ipsa de caussa conuenerat ac rogarunt vt senatus nec se fœdissimam iniuriam passos, nec plebem adminiculo suo spoliatam, negligeret narratisque iniuriis à consulibus & ipsorum factione acceptis, demum etiam contumeliis non modo potestati suæ, verum etiam corporibus illatis, postularunt alterutrum, vt consules aut, si negarent se quidquam in tribunorum corpora contra leges commisisse, *id* pro concione deierarent, aut si religio esset iurare, apud populum caussam dicerent. permissuros enim se tribubus hac de re calculum. Responderunt consules, iniuriarum à tribunis factum initium, qui pro sua peruicacia, consulum corpora contra leges violare aggressi essent, ac primum per apparitores & ædiles in carcerem duci iussissent eum magistratum cui rerum summa commissa esset; deinde ipsi cum plebis audacissimo quoque manus eis intentare non essent veriti. demonstrabantque quid interesset inter ipsos magistratus: consularem potestatem, obtinere regium imperium; tribunitiam, ideo receptam in ciuitatem, vt oppressis opitularetur: adeoque non licere tribunis, plebi de consule aliquo calculum permittere, vt id ne in infimum quidem patricii ordinis eis sine senatusconsulto liceat minabanturque si illi plebem vocarent ad calculos, se ad arma vocaturos patricios. Per has altercationes die consumpta senatus nihil definiuit, ne vel consulum vel tribunorum magistratum minueret, quod vtrumque non careret magno periculo. Itaque cum etiam à senatu re infecta dimissi essent tribuni, reuersi ad populum consultabant quid facto esset opus. Qui turbulentissimi erant, suadebant vt plebs sumptis armis denuo ex vrbe in sacrum montē secederet, vbi & prius castra habuerat; lectaque hac belli sede, in patricios grassaretur, qui pactū cum plebe fœdus violassent, sublata propalā po-

XL. (beside line "sibi exspectandum ... Vbi cum & ple-")

XLI. (beside line "iam à senatu re infecta ...")

testate tribunicia. Id maiori parti displicuit, quod negarent
culpam quam quidam priuatim in tribunos admisissent, o-
mnibus in vniuersum imputandum esse, si concessæ legi-
bus pœnæ persoluerentur, tribuniciorum corporum vio-
latoribus (vt lex iubet) morte vel exsilio mulctatis. Qui
mitioris erant ingenii, ab vtrisque dissentiebant, & nec co-
cessionem probabant, nec indemnatorū supplicium, præ-
sertim consulum, qui magistratus esset maximus: defle-
ctendam esse iram potius in eorum adiutores, & de illis
pœnas sumendas quæ statutæ essent legibus. Quod si illa
die tribuni iræ instinctus securi, aliquid in consules aut se-
natum moliri perrexissent, nihil vetuisset quin ea die ciui-
tas seipsam pessumdedisset: adeo omnes ad arma & bel-
lum ciuile parati erant. nunc quia re dilata, tempus ad ma-
turius deliberandum sibi reliquerunt, & ipsi mitiores facti
sunt, & plebis iras lenierunt. paucis diebus post, indicta in
trinundinum die qua populus conueniret, & consulibus
pecuniaria irrogaretur mulcta, dimiserunt concionem sed
instante die iudicii, destiterunt etiam ab hoc proposito; se-
niorum & honoratiorum precibus hanc à se gratiam dari
dictitantes. Post hæc aduocato in concionem populo, di-
xerunt se iniurias sibi ipsis illatas remisisse, in gratiā mul-
torum & bonorū virorum, quorum precibus refragari ne-
fas fuisset: iniuriam vero plebi factam vlturos, ne malo ex-
emplo noceret. promulgaturos enim se legē de diuiden-
dis agris per annos triginta iam extractam; tum eam quæ
XLII. de æquādo iure à proximis tribunis perferri non potuerit.
Hæc cum iureiurando polliciti, diē edixerunt qua populus
conueniret ad ferenda de legibus suffragia. quæ vbi adue-
nit, primum agrariam legem protulerunt, & multa ipsi
pro ea locuti, demum surgere iusserunt etiam alios, si qui
è plebe patrocinari legi vellent. Cumque multi in mediū
processissent, commemoratisque facinoribus in bello à
se editis, rem indignam esse clamitarent, ex tot tantisque
agris bello partis nullam se accepisse portionem, sed eos
qui amicitiis & opibus pollerent, publicorum bonorum
possessionem & fructus per vim sibi vsurpare; postularent-
que vt non modo pericula pro publicis bonis sustinenda,
verum etiam emolumenta & fructus inde redeuntes cum
plebe communicarentur; plebe libenter hæc audien-
te, nul-

te, nullus eam magis mouit quam Lucius Siccius cognomine Dentatus; qui enumeratis plurimis & maximis facinoribus, ita confirmauit plebem, vt ne audire quidem contradicentes sustineret. Erat autem admiranda specie, ætate quæ prudentia & animi vi pollet maxime, annos natus duo de sexaginta; & vt miles, non infacundus. Is progressus, ita locutus est ad populum: Ego Quirites, si singulatim percensere vellem mea facinora, dies me deficeret: quare ipsa tantum capita verbis quam potero breuissimis referã. 40. iam annis pro patria milito; 30. annis nũc militaribus, nũc aliis officiis præfui, modo cohortis, modo legionis dux, iã inde ex quo Caius Aquilius, Titus Siccius consules à senatu contra Volscos missi sunt. eo bello eram adhuc miles gregarius, natus annos 27. cumque feruente prœlio acies nostra inclinaret, & cohortis ductore strato raperentur ab hoste signa, solus me periculo obieci; reiectisque hostibus, & seruatis cohortis nostræ signis, ab ordinum ductoribus perpetuam ignominiam, ipsa morte acerbiorem illis futuram, depuli: quod tum ceteri milites, tum ipsi ductores testati sunt, ornantes me corona aurea: testatus est etiam cõsul Siccius, qui me cohorti ducem præfecit. Alio rursum prœlio, quum tribuno qui legioni & castris præerat. prostrato, aquila in hostium potestatem venisset, pari modo pro tota legione certans, aquilam recepi, & tribunum seruaui: qui pro lata ope gratiam referens, tribunatum mihi cessit, & commisit aquilam: sed ego accipere nolui; indignũ ratus, cui vitam donassem, ei honores & quas inde voluptates caperet, adimere. eo nomine consul me primæ legionis tribunum fecit, quæ eo prœlio duce orbata fuerat.

Hæc sunt Quirites facinora quibus innotui & ad honores perueni. deinde iam clarus, reliquis omnibus certaminibus interfui, quod vererer ne honores & munera prioribus factis parta posterioribus abolerem: continuoque postea militaui, nullum laborem, nullum periculum curãs: semperque donatus à consulibus spoliis, coronis, aliisque fortitudinis præmiis & honoribus, abii. & vt compendio dicam, his 40. annis, quibus perpetuo militaui, centies & vicies dimicaui in acie, vulnera 45. accepi, aduersa omnia, nullum auersum: & ex iis vna die accepi 12. quando Her- XLIII.

donius Sabinus arcem occupauit & Capitolium. fortitudinis præmia è pugnis illis retuli 14. coronas ciuicas; quibus me redimierunt ii qui in certamine seruati à me fuerant; tres murales, quod hostium muros scandissem, ac cepissem primus: octo ex acie reportaui, quibus me imperatores decorarunt præterea torques aureos 83 armillas aureas 60. hastas *puras* 18. faleras insignes 25. quarum nouem detractæ hostibus ad singulare certamen aliquos nostrum prouocantibus; quos sponte sustinui, & interfeci. Hic tamen ego Siccius, qui tot annos pro vobis Quirites militaui, tot prœliis pugnaui, tot prœmiis honoratus sum; qui nullum periculum vnquam refugi aut detrectaui, sed tum in campestribus tum in muralibus pugnis, modo inter pedites modo inter equites, nunc cum omnibus nunc cum paucis, interdum solus, etiam toto corpore conuulneratus, dimicaui, & vna cum aliis commilitonibus tam multos bonos agros populo Romano adquisiui, partim Etruscis & Sabinis, partim Æquis & Volscis atque Pometinis, partim aliis hostibus ademptos, neque ipse quantulamcumque ex eis portionem accepi, neque vestrum quisquam Quirites, qui eorundem laborum fuistis socii: sed violentissimus quisque & impudentissimus optimam eorum partem multis iam annis possidet; eisque fruuntur, quum neque dono à vobis acceperint, neque pretio emerint, neque vllo alio titulo se iustos eorum possessores approbare possint. qui si in agrorum illorum acquisitione paribus nobiscum laboribus exantlatis, plus sibi vindicarent, ne sic quidem æquum aut ciuile foret, à paucis vsurpari quæ sunt omnium communia: attamen habuisset fortasse quendam rationis prætextum eorum auaritia. cum autem nullum possint memorare egregium ac virile facinus, cuius merito res nostras occupent, & *insuper* ita impudentes sint, vt ne conuicti quidem dimittere illa velint, quis ferat?

XLIV. Sed age per Deos, si quid hic mentior, prodeat in medium aliquis è venerando illo grege, atque ostendat nobis ob quæ illustria & præclara facinora plus sibi quam mihi deberi censeat. num quia pluribus annis militauerit, pluribus prœliis decertauerit, plura vulnera acceperit, aut coronis, manubiis, spoliis, aliisque victricibus ornamentis mihi præse-

præferendus ſit, quibus hoſtium vires attenuatæ, at patria clarior facta ſit atque auctior. imo oſtendat vel decimam partem eorum quæ ego vobis ſubmonſtraui. Sed iſtorum plerique ne multeſimam quidem partem eorum quæ ego, proferre poſſint. nonnulli vero ſe ne deterrimos quidem in plebe milites laboribus adæquaſſe vere aſſerere poſſunt; quippe quorum ſplendor non in armis, ſed in verbis eſt; viresque ſuas non in hoſtes vertunt, ſed in amicos; & vrbem ſe non cum aliis communem, ſed ſibi propriam habitare putant: quaſi non vna nobiſcum à tyrannide liberati ſint, ſed nos in hereditatem à tyrannis acceperint: quorum vt alias maiores minoreſque contumelias diſſimulem, nimirũ notas omnibus, qualis eſt illud ſuperbiæ, quod ne vocem quidem liberam pro patria vllum noſtrum emittere ſinunt, ac ne hiſcere quidem? ſed eum qui primus diuidendorum agrorum mentionem fecit, Spurium Caſſium, tribus conſulatibus & duobus triumphis clarum, rebus in bello fortiter geſtis, & in republica prudenter adminiſtratis adeo conſpicuum, vt nemo illi ea ætate comparari poſſet; tantum inquam virum obiecto affectatæ tyrannidis crimine, falſis oppreſſerũt teſtimoniis, & de rupe dederunt præcipitẽ, non ob aliud, niſi quia ciuitatis & plebis ſtudioſus erat. tum Caiũ Genucium tribunum noſtrũ, quoniam 11 annis poſt idem inſtitutum renouabat, & proximi *ante ſuũ tribunatum* anni cõſulibus, quod ſenatuſcõſultum de diuidendis agris factum neglexiſſent diẽ dixerat, quia aperte necare non poterant, clam pridie quã iudicium fieret, ſuſtulerũt è medio. quę res adeo ſucceſſores terruit, vt poſtea nemo non ſibi caueret ab huiuſmodi periculo; ſed iam trigeſimum annum hęc patimur, quaſi ſub tyrannis amiſſa libertate. Omitto alia: hoc ipſo tempore cum magiſtra- XLV.
tus veſtri quibuſdã plebeiis vim patientibus ſubuenire vellent, freti lege qua ipſos ſacroſanctos & inuiolabiles feciſtis, quibus non affecti ſunt iniuriis? pugnis petiti & calcibus, omnique contumelia vexati, tandem foro eiecti ſunt. & vos hæc fertis, neq; quæritis quomodo de iſtis pœna ſumatur, *ſi non alia ratione*, ſaltẽ ſuffragiis; quibus ſolis poteſtis declarare vos liberos? Agite Quirites, vel nunc *ſaltẽ* ingenuos animos ſumite, & legẽ agrariam, ferentibus tribunis, confirmate veſtris calculis, ne auditis quidem diſſuaſo-

ribus. Vos vero tribuni adhortatione opus non habetis, qui rem vltro aggressi, recte facitis quod nemini ceditis. Quodsi iuuenum peruicacia & impudentia impedimento vobis sit, vrnasque subuertat aut calculos eripiat, aliave immodestia suffragia interturbet, declarate eis vim vestri collegii. & quia consulum potestatem inhibere non licet, priuatos, quos illi violentiæ ministros habent, in iudicium adducite, plebique de illis calculum permittite, hoc illis obiecto crimine, quod sacras leges vestrumque magistratum violauerint.

XLVI. Grata fuit plebi hæc eius oratio, tantamque illi contra aduersarios indignationem mouit, vt multitudo (sicut initio dixi) dissuasores legis ne audire quidem vellet amplius. Sed Icilius tribunus assurgens, cetera dixit recte locutum Siccium, multisque laudibus ornauit hominem. quod vero dissuadere volentibus non permitteret dicendi copiam, nec iustum esse, nec receptum ciuitatis moribus, maxime cum de lege quæratur, qua ius contra violentiam muniatur. hac enim occasione eos qui nihil æqui nec iusti in plebem cogitarent, rursus tranquillitatem & vtilitatem publicam turbaturos. His dictis, iussit in crastinum adesse qui vellent contra legem perorare; atque ita concionem dimisit. Tum consules intra priuatos parietes cœtum patrum habuerunt, eorum præcipue qui tunc fortitudine atque opibus in vrbe florebant maxime: eosque docuerunt *modis omnibus* legi obnitendum; verbis primum; & si his non flecteretur populus, factis etiam. iusseruntq; vt omnes mane in forum conuenirent cum amicis & clientibus quam quisque posset plurimis: pars circa tribunal & in comitio consisterent, alii cateruatim diuersa fori loca occuparent, plebemque dispescerent, ne in vnū coire posset. quod consilium vbi placuit, antequam clara illuxisset dies, pleraque fori loca occupata erant à patriciis.

XLVII. Post hæc affuerunt tribuni & consules, iussique sunt per præconem *assurgere* qui contra legem vellent dicere. cumque multi boni viri prodirent ad dicendum, nullius verba præ immodesto concionis tumultu exaudiri poterāt. nam alii in hortando dicentibus addebant animum, alii exsibilabant & obstrepebant. sed neque adiuuantes, laudando; neque obsistentes, tumultuando quidquam profecerunt.

Ibi

Ibi conſulibus indignantibus & proteſtantibus à plebe initium violentiæ fieri, quæ neminem audire ſuſtineret: reſponderunt tribuni iam quintum annum eaſdem ſe orationes audire, nulla vtilitate; ni rancidæ & protritæ altercationes placeant. ita diei magna parte abſumpta, iamq; plebe poſcente calculos, rem non amplius ferendam rati iuuenes patricii, plebeios in ſuas tribus ſecedere parantes impediebant, & vrnas mittendis calculis deſtinatas miniſtris eripiebant: quas ſiqui dimittere nollent, nec è foro excedere, pulſati & verberati eiiciebantur. cumque tribuni vociferarentur, & in mediam aduerſariorum turbam ſe intruderent, ipſis quidem cedebant, & quacumque ſe inferrent, tutum permittebant tranſitum: at reliquum vulgus, quod partim illos ſequeretur, partim per alias atque alias fori partes incompoſito tumultu ad eos confluerent, nō admittebant: ita vt plebi nihil prodeſſet magiſtratus auxiliū. tandemque vicerunt patricii, atque impediuerunt ne lex perferretur; trium familiarum opera præcipua, quæ promptiſſimis animis adiuuerunt conſules. hi erant Poſtumii, Sempronii, & tertii, Clœlii, generis claritate, clientelis, o*pibus*, dignitate, ac rebus bello geſtis præſtantiſſimi; per quos omnium confeſſione ſtetit quo minus *plebiſcito* ſanciretur lex *agraria*.

XLVIII.

Poſtridie tribuni cum nobiliſſimis è plebe conſultauerunt quomodo tractandum eſſet hoc negotium. vbi quum vno omnium conſenſu placuiſſet, non conſulibus diem dicendam, ſed priuatis qui ſuo illos miniſterio adiuuiſſent: quia, vt Siccius monuerat, ciues horum pœnam non vſque adeo curaturi erant: ſollicite diſquirebatur de accuſandorum numero, criminis nomine, & in primis mulctæ æſtimatione. qui aſperiori erant ingenio, exaggeranda cenſebant hæc omnia ad terrorem incutiendum ceteris: contra mitiores, ad mediocritatem & clementiam reuocabant ſingula: cuius ſententiæ Siccius fuit auctor, is qui pro concione legem agrariam ſuaſerat. Placuit igitur, omiſſis patriciis ceteris, ſolos Clœlios, Poſtumios ac Sempronios arceſſere, ad reddendas coram populo factorum ſuorum rationes: crimini fore, quod contra ſacratas leges, quas de tribunis Senatus populuſque Romanus ſanxerit, (quibus diſerte cauebatur nequis tribunos inuitos cogeret) ipſi eos

cohibuissent ne cognitionem de lege perferrent ad populum mulcta vero placuit non mors, aut exsilium, aut aliud quidpiam inuidiosum, ne hac occasione absoluerentur; sed vt bona eorum sacra essent Cereri: quæ omnium mitissima pœna lege præscribebatur. Factum est ita, & adfuit dies iudicii. Tum consules & ceteri patricii qui in senatu aderant, (erant autem conuocati præstantissimi quique) censuerunt cedendum esse tribunorum impotentiæ, ne vetiti auderent peius aliquid; permittendumque efferatæ plebi vt bilem in illorum patrimonia effunderet, mulctatisque pro arbitrio inimicis, posthac mansuetior & tractabilior fieret: præsertim cum pecuniarum iactura facilius sarciri posset. quod & contigit. cum enim deserto iudicio damnati essent, tum efferata plebis ira conquieuit, tum tribunis aliqua ex parte satisfactum est. constabilita eorum potestate ciuiliter: & patricii damnatis bona sua reddiderunt, restituto his qui a plebe illa emerant, æquo pretio. atque hic eius contentionis & periculi fuit exitus.

XLIX. Non multo post tribunis legem rursus vrgentibus, repente allatus nuntius de hostium in Tusculanum agrum irruptione, conatus eorum plane impediuit. Tusculanis enim magna frequentia Romam confluentibus, & Æquos magnis copiis aduenisse dicentibus, direptisque iam agris, oppidū quoque, ni mature succurreretur, intra paucos dies captum iri: senatus decreuit ambos consules ferre suppetias qui cum indicto delectu, cunctos ciues ad arma vocassent, tribuni tunc quoque renouata seditione, conati sunt impedire quo minus conscriberentur copiæ, neque ex lege in ciues militiam detrectantes vindicaretur. sed frustra. conuocatis enim patribus, S. C. factum est vt patricii cum clientibus suis id bellum susciperent; & siqui alii ciues pro salute reipublicæ se ad expeditionem istam sponte offerrent, iis pietatis iura essent integra: contra, his qui consules desererent, *irata essent numina*. eo S. C. pro concione recitato, multi etiam ex plebe sponte dederunt nomina; pars, ingenuo quodam pudore, ne deessent ciuitati quæ propter fidem erga Romanum imperium perpetuo ab hostibus infestaretur: inter quos erat etiam Sicciusille, qui pro concione in publici agri vsurpatores inuectus fuerat: & sequebatur eum cohors octingenaria *emeritorum*

mili-

militum; qui etsi, vt ille quoque, per ætatis priuilegium à militandi necessitate liberati erant, tamen cum eum ob multa & magna merita honorarent, in bellum exeuntem deserere noluerunt: & hæc copiarum pars ceteros in hanc militiam proficiscentes, rei bellicæ peritia fortique in adeundis periculis audacia longe superabat. maior pars, senatorum precibus & gratia adducti, *exeuntes* sequebantur. nec deerant qui ob commoda quæ se in militia offerunt, ad subeunda quæcumque pericula parati essent. breuique instructissimus exercitus & satis numerosus comparatus est. Quo cognito, hostes non exspectauerunt eius aduentum, sed receperunt se in sua. Hos consules properato itinere prope Antium assecuti in excelso & prærupto quodam loco castra metatos, ipsi quoque non procul ab eis castra posuerunt: & aliquamdiu exercitus vterque intra sua se castra continuit. tandem Æqui contemptis Romanis, qui non priores pugnam capesserent, rati exiguas eorum esse copias, commeatus intercipiebant; [pabulatum diuertentes, equis immissis repellebant;] aquatum descendẽtes, subitis incursionibus adoriebantur; hostemque sæpius ad pugnam prouocabant.

Quo viso consules non trahendum diutius bellum existimarunt. erat iis diebus penes Romilium belli imperium: idemque & tesseras dabat, & aciem instruebat, & pugnæ tum ineundæ tum omittendæ tempus præscribebat. is efferri iussis signis, eductisque è vallo copiis, cum ceteros equites & pedites per cohortes idoneo quemque loco disposuisset, accitum ad se Siccium ita allocutus est: Nos Sicci hic cum hoste dimicabimus. tu, interim dum acies vtraque se ad prœlium expedit, per obliquam illam viam conscenso monte, castra hostium ibi aggredere: vt qui nobiscum conflictabuntur, amittendæ munitionis metu, ad ferendam suis opem festinantes, terga vertant, & (vt in celere recessu solet fieri) in vnam se omnes viam intrudentes, facile à nobis possint confici: aut si manserint in vestigio, castra amittant. nec enim sat valido munita sunt præsidio, vt ex eo coniicere licet, quod in loci natura omnem posuere fiduciam; & cohors tua octingentis L.

veteranis constans, si tabernaculorum custodes præter expectationem turbatos adoriatur; facile illos ipsa audacia profligabit. Ad hæc Siccius: Equidem paratus sum quæuis iussa capessere: sed quod iubes, non tam facile est quam tibi videtur nam & castra in excelso ac prærupto saxo sita sunt; nec aliam ad ea viam ferre video, præter eam vnam, per quam hostes contra nos descendent: nec dubium est quin iustum in eis relictum sit præsidium ac licet id modicum sit & instrenuum, longe tamen maioribus quam meis copiis sustinendis par est. & locus ipse præsidiarios tutabitur. Quapropter mallem te mutare consilium: nam tentare periculosum est. quodsi omnino statuisti duobus locis pugnare vno tempore, manum idoneam selectorum virorum adde quæ me sequatur vna cum emeritis. non enim
XI. furtim, sed aperta vi expugnandus est locus. Plura parantem dicere de ratione sui consilii consul interpellauit. Non multis verbis, inquit, opus est: sed si imperata facere sustines, i celeriter, nec pro me imperatorem age. sin periculum refugis, vtar aliorum opera. tu vero qui centies vicies in acie dimicasti, 40. annos militasti, conuulneratus toto corpore, quoniam vltro venisti, abi ne viso quidē hoste, & pro telis linguam rursus contra patricios acue. Vbi nunc sunt multa illa fortitudinis præmia quæ reportasti, torques, armillæ, hastæ, phaleræ, coronæ acceptæ à consulibus, detracta singulari certamine victis spolia, ceteraque molesta quæ te nuper iactantem pertulimus? Hoc vnum opus cum vero coniunctum periculo, satis manifeste ostendit qualis sis, opinione magis fortitudinem colens, quam re vera. Ibi Siccius motus conuitio; Non ignoro, inquit Romili, alterutrum tibi propositum, vt aut viuus nihil efficiam, turpissimamque timiditatis notam reportem; aut obscure & misere ab hostibus concisus, intereamquoniam me quoque ex illorum numero esse ostendi, qui liberos sibi animos sumendos existimant. non enim me in dubium periculū, sed in mortē certam mittis. attamen hoc quoq; periculū subibo, & dabo operā ne ignauus videar; aut capturus castra; aut, si spe frustrabor, moriturus fortiter. vos commilitones mihi testes apud reliquos ciues eritis, (si letum meum audieritis) virtutem me meam perdidisse, & magnā loquendi libertatem. Hoc responso consuli dato, lacrymas
consa-

consalutauit omnes familiares; atque ita cum sua cohorte, & ipsa mæsta lacrymanteque, non aliter quam in mortem profectus est; commiserante vniuerso exercitu, quasi ex octingentis istis viris neminem posthac visuro.

At Siccius non ea via qua Romilius credidit, per latus montis duxit; sed per saltum quendam maximum. in quem cum peruenisset, gressum figens, sic suos allocutus est: Misit nos dux, vt videtis, in exitium. putauit enim nos per obliquam illam viam ituros; per quam eundo, impossibile erat hostes fallere. ego vos ducam per aliam illis non conspicuam; & bona spes est inuenturum me calles aliquos, qui nos ad castra perducant in verticem. quare bono este animo. Hæc locutus per saltum ducebat: cuius magnam partem emensus, forte fortuna virum nactus est rusticum nescio vnde venientem: quem per iuuenes comprehensum, viæ ducem fecit. ille circum montem longis ambagibus ductos, tandem in adiacente castris tumulo statuit; vnde cito & recta descendi ad castra poterat. Interea Romanorum & Æquorum acies concurrerant, certabantque fortiter, numero, armis, animis pares, diu neutro inclinante victoria, sed nunc his nunc illis aduersos vrgentibus, tam peditibus quam equitibus: ceciderantque ex vtraq; parte viri nobiles. tandem euidenti marte pugna decernitur. nam Sicciana cohors vbi prope castra Æquorum peruenit, incustoditam eam valli partem offendit: totum enim præsidium ad alteram partem pugnantibus obuersam sese conuerterat, & prœlio spectando intentum erat. ibi Sicciani sine vllo negotio irrumpentes, præsidiariorum vertici imminebant; moxque sublato clamore in eos incurrebant. quo inopinato casu hostes consternati, nec opinati tam paucos esse, sed adesse alterum consulem cum suis copiis, proiecerunt se è castris, ne arma quidem retinentes plerique. Sicciani vero occidebant eos, quotquot ad manus veniebant; & occupatis castris in campestrem descendebant aciem. LII.

Tum Æqui, vbi è suorum clamore ac fuga capta esse castra senserunt, nec multo post hostem à tergo inuadentem viderunt, nullum amplius generosum facinus ediderunt, sed diuulsis ordinibus alii alia via saluti suæ consuluerunt; non sine clade maxima. hærebant enim tergo Romani, nec vsque ad noctem occidere desinebant quos assequerentur. LIII.

ſed nullius inſignior opera fuit quam Siccii, nullus maiorem ſtragem edidit. qui vbi deuictum hoſtem vidit, cum iam contenebraſſet, cohortem in capta à ſe caſtra reduxit magno gaudio magnoque ſpiritu plenus. milites que cum incolumes & integri euaſiſſent omnes, non ſolum euitato imminenti periculo, verumetiam parta maxima gloria, patrem eum appellabāt & ſeruatorem Deumque, necnon aliis honorificentiſſimis nominibus; nec poterant ſatiari mutuis complexibus & ceteris gratulationis voluptatibus. atque interim & reliquus Romanorum exercitus à perſequendo reuerſus, caſtra ſua repetiit.

LIIII. Iamq; media nox erat, cum Siccio memori miſſum ſe in mortem à conſulibus, in mentem venit laudem eis victoriæ præripere. communicat cum ſuis conſilium: quod vbi placere vidit, omnibus prudentiam atque audentiam viri admirantibus, arma ſumit & alios iubet ſumere: ac primum quidquid in hoſtilibus caſtris eſſet hominum, equorum, ceterorumque iumentorum, contrucidat; deinde incendit tentoria frumento, veſtimento, armis alioque belli apparatu referta, adhæc præda quam hoſtes è Tuſculano agro numeroſam eo congeſſerant: omnibusque igne abſumptis, circa diluculum, nihil præter arma ferens, abiit: emenſusq; viam propere, Romam peruenit. vt vero conſpecti ſunt homines armati iubilantes & feſtinantes, multo cruore fœdati, concurſus factus eſt reduces videre audireq; res geſtas cupientium. illi in forum vſque progreſſi, tribunis omnia denarrarunt: qui coacta concione, iuſſerunt eos *eandem narrationem* coram toto populo repetere. cumque maxima turba cōfluxiſſet, progreſſus in medium Siccius, victoriam indicauit, ſimulq; rei geſtæ modum; quodque ſua virtute octingentorumque ſeniorum quos in mortem *certam* miſiſſent conſules, & caſtra Æquorum capta eſſent, & reliqui in fugam verſi qui pugnabant in acie. poſtulabatque vt nemini alteri pro victoria haberetur gratia: & poſtremo hæc addidit verba; Animas tantum & arma, nihil præterea, nec magnum nec paruum, è captis retulimus. His auditis populus ad miſerationem & lacrymas flexus eſt, ætatem virorum & virtutem conſiderans, & ſuccenſens iis qui talibus viris vrbem orbare voluerant. quæ res, vt Siccius iam ante præuiderat, publicum conſulibus excitauit odium. nam ne

senatu

senatus quidem eam tulit æquo animo, nec triumphum eis decernens, nec alios honores quibus fortia prœlia decorari solent. & Siccium plebs proximis comitiis tribunum designauit, honoremque illi qui penes se erat contulit. atque hæc eo anno gesta sunt memorabilia.

Post hos consulatum anno proximo inierunt Spurius Tarpeius, & Aulus Terminius: qui tum aliis obsequiis plebem delenierunt, tum S. C. de lege per tribunos ferenda fecerunt, cum viderent patres impediendo nihil consequi præter odium & inuidiā, & eos qui patrū caussam prōptissimis animis agerēt, priuatim male mulctari. Sed maxime illos terruit recens casus superioris anni consulum, male à plebe exceptorum, nullo à senatu auxilio. Nam Siccius ille qui Æquorum copias cum castris euerterat, tribunus tunc (vt dixi) designatus, ea ipsa die qua magistratum iniit, post peracta pro salute sacra solennia, antequam vllum aliud in republica negotium tractaret, diem pro concione dixit Tito Romilio: eumque apud populum publicæ iniuriæ caussam iussit dicere, præfinito iudicii tempore. & collegam eius Caium Veturium eodem nomine arripuit *L. Halienus* ædilis, qui proximo anno tribunus fuerat. cumque ante diem iudicii magna studia & hortationes ambobus exhiberētur, consulares fauore senatus freti, propemodum contemnebant periculum, senioribus & iunioribus patriciis pollicentibus daturos se operam ne iudicium fieret. At tribuni omnia multo ante præcauentes, nō precibus, non minis, non periculis mouebantur: sed postquam dies dicta venit, conuocauerunt populū. & iam ante operariorū & colonorum turba ex agro in vrbē confluxerat: qua ad vrbanā multitudinē adiuncta, non solū forum oppletum est, sed etiā ferentes in forū vici. Prior reus actus est Romilius accusante Siccio: obiiciebantur tū alia quæ in consulatu per vim contra tribunos patrasse videbatur, tū deniq; insidiæ quas Siccio & cohorti eius, cū belli dux esset, struxerat testes citabātur viri qui fuerāt in ea expeditione nobilissimi, nō plebeii, sed patricii: & in his iuuenis tū generis nobilitate, tum sua virtute ac bellica laude clarus Spurius Virginius. is *pro testimonio* dixit: cū Marcū Iciliū, vnū è Siccii cohorte filiū, vt æqualē & amicū suū, à profectione illa liberare cuperet, quippe qui cū patre in præsēs exitiū emitteretur, atq; ab auuncu-

LV. *A. V. C. 300 Sp. Tarpeio, A. Terminio consulibus, superioris anni consules mulctati, & legati legibus colligēdis in Græciam missi.*

LVI.

lo suo Aulo Virginio, qui in eadem expeditione legatus erat, obtinuisset vt is consules adiret, hancque ab ipsis gratiam peteret, consulibus id denegantibus, obortas sibi lacrymas amici sortem deflenti. iuuenem vero illum cognito deprecatoris officio, venisse, impetrataq; dicendi potestate, dixisse, se deprecatoribus magnas habere gratias; sed se non amplexurum id beneficium, quo pietas erga propinquos adimeretur: & patrem tanto minus deserturum, quanto certiorem mortem peteret, vt compertum sit omnibus: sed iturum vna, defensurumque *patrem* pro viribus, & eiusdem cum illis fortunæ futurum participem. Ad hoc iuuenis testimonium nemo non miseratus est sortem eorum hominum. Vt vero ipsi quoque Icilii citati, pater ac filius, de se ipsi testati sunt, maior plebeiorum pars non amplius sibi lacrymis temperare potuit. Romilius in caussæ suæ defensione, orationem habuit non demissam nec tempori accommodatam, sed tumidam absolutaque imperii potestate nimis confidentem. quo magis accendit iram populi. itaque permisso plebi calculo, dãnatus est omnium tribuum suffragiis. irrogabatur autem mulcta pecuniaria, assium *scilicet* decem millia. prudenti sane Siccii consilio, quo minus pro reo niterentur patricii, nec quidquam contra suffragia molirentur, cogitantes agi tantũ de pecunia; & plebs facilius damnaret hominem consularem; quippe quem nec vita nec patria exueret. Dãnato Romilio, post aliquot dies eundem exitum iudicii Veturius habuit. is quoque pecunia mulctatus, assium quindecim millia.

LVII. Hæc considerantes præsentis anni consules, haud leuiter sibi timuerunt, caueruntque ne idem ipsis post consulatum à plebe accideret. quare nihil dissimulantes, rempublicam aperte ad plebis fauorem administrare perrexerunt. primum itaque centuriatis comitiis lex lata est; Licere omnibus magistratibus suæ potestatis læsæ reos mulctare. nam antea solis consulibus id licuerat. mulctæ tamen modus non mulctantium arbitrio relictus est, sed ab ipsis præfinitus; ne *scilicet* mulcta, quantumuis grandis, duos boues & triginta oues excederet. quæ lex diu seruata est apud Romanos. Deinde ad senatum retulerunt de legibus quas tribuni in omnes æque Romanos ferri, atque in perpetuum obseruari summopere cupiebant. Dictæ sunt variæ, & quidem

dem à proceribus,in vtramque partem sententiæ: sed vicit Romilii suffragium, quod contra omnium tum patriciorum tum plebeiorum opinionem, populi magis quam optimatium partibus fauit. cum enim omnes opinarentur ob recentem damnationis offensam,plebi & animo & voce vsquequaque aduersaturum, ille, vbi ex ordine ad eum ventum est, (erat enim inter ætate dignitateque medios) assurgens,sic pro sententia locutus est:

Quæ à plebe passus sum,P.C. non meo merito, sed quia in partes vestras fui propensior, si recensere vellem, equidem molestus vobis essem; cum accurate noueritis ea omnia: cogit tamen necessitas *aliquam* eorum mentionem facere, vt sciatis,quidquid dicturus sum,me non in gratiam plebis,quæ mihi infensa est,sed publicæ vtilitatis studio dicturum. Neque miretur quispiam,me, cum & ante sæpe & in consulatu,diuersum secutus sim propositum, nunc derepente mutasse animum: neque existimate me vel tunc sinistrum cepisse consilium, vel nunc parum recte mutare sententiam. Ego enim P.C quamdiu partes vestras firmiores putaui, ita vt debui, steti pro optimatibus, non magni plebem faciens. postquam autem meo malo sum factus sapientior, & magna mercede didici vobis esse plus consilii quam potentiæ, multosque propugnatores vestros à plebe arreptos esse, vobis necessario dissimulantibus, (quod vtinam nec ego,nec meus collega, omnium vestrum commiseratione experti essemus) mutaui sententiam.& quoniam de nobis iam transactum est, restatq; prouidendum ne alii tractentur pari modo, oro & vniuersos & singulos vt commode statuamus de præsentibus. Optime enim cum ea ciuitate agitur,quæ sese rebus accommodat:& optimus consultor est, qui non ad priuatum odium aut gratiam, sed ad publicam vtilitatem attemperat sua consilia. Nec aliunde melius consilia petuntur quæ in futurum prosint, quam à præteritarum rerum exemplis. Nostra certe P.C. hactenus ea fuit conditio, vt quotiescumque contentio cum plebe incidit, semper inferiores discesserimus, mulctati virorum illustrium mortibus,iniuriis,exsiliis. Quid vero potest calamitosius ciuitati accidere, quam optimorum ciuium decisio? Quæ cum mihi in vobis non probentur, hortor vt eis parcatis, neque vel huius anni magistratus euidenti obii- LVIII.

ciatis periculo ac postea in aduersis deseratis; vel alium quẽquam, cuius etiam exiguus in rep. sit vsus. Quod vero suasionis meæ caput est, censeo legatos mittendos partim ad Græcas vrbes quæ sunt in Italia, partim Athenas; qui petãt à Græcis leges optimas, & instituto nostro conuenientissimas. Quibus reuersis consules ad senatum referant de legislatoribus eligendis, & quodnam eorum futurum sit imperium, quamve diuturnum, deque ceteris quæ ex republica futura videbuntur. sublatisq; in posterum seditionibus, quibus aliæ super alias exsistunt calamitates, neque aliis de rebus amplius cum plebe contendamus, neque in primis de legibus: quæ si nihil aliud, at saltem decentem maiestatis habent speciem. Hæc effato Romilio vterq; consul accessit, multa in eandem sententiam locuti meditatis orationibus; ac mox senatus pars maxima: ita vt hæc sententia suffragiorum numero vinceret. Iamque scribendum erat senatuscõsultum, cum Siccius tribunus, qui Romilio diem dixerat, assurgens, prolixe hominem laudauit, quod mutata sententia, non tam priuatarum simultatum quam reipublicæ rationem habuisset, candidoque animo quod ex vsu futurum iudicasset, in medium protulisset. Quam viri sinceritatem, inquit, vt remunerem, mulctam illi condono, atque iam nunc cum eo in gratiam redeo. nam bonitatis studio nos superat. Assenserunt & ceteri tribuni. Romilius tamen non sustinuit hanc gratiam accipere: sed laudata tribunorum voluntate, ait sese exsoluturum rem iudicatam: iam enim sacram esse; neque iustum aut fas futurum si dii eo fraudarentur quod lex ipsis tribuisset. & fecit quod est pollicitus. Senatusconsulto facto & per plebiscitum confirmato, legati designati sunt qui à Græcis leges peterent. Spurius Postumius, Seruius Sulpicius, Aulus Manlius. iis triremes ex ærario instructæ sunt, additusq; ceterus ornatus pro maiestate Romani imperii. atq; ita annus exiit. LXXXII. Olympiade qua stadio vicit Lycus Thessalus è Larissa, principe Athenis Cherephane, exacto anno ab vrbe condita trecẽtesimo, Publio Horatio, Sexto Quintilio consulibus pestilentia Romam inuasit quanta numquam antea: quæ seruitia absumpsit pene omnia, ciuiumque circiter dimidium; nec medicis sat tanta ægrotantiũ multitudine sufficientibus, nec domesti- corum

LIX. (margin, beside "legibus: quæ si nihil aliud")

LX. (margin, beside "cius, Aulus Manlius")

A.V.C. 301. Olymp. 82. consf. P. Horatio, Sexto Quintilio, pestis sæuissima, etiam in vicinia.

eorum atque amicorum ministeriis. nam qui aliis in lue succurrere conabantur, infecti contagio atque assidua conuersatione, corripiebantur eodem malo; ita vt multæ domus desolarentur ob curantium inopiam. neç minima calamitatis huius pestisque magis ac magis indies gliscentis caussa erat, quod proiiciebantur defuncti. nam primum *communis naturæ* reuerentia, & suppetente copia rerum ad funus necessariarum, cremabant & humabant cadauera: deinde alii neglectu honestatis, alii præ inopia, multos è defunctis in angiportuum cloacas subterraneas, sed longe plures in profluentem *Tiberim* proiiciebant. vnde maxima redundabat lues, tum per confragosas tum per meabiles ripæ partes. nam eiectis ab vnda cadaueribus, grauis inde ac fœtidus ad valentes delatus halitus, cito eorum corpora inficiebat. nec aqua fluminis amplius erat potabilis; quia & tędiosum odorem spirabat, & vitiosum per venas alimentum diffundebat. Nec in vrbem tantummodo malum id sæuiit, verum per rura etiam: immo agreste vulgus non mediocriter id sensit, ouium & aliarum quadrupedum, inter quas versabatur, contagio infectum. Ergo quamdiu aliquid spei fuit in Diis, totus populus se ad sacra lustrationesque conuertit, multique noui & inusitati ritus tunc in vrbem introducti sunt, parum congruentes Deorum cultui. vbi vero animaduerterunt Deos ista non respicere, nec tangi misericordia, etiam diuini cultus ceremonias intermiserunt. Hac clade absumptus est alter consulum Sextus Quintilius, quique ipsi surrogatus est Spurius Furius; & quatuor ex tribunorum collegio; senatores quoque multi ac boni. LXI. Ad hanc occasionem Æqui conati sunt bellum inferre populo Romano, per legatos sollicitantes in eius societatem alias gentes Romano nomini infensas. sed nihil tamen profecerunt. nam prius quam exercitum colligerent, inter ipsum apparatum belli, pestis eadem in ipsorum oppida incubuit, non Æquos solum peruagata, sed Volscos etiam & Sabinos, cum maxima hominum clade. Quo malo agrorum cultura impedita, accessit insuper aliud, fames & annonæ caritas. His igitur consulibus propter pestilentiam nihil domi militiæve à Romanis gestum est, quod quidem historica narratione dignum sit. LXII. *A.V.C. 302 consS. L. Me-* Sequens annus consS. habuit Lucium Mene-

nenio & P. Sestio, annona caritas, rogatio de legumlatoribus.

nium, Publium Sestium; quo pestis tādem desiit. Tum vero ad agendas Diis gratias publice peracta sacrificia, & ludi magnifici splendidissimis impensis facti: totaq; ciuitas erat in epulis, exegitque inter hilaritates eam hiemem. Initio deinde veris, multum multisque ex locis comportatum est frumentum, partim ex ærario coemptum, partim à priuatis inuectum negotiatoribus laborabat enim non mediocriter plebs commeatuum inopia, quod ager incultus iacuisset ob morbos & interitum colonorum. Per idem tempus reuersi sunt legati, leges afferentes ab Athenis & Græcis Italiæ vrbibus; moxque tribuni plebis adierunt consules postulantes vt ex S.C. legumlatores crearentur. qui cum nescirent quomodo assiduis obnixisq; precibus obtundentes ablegarent, ægre ferentes istam importunitatem nec volentes optimatium potentiæ officere, honesto prætextu rē distulerunt, instare comitiorum tēpus, designandosq; sibi prius esse consules: quod futurum esse perbreui. designatis vero cōsulibus vna cum illis se relaturos ad senatum de legumlatoribus. Quod cū tribuni concederent, habitis solito maturius comitiis, consules designarunt Appiū Claudium & Titum Genucium. deinde posita omni reipublicæ cura, quasi ad alios iam pertinente, non amplius mentē adhibebant tribunis, sed reliquum consulatus tēpus fallere cogitabant. & alter consulū Menenius diuturno tenebatur morbo, nec deerant qui dicerent eum tristitia & animi mœrore tabescentem, inualitudine non facile potuisse liberari. Hac occasione vsus Sestius, quasi ipse dimidiata potestate nihil posset agere, tribunorum preces eludebat, in nouos magistratus differens. Qui cum aliud agere non possent, ad Appium & collegam confugere cogebantur, etiamsi nondum hi magistratum assumpserant: eosque nunc pro concione nunc priuatim sollicitabant. tandemque persuaserūt eis vt pro plebe facerēt, proposita magnorū honorū ac potestatum spe. Subierat enim Appium noui magistratus desiderium, vt patriæ ferret leges pacis & concordiæ, suoque exēplo ceteros adduceret vt omnes vnā esse rempublicam existimarent. Non tamē permansit in officio viri boni, ornatus magistratu eximio, sed postremo incidit in ambitionē nefariā, corruptus potestatis magnitudine: vt minimum abfuerit à tyrānide: qua de re suo loco dicetur commodius.

Tunc

Tunc vero bono consilio, persuaso item collega, sæpius à tribunis in concionem vocatus accessit, ac prolixe humaniterque disseruit. Capita vero eius concionis fuerunt hęc: Vt leges ferantur, seditionesque de iuris æqualitate in ciuitate sopiantur, & sibi & collegæ, omnium maxime placere; neque se dissimulare suam sententiã. creandi vero legislatores nullam sibi esse potestatẽ, quando nondum magistratum inierint. Menenio vero atque collegæ adeo se non aduersaturos, exsequentibus senatus volũtatem, vt etiam eos sint adiuturi, magnamque gratiam habituri. qui si tergiuersentur, ac prætextu imperii, negent sibi licere alios consulari potestate magistratus designare, quod nos iam confirmati simus consules, se non obstaturos quo minus creent; libenterque cessuros aliis in suam vicem electis, modo id probetur etiam senatui. Ceterum populo hanc voluntatem collaudante, cunctisque cateruatim ad curiam properantibus, necesse habuit Sestius solus senatum cogere, (quoniam Menenius collega propter morbum adesse non poterat) & referre de legibus. Ibi quoque multa in vtramque partem dicta sunt, tum ab iis qui legibus administrandam rempublicam censebant, tum ab iis qui patrias consuetudines retinendas arbitrabantur. sed vicit recens creatorum consulum sententia, quã dixit Appius Claudius primo loco rogatus; eligendos decemuiros è senatus primoribus: eorum annuum esse imperium, ex eo die quo creati fuerint; & penes eos esse rerum summam, vt *modo* penes consules, & olim penes reges. interim cessare omnes magistratus ceteros, donec rursum iuxta leges creati fuerint. eosque decemuiros tum priuatas controuersias dirimere, tum reipublicæ tutelam administrare. LXIII.

Tribuni accepto hoc S C. in concionem prodierunt; eoque publice recitato, prolixe tum senatum laudarunt, tum sententiæ istius auctorem Appium. deinde vbi comitiorũ tempus aduenit, tribuni conuocata plebe, consules quoq; designatos adesse iusserunt, vt pollicita præstarent populo: atque hi progressi, consulatum eiurauerunt. Quos populus vehementer laudauit & admiratus est; & quia communibus suffragiis legumlatores creandi erant, eos præ ceteris legit. atque ita centuriatis comitiis creati sunt, Appius Claudius & Titus Genucius, (qui in sequentem annum LXIV.

designati consules fuerant) cumque his Publius Sestius eius anni consul, & tres legati qui à Græcis leges attulerant, Publius Postumius, Seruius Sulpicius, Aulus Manlius, & vnus ex superioris anni consulibus, Titus Romilius, qui accusante Siccio damnatus à plebe, post auctor popularis sententiæ fuerat: ex reliquo deinde senatu Caius Iulius, Titus Veturius, Publius Horatius, consulares omnes: tribunorum vero, ædilium, quæstorum, & siqui erant alii Romanis solennes magistratus, *ad tempus* antiquati sunt.

LXV. *A. V. C. 303 decemuiri pro conss. rēp. administrāt*

Itaque sequente anno decemuiri assumptis ciuitatis gubernaculis, talem reipublicę formam constituerunt. Penes vnum illorum fasces erāt & reliqua consularis potestatis insignia. is senatum conuocabat, decreta confirmabat, ceteraque prætoris munia exsequebatur. reliqui, ad minuendā potestatis inuidiam, non multum à priuatis differebāt habitu. deinde alius in potestatem succedebat, seruatis vicib': atque ita annuum imperium administrabatur, stato quodā dierum numero. omnes autem à mane pro tribunali cognoscebant caussas plebeias & publicas; tum quotquot de subditis, sociis, aut dubia fide vrbi parentibus querelæ inciderent, singulas summa æquitate atque iustitia diiudicabant: visaque est respublica eo anno à decemuiris quam optime administrari. Sed maxime laudabatur cura plebeiorum hominum, tenuiorumque contra omnem *potentiorū* vim defensio: iactabaturque à multis, non fore opus ciuitati aliis magistratibus; quod vnus prudenti moderatoque imperio administraret omnia; cuius auctor & princeps habebatur Appius; & laudem à populo ferebat totius decemuirorum collegii. nam non ea solum quę vna cum collegis sano consilio agebat, opinionem bonitatis ei conciliabant, sed multo magis ea quæ per se exercebat continue, salutādo & appellando comiter, aliisq; humanitatis officiis pauperes demerendo.

LXVI. *Legum tabulæ X.*

Hi decemuiri leges tum ex Græcorū iure, tum è patriis consuetudinibus conscriptas, in decem tabulis proposuerunt cuilibet cognoscendas; ferentes admoneri se à priuatis hominibus, & scripta sic conformantes vt placerent omnibus: diuque cum optimis quibusque in publico consederunt, & singulas leges ad exquisitissimū examen reuocarunt. vbi vero visæ sunt sat recte habere, primum senatu coacto, nemine amplius de vlla lege con-

querente, S C de eis fecerunt: deinde conuocato ad centuriata comitia populo, pontificibus, auguribus, ceterisque sacerdotibus præsentibus, & sacra de more præeuntibus, calculos dederunt centuriis. tum plebiscito quoque confirmatas, & in æreas columnas incisas, vna serie proposuerunt in loco fori maxime conspicuo. Et quoniam non multum supererat de magistratu annuo, conuocatis patribus, retulerunt ad eos de comitiis. Inter varias sententias vicit ea quę censebat rerum summam committendam iterum decemuiris. videbatur enim aliquantum deesse legum numero, propter breuitatem temporis quo perlatæ erant: & vt iam comprobatæ, tum à volentibus tũ à nolentibus obseruarentur, opus esse *rursum* absoluto imperio. sed nihil magis in caussa fuit cur reficerentur decemuiri, quam tribunitiæ potestatis abrogatio; quæ maxime quærebatur. atq; hæc publice consultantibus sententia placuit. priuatim autem senatus proceres decreuerunt ambire eum magistratum; veriti ne si forte homines turbulenti tantam potestatem adipiscerẽtur, magnam aliquam cladem afferrent reipublicæ. Quod senatus placitum cum plebs lubenter amplexa esset, promptissimoque animo comprobasset, decẽuiri diem indixerunt comitiis, magistratum vero petierũt honoratissimi & natu maximi è patribus.

Ibi omnium ore ad cælum ferebatur decemuiratus dux & auctor Appius, tota plebe annitente vt in magistratu retineretur; quod nõ alius *e toto collegio* meli⁹ se in magistratu gessisset. Ille primum ficte recusabat, missionem petens ab administratione æque negotiosa atque inuidiosa. tandẽ, velut omnium precibus cedens, & ipse magistratum ambire sustinuit; & competitorum optimos quoque criminãdo, quasi sibi parum æquos præ inuidia, amicos suos aperte adiuuabat. itaq; rursum centuriatis comitiis decẽuir factus est, & cũ eo Quintus Fabius Vibulanus, consulatu ter functus, vir inculpatus hactenus: è reliquis vero patriciis, ipsius *Appii* fauore creati sunt, Marcus Cornelius, Marcus Seruilius, Lucius Minucius, Titus Antonius, Manius Rabuleius, viri nõ admodũ clari: ex plebe vero Quintus Petilius, Cæso Duellius, Sp. Oppius. quos *tres* Appius assumpsit, vt maiorem sibi conciliaret plebis gratiam: æquum dicens, magistratus eius qui omnibus pręesset, etiã plebem LXVII.

esse participem. In quibus omnibus cùm summopere probaretur, & non reges tantum, sed eos etiam qui annuo imperio vrbi præfuerant, superare videretur, magistratum in annum sequẽtem rursum accepit. nec aliud sub eo decemuiratu Romæ actum est, quod quidem memoratu dignũ sit.

LXVIII. *A.V.C. 304 iterum creati decemuiri.* Sequente igitur anno Appius Claudius cum collegis decemuiratum consulari potestate iniit idibus Maiis; quæ inciderunt in plenilunium, vt tum menses obseruabantur pro ratione lunari. Ante omnia fœdus clãdestinum inter ipsos iureiurando ictum est, nequis ex collegio vlla in re aduersaretur alteri; sed quod vnus eorum probasset, idem & ceteri ratum haberent; totoque vitæ spatio retinerent imperium, nec vllum alium ad reipublicę gubernacula admitterent, ipsiq; pari honore, pari potestate essent, senatusconsultis & plebiscitis non nisi raro, idque necessario, vterentur; maximam rerum partem suæ potestati vindicarẽt. Porro cum instaret dies quo magistratum inituri erant, (est autem is dies Romanis sacer, summaque religione ducitur, nec quidquam iniucundum eo die vel audire vel videre sustinent) post peracta Diis sacra solennia, mane prodierunt omnes cum omnibus insigniis regiis. at populus vt vidit eos non amplius retinere popularem illum & moderatum magistratus habitum, nec per vices insignia regia sumere, statim ingenti mœstitia correptus est. maxime autem terrebãt secures additæ lictorum fascibus, qui duodeni præcedebant singulos, submouentes per vias pulsantesque multitudinem, quemadmodum olim sub regibus: qui mos cõfestim post eorum eiectionem antiquatus fuerat à Publio Valerio, viro populari, qui in regiam potestatem successerat. eumque deinceps omnes insecuti consules, vt pulchri exempli auctorem, imitati sunt, contenti fascibus, nec addentes secures; (nisi in expeditionibus, aliisue profectionibus: quoties enim bellum externum gererent, aut res subditorum inuiserent, secures quoque fascibus adiungebant) ne aspectus terror, qui aduersus hostes aut seruos adscisci solet, tædium moueret ciuibus.

LXIX. Cum igitur omnes id conspexissent, quod regiæ potestatis insigne habebatur, magnus omnes (vt dixi) metus inuasit, actum esse de libertate opinantes, & pro vno rege decem se habituros. Ita perterrita multitudine, decemuiri statuerunt eum terrorem

rorem in imperio deinceps retinere, stipantes se singuli manu audacissimorum sibiq; coniunctissimorũ iuuenum. Nec mirum si in humili tenuique fortuna non pauci inuẽti sunt qui adularentur tyrannicæ potentiæ, sua commoda preferentes bono publico: sed illud mirandum, fuisse etiam in patriciorum ordine nonnullos, & eos quidem genere atque opibus eminentes, qui decemuiros in opprimenda patriæ libertate adiuuare sustinuerint; cum illi omnibus voluptatibus quibus capi humanum genus solet, indulgẽtes, magna licentia exercerent imperium, senatum populumque Romanum pro nihilo habentes, omnium ipsi legislatores & iudices, multos ciuium occidentes iniuste, multos bonis exuentes. Vt autem iniusta & atrocia eorum facinora specioso iustitiæ velo tegerentur, singulis caussis sua erant iudicia: erant vero & accusatores ab illis ex suæ factionis hominibus subornati, & iudices è sodalium numero creati: qui mutuas sibi in iudiciis præstabant operas. nec pauca crimina, & quidem quæ maximi essent momenti, decemuiri suæ cognitioni vindicabant. proinde qui non fidebant iuri suo, necesse habebant *iudicum* sodalitiis se iungere: alioqui non erat spes victoriæ. Ita progressu temporis factum est vt plures in vrbe corrupti ac vitiosi essent quam sani. qui enim decemuirorum licentia offendebantur, intra mœnia manere nolebant, sed in prædia sua secedebant, tempus comitiorum exspectãtes; quasi exacto anno potestatem deposituri essent decemuiri, & creaturi magistratus alios. Sed Appius cum collegis suis, legibus quæ deerant, in duas tabulas scriptis, addidit eas decem prioribus: inter quas & hæc lex erat, ne patriciis cum plebeiis licita essent connubia: nõ ob aliam, vt ego interpretor, caussam, quam ne per mutua familiarum connubia atque affinitates coalesceret inter ordines concordia. Vbi vero comitiorum tempus aduenit, valere iussis patriis consuetudinibus, simul & nouis legibus, neque senatus neque populi suffragiis exspectatis, in magistratu permanserunt. Post cum annum acta est Olympias octogesima tertia, qua stadio vicit Criso Himerensis, principe Athenis Philisco, cum Romæ consularẽ potestatem obtinebat Ap. Claudius, iam tertium annum continue decemuiratu fungens; & ii quos anno preterito imperii collegas habuerat, iterum in eadem potestate manebant.

XII. legum tabulæ.

DIONYSII ALEXANDRI F. HALICARNASSENSIS, ANTIQVITATUM Romanarum Liber vndecimus.

I.
A.V.C.305 superioris anni decemuiri, cũ in magistratu permanerent, ob immodicã tyrannidem imperio priuantur.



ERTIA vero & octogesima Olympiade, qua stadio vicit Criso Himerensis, archonte Athenis Philisco, Romani decemuiratum abrogant, cum respublica triennium penes eum magistratum fuisset. Qua ratione vero eam potestatem post actas iam radices excidere sint aggressi, & quorum ductu libertatem asseruerint, quasque ob caussas, & quibus occasionibus; re ab initio repetita, conabor percensere. Talia enim cognoscere, pulchrum atque adeo necessarium esse iudico, tum omnibus in summa hominibus, tum iis maxime qui in philosophicis contemplationibus & ciuilibus actionibus versantur. nam plerisque non hoc solum sufficit ex historia intelligere, quod (verbi gratia) Athenienses & Lacedæmonii in bello contra Persas, duobus prœliis naualibus & vno pedestri vicerunt, regemque barbarum tricies centena milia ducentem debellarunt, cum ipsorum & sociorum copiæ non excederent centum & decem milia: verum etiam loca in quibus res illæ gestæ sunt, ex historia perdiscere cupiunt, caussasq; audire, quarum interuentu tam admiranda tamque inopinata facinora sunt edita, quique tum barbarici tum Græcanici exercitus fuerint duces; neque (vt *breuiter* rem absoluam) quidquã eorum quæ in prœliis peracta sunt, auribus suis subtrahi. magna enim voluptate cuiusuis hominis animus pfunditur, quũ verbis ceu manu ad res deducitur, nec tãtũ audit quæ dicũtur, verũ etiã oculis cernit quæ gerũtur. neq; satis habent, cum ciuiles actiones audiũt, ipsũ caput & exitũ rerũ cognoscere, *vt* ꝗ Atheni. Lacedæm. fuerint vrbis suæ mœnia diruere, naues cõcidere, arci præsidiũ imponere, abolitaq; populari reip. forma à maiorib. tradita, pau

eorũ imperio rerũ summam cõmittere, ne prœlio quidẽ vllo cõtra eos tentato: sed statim edoceri cupiũt quib9 necessitatibus vrbs cõstricta, duras istas atque indignas conditiones subierit, quib. itẽ rationũ momentis, & à quib. hominibus psuasa; & quæcũq; deniq; alia res comitãtur, *exponi sibi voluũt*. Politicis aũt hominib. (in quorũ numero ego philosophos quoq; pono, eos *nimirũ* qui philosophiã nõ tã verborũ quã rerũ honestarũ studio definiẽdã arbitrãtur) voluptas illa quã pfecta eorũ quæ res comitãtur, contẽplatio affert, cũ reliquo hominũ genere cõmunis est. Sed solet præter eã voluptatẽ etiã magna sæpenumero vtilitas ex eiusmodi rerũ notitia ad resp. in tẽporũ angustiis redundare; dũ orationis ductus efficit vt sua spõte intelligãt quid expediat. facillime nãq; hões quid psit aut obsit animaduertũt, cũ multa multorũ exẽpla intuẽtur: & iis qui illa imitanda pponũt, magnæ prudentiæ sapientiæq; testimonium perhibẽt. Has igitur ob caussas statui accurate omnia persequi q̃ in huius paucorũ dominatus antiquatione cõtigerũt memoratu digna. In quorũ narratione nõ ab vltimis exordiar, è quibus solis pleriq; libertatis asserẽdę occasionẽ arreptã existimãt, à *delicto* scilic. Appii, ꝗ virginis amore capt9 ppetrauit: (nã accessio hæc est, & vltima plebeiorũ iræ caussa; quũ aliæ innumerę *caussæ* pcesserint) sed ab iis iniuriis quas resp. primũ è deceũiratu ppessa ẽ, initiũ faciã, ac deinceps ordine denarrabo quotquot alię in isto rerũ statu admissę sunt iniquitates. Primũ igitur illi paucorũ dominatui odium conflasse videtur, ꝗ secũdi ãni magistratũ cũ priore cõtinuarunt, neglecto populo, & contẽpto senatu. deinde ꝗ præstãtissimos quosq;, quib9 institutũ illorũ nõ pbaretur, atrocibus in eos confictis criminibus, partim vrbe pepulerũt, partim trucidarũt; submissisq; ex factione sua accusatorib9, ipsi iudiciis istis præfuere: maxime vero, ꝗ audacissimis quibusq; iuuenũ, quibus singuli se stipauerãt, bona illorũ qui in reip. administratione ipsis aduersarẽtur, agere ac ferre pmiserunt. qui, tãq̃ belli vi capta ciuitate, nõ facultatib9 solũ legitimos possessores exuerunt, verum etiam in vxores eorũ quæ forma præstarent, deliquerunt, & in filias eorundem nubiles libidinem exercuerunt: ac, siqui *eo nomine* indignarentur, eos haud secus ac mancipia verberibus mulctarunt, effeceruntq; vt quibus intolerabilia viderentur eorum facinora, relicta patria, cum vxoribus & liberis in vicina emigrarent

oppida. nam & Latini eos recipiebant, quod cognati eis essent; & Hernici item, quod non ita pridem æquale ciuitatis ius à Romanis accepissent. quare, vt facile coniectare est, ad extremum nulli in vrbe remanserunt, nisi quibus tyrannis placeret, nec vlla reipublicæ cura esset. nam nec patricii manendum censebant, (vt qui neque abblandiri dominatibus vellent, neque actionibus eorum obsistere possent) nec qui senatorio ordini adscripti erant, & magistratibus adesse tenebantur: sed horum quoque maior pars cum tota familia & instrumento omni, relictis ædibus vacuis, ru degebant. qui vero paucorum dominatui studebant, clarissimorum quorumque exsilia grata erant; tum ab multis de caussis, tum quod libidinosissimis quibusque iuuenibus maior indies contumacia accresceret, ac ne aspectum quidem eorum ferre possent quos in petulantiæ facinoribus reuereri cogerentur.

IV. Porro cum meliore sui parte orbata esset ciuitas, omnemque amisisset libertatem, hostes qui ante bello superati fuerant, rati se optimam occasionem nactos, qua & iniurias sibi factas vlcisci, & amissa recuperare possent, quippe quod propter istum paucorum dominatum langueret ciuitas, & neque in concordiam coire, neque res amplius capessere valeret, comparatis rebus ad bellum necessariis, cum magnis copiis vrbem petunt. Eodemque tempore Sabini facta in finitimum agrum irruptione, copiosa potiti præda post magnam agrestis multitudinis cædem, ad Eretum castra posuere. distat autem ab vrbe istud oppidum centum & quadraginta stadiis, non procul Tiberi situm. Æqui etiam, facta in Tusculanorum agros sibi cõfines incursione, cum magnam illorum partem populati essent, in Algido castra locant. Decemuiri, fama de aduentu hostium consternati, sodalitia sua conuocant, & cum iis quid facto opus sit consultant. Ibi cum omnes in id consensissent, educendum esse in hostes exercitum, neque exspectandum donec ad ipsam vrbem aduentassent hostiles copiæ, de eo primum magnopere dubitabatur, an omnes ciues ad arma vocandi essent, atque illi etiam quibus exosa esset ista reipublicæ administratio: deinde quanam ratione conscribendi essent milites, rigide ne ac seuere, vt reges & consules factitare consueuerant; an humaniter ac moderate. Sed neque hoc

Hostium incursiones.

leuem

leuem disquisitionem requirere videbatur, cuiusnam auctoritate confirmanda esset ista de bello gerendo sentẽtia, delectusque decernendus, senatusne, an plebis; an neutrius horum partis, quod vtrique suspecti essent; sed ipsorummet decemuirorum. Tandem post longam deliberationem, statuerunt senatum conuocare, atque efficere vt is & bellum ipsis decerneret, & conscribendarum copiarum curam committeret. quorum vtrumque si senatus auctoritate decretum esset, primum omnes sibi obtemperaturos opinabantur; pręsertim quod tribunitia potestas sublata esset, cui vni legibus concessum erat magistratuũ iussis intercedere: deinde, etiamsi aliquatenus senatui subseruire viderentur, eiusque decreta exsequi, *at saltem* belli gerendi potestatem legitime accepturos.

His consiliis agitatis, subornatisque ex factione atq; cognatione sua qui instituto ipsorũ cõferentes sentẽtias in senatu dicerẽt, ac diuersum probantib⁹ aduersarẽtur, in forũ prodierunt, ac præconem senatores suo quemque nomine vocare iusserunt. Ibi quũ ne ex mediocribus quidem vllus respondisset, & post longam præconis citationem nemo aduenisset, nisi ii qui paucorum dominatui adularentur, in quibus erat pessima factionis illius pars: mirabantur qui tunc in foro erant, eos, cum hactenus nulla de re senatum conuocassent, nunc primum agnoscere esse aliquem bonorum virorum apud Romanos consessum, quos de republica dispicere oporteret. Porro illi his visis, ex ædibus senatores in curiam cogere cœperunt. sed cum plerasque domos vacuas relictas cognouissent, rem in diem posterũ distulerunt. Interea missis per agros *ministris*, inde eos aduocabant. Cumque plena esset curia, progressus Appius, decemuiratus auctor & dux, renuntiauit ex duobus populis, Æquis & Sabinis, inferri vrbi bellum; orationemque magna cura meditatã habuit: cuius hic erat scopus, vt delectus militum decerneretur, & quam celerrime educeretur exercitus; quippe quod tempus nullam morã concederet. Quæ cum perorasset, surgit L. Valerius cognomento Potitus vir maiorum claritate eminens. nam pater ei erat Valerius is qui Capitolium ab Herdonio Sabino occupatum *strenua* expugnatione recuperauerat, atq; in ea pugna occubuerat: auus vero ei paternus erat Poplicola, is qui eie-

V. *Decemuiri senatu de externis bellis conuocato, prius intestinum bellum experiuntur.*

VI.

ctis regibus, optimatum imperio remp. aſſeruerat. Quem
cum prodeuntem animaduertiſſet Appius, ſuſpicatus eum
aliquid è ſuo dicturum genio; Nõ hic tuus, inquit, locus eſt
Valeri, neque tibi nũc loqui fas eſt: ſed poſtquam hi ſenio-
res atque honoratiores ſententiam dixerint, tunc & tu vo-
catus, dices quid tibi videatur. interim ſede ac ſile. Ibi Vale-
rius, At non de his, inquit, dicturus aſſurrexi; ſed de aliis
maioribus magiſque neceſſariis: de quibus primum ſenatũ
commonendum exiſtimo. is vero ex his quæ dicentur, ſatis
perſpiciet, vtrum illa reip. ſint magis neceſſaria ob quæ vos
hunc conſeſſum conuocaſtis, an ea quæ à me proponentur.
Sed ne mihi dicendi poteſtatem adime, qui ſenator ſum, ac
Valerius, & de ſalute reip. diſſerere cupio. Quodſi vero cõ-
ſuetam aduerſus omnes contumaciam ſeruaueris, quoſnã
tribunos implorabo? abolitum enim à vobis eſt vim pati-
entium ciuium præſidium. Ac quonã malo leuius eſſe pu-
tandum eſt, quod cum ſim Valerius Potitus, velut vnus ex
infima multitudine, non fruor æquo iure, ſed tribunitiæ
poteſtatis ope indigeo? Verũ enimuero quando eo magi-
ſtratu orbati ſumus, vos qui vna cum iſto illum quoque
magiſtratũ aſſumpſiſtis, ac rerum in ciuitate potimini o-
mnes appello: ac licet non ignorem me fruſtra id facere ta-
men cunctis conſpirationem veſtram innoteſcere volui, qua
confuſa republica, vnum omnes animum geratis. Immo
vero te ſolum appello, Quinte Fabi Vibulane, vt cum tri-
bus conſulatibus exornatus fueris, *intelligamus* an eandem
etiamnum mentem geras. Sed ſurge, ac vim patientibus
ſuccurre. ad te namque conſeſſus hic reſpicit. Quæ cũ Va-
lerius dixiſſet, Fabius præ pudore non auſus eſt aſſurgere,
nec quidquam reſpondere. Interim Appius cum reliquis
VII. decemuiris exſiliens, eum loqui vetuit. Vbi cum toto
cõſeſſu magnus exortus eſſet tumultus; ac plerique omnes
indignarentur, at factio illorum dictis eorum patrocinare-
tur, ſurgit Marcus Horatius cognomine Barbatus, eius
Horatii nepos qui poſt eiectos ex vrbe reges, Publii Vale-
rii Poplicolæ collega in conſulatu fuerat; vir & bello acer,
& dicendi non imperitus, ac Valerii à priſcis temporibus
amicus. qui cum bilem diutius cohibere non poſſet, Citius,
inquit, frenos me rumpere cogitis Appi, dum nullum am-
plius modum ſeruatis, ſed Tarquiniũ illum induitis: quip-
pe qui ne dicendi quidẽ copiam facitis iis qui de ſalute reip.

verba facere cupiunt. An menti vestræ excidit, superstites adhuc esse Valeriorum illorum qui tyrannidẽ ex vrbe expulerunt, nepotes, ac Horatiam familiam successores habere, quibus patrium sit cum patriæ libertatis oppressoribus congredi, vel vna cum aliis, vel *etiam* solis? An nos & Quirites ceteros eo ignauiæ deuenisse iudicatis, vt modo nobis vita qualiscumque concedatur, gratum habituri simus, nec pro dictorũ, factorumque libertate conseruanda quidquam vel dicturi vel acturi? an potestatis amplitudo vos inebriauit? Vos dum Valerio aut alii cuipiam senatori dicendi potestatem adimitis, quinam estis *quæso*, aut quemnam legitimum magistratum geritis? annon annua vobis reipublicæ administratio demandata est? annon elapsum est imperii vestri tempus? añon priuati iam ex legum præscripto estis? De his ad populum referendis cogitate. nam quid est ꝙ cuicumque de nostro ordine obstare possit quominus concionem conuocet, ac magistratum vestrum, quẽ contra leges tenetis, accuset? Calculum ciuibus hac ipsa de re permittite, vtrum manere decẽuiratum vestrum velint, an patrios rursum creari magistratus ac si forte popul⁹ insaniens hoc *iugum* subeat, iterum eundem statum obtinete: & si iusta hæc videantur, vetate quidquid aliquis pro patria dicere cogitat. digni enim simus qui & hæc & adhuc deteriora patiamur, si vestro imperio nos submittamus, turpique vita nostras & maiorum virtutes maculemus.

VIII.

Nondum orationem finierat, cum decemuiri eum magno clamore circumsistunt, tribunitiamque potestatem intentantes, minantur se de saxo *Tarpeio* eum deturbaturos, ni cõticescat. Ad quas minas coortus est ex omnib⁹ clamor, quasi libertas eorũ violaretur: indignationeque ac tumultu plenus erat tot⁹ *patrũ* consessus Quocirca decẽuiros statim pœnituit ꝓhibitionis illius & cõminationis, vt senatum ea re viderunt irritatũ Itaq; progressus *in medium* Appius, tumultuantesq; precatus vt paulisper cõticescerent, post compositas istas turbas; Nemini vestrum, inquit, P C. dicendi potestatem adimimus, qui quidem suo tẽpore verba faciat: sed eos qui *præ ceteris* eminent, & priusquam vocentur, exsurgunt, *dicere* prohibemus. ne igitur indignemini. nam Horatio, Valerio, & cuilibet alii sententiam suo loco, iuxta veterem consuetudinem, dicere concedetur,

dummodo de iis de quibus consultatum conuenistis, verba faciant, neque extra *hos limites* euagentur. Si vero popularibus orationibus vos circumducant, seditionesque in ciuitate serant, nec *aliud* quidquam suis concionibus ad rem conferant, tunc nobis, Horati, permissu populi modum excedentes cohibere licet: quam potestatem tunc nobis dedit populus, cum & consulare nobis & tribunitium imperium decreuit. necdum magistratus huius tempus elapsum est, vt tibi quidem videtur, neque enim in annum creati sumus, vel in aliud tempus statum, sed quoad legumlatio omnibus numeris à nobis absoluta fuerit. Vbi autem perfecerimus quæ animo *adhuc* agitamus, & reliquas leges ratas fecerimus, tunc deposito imperio, quibuslibet vestrum factorum nostrorum rationem reddere parati sumus. Interea nihil vel de cõsulari vel de tribunitia potestate demi-nuemus. *Nunc* vero de bello, quæ optima expeditissimaque propulsandorum hostium sit ratio, sententias ordine à vobis dici velim: primum quidem, vt consuetudinis *ac deco*ris ratio postulat, à senioribus: deinde à mediis, postremo à iunioribus.

IX. His dictis, primum vocauit patruum suum Caiũ Claudium. Is surgens in hanc sententiam verba fecit: Quoniam me primum sententiam dicere vult Appius, P. C. cognationis nimirũ honore, vt par est, ac de bello aduersus Æquos & Sabinos dicendum mihi est quid sentiam, antequam mentem meam aperiam, illud vos perpendere velim, qua spe elati Æqui ac Sabini, bellum nobis inferre ausi sint, agrosque nostros incursionibus populari; qui hactenus gratum habuerunt ac pro magno Deorum beneficio reputarunt, si sua tuto possidere sinerentur. Id enim si cognoueritis, perspexeritis etiam quomodo bellum aduersus eas gentes summoueri commodissime possit. Illi ergo postquam audiere concussam atque ægram esse nostram rempublicam, atque iis qui nunc rerum potiuntur, nec plebem fauere nec patricios: (neque vanus is rumor est, immo *nimis* verus: quæ vero eius sint caussæ, cum perspectum vobis sit, nõ opus est exponere) existimarunt si præter intestina mala, etiam externo aliquo bello tentaremur, ac magistratus ad regionis defensionem copias educere instituerent, neque ciues omnes ad præstandum sacramentũ vt ante promptis animis

animis accessuros, quippe qui magistratibus essent infensi; neq; ipsos duces lege vsuros ad vindicandam emanentium contumaciã, metu maioris alicuius mali: atque adeo siqui obtemperarent & arma caperent, vel signa deserturos, vel mansuros quidem, sed spontanea ignauia rẽ male gesturos in prœlio. quæ illorũ spes nõ caret ratione. cum .n. concordibus animis arma sumit ciuitas, idemque oẽs expedire cẽsent, tum magistratus tum subditi, omnes alacri animo se aduersis offerunt, neque laborem vllũ aut periculum reformidant. cum vero intestinis seditionibus laborans, antequã illæ componantur, externis hostibus occurrit, ac plebs quidem cogitat, sibi non pro suis opibus ærumnas esse perferendas, sed vt aliis firmius in se imperium astruat; duces vero reputant, non minus sibi domesticos q̃ externos hostes esse, languent cetera, & quæuis manus tales exercitus vincere ac delere potest. Hæc P C Sabinorum & Æquorum cogitata sunt; quorum fiducia in agros nostros irruperunt. Si ergo tam superbum illorum contemptum indignati, in hoc iræ feruore copias aduersus illos educẽdas decernam⁹, vereor ne quod illi cogitarunt, nobis accidat: immo euenturum probe scio. Sed si prima & maxime necessaria in integrũ restituerimus, vt scilicet plebs ad decentem modestiã redigatur, idemq; omnibus de *publica* vtilitate sit animus, exterminatis è ciuitate iniuriis & cupiditatibus quæ nunc inoleuerunt, & restituta pristina reipublicæ forma, cõcidet ista hostium audacia, proiectisq; armis breui ad nos veniẽt, vt & damna pensent, & de pace tractent: atque *ita* nobis contingent vt, quod omnium sanorũ votis merito expetitur, bellum istud sine armis conficere liceat. His reputatis, arbitror nobis, quoniam turbulentus est domesticarum rerũ status, belli consilium in præsens omittendũ esse, ac de cõcordia decentique rerum ordine faciendam cuilibet dicẽdi potestatem. neq; enim *hactenus* nobis licuit, antequam eo deuentum esset vt ad belli consilium ab isto magistratu cõuocaremur, *his de rebus* consultare, dum is rerũ in vrbe status est, accognoscere siquid eorum quæ fiunt, minus recte gereretur. & maximam reprehensionẽ mereatur, siquis ista occasione neglecta, de aliis in præsens verba facere velit: nec certo quis polliceri possit, si hæc occasio vt minus commoda dimittatur, nos aliam nacturos opportuniorẽ. siquis X.

enim ex præteritis de futuris coniecturam facere velit, lon-
XI. gum posthac interlabetur tempus anteq̃ rursus ad capien-
dum de rep. consilium conueniamus. Itaque rogo vos Ap-
pi, qui *nunc* reip. præestis, & publica ciuitatis commoda, nõ
priuata emolumẽta vestra spectare debetis, siquid veri ver-
bis liberioribus neque ad gratiam vestram accommodatis
dicam, ne mihi eo nomine infensi sitis; sed cogitetis meũ
ad probrum aut contumeliam magistratus vestri verba fa-
cere, sed vt demonstrem quantis procellis agitetur resp. &
quanam rerum emendatione, incolumitati suæ possit re-
stitui. nam tum omnes quibus incolumis patriæ status cu-
ræ est, necesse habent de publicis commodis verba facere,
tum in primis ego ac primum quidem honoris gratia, quia
primus sententiam rogatus sum: esset aũt turpitudinis ac
stultitię singularis, si, qui primus surgit, reticeret q̃ omnium
prima emendationem desiderant. deinde, quia necesse est,
me, cum patruus sim Appii decemuiratus principis, & ma-
gnam voluptatem percipere cum resp. bene ab illis admi-
nistratur, & præ quibuscumq; aliis mœrore affici, cum ad-
ministratur male. præterea, quia hoc in reip. administratio-
ne propositum, à maioribus in me deriuatum sentio, vt pu-
blica cõmoda priuatis anteponam, nec vllius priuati peri-
culi rationẽ habeam. quod vitæ institutum cum mihi pro-
posuerim, haudquaquam sponte deseruerim, nec maiorum
virtutes dedecorauerim. Porro hunc reip. statum vitiosum
esse & ferme omnibus inuisum, hoc præcipue documento
cognoscere est, quod omnes qui publica munera obeunt,
(quod vnum vobis ignorare non licet) quotidie ex vrbe p-
fugiunt, relictis paternis laribus: tum ex plebeiis optimus
quisque, alius in vicina oppida cum vxore ac liberis sedem
transfert, alius in remotissimos ab vrbe agros *secedit*. ac ne
patricii quidem multi in vrbe cõmorantur, vt ante; sed ho-
rum quoque maior pars ruri degit. & quid de ceteris dice-
re attinet, cum ex senatorio etiam ordine pauci, qui scilicet
genere aut amicitia coniuncti vobis sunt, intra muros ma-
neant; ceteri maiore solitudinis q̃ patriæ desiderio tenean-
tur? vtique cum senatus vobis conuocandus esset, ex agris
singulatim conuenere quibus velut hereditarium erat vna
cum magistratibus patriæ tutelam gerere, nec ab vllo reip.
munere abesse. Vtrum ergo putatis homines in desertione
patriæ

patriæ fugere, bona, an mala? mala, vt ego quidem arbitror. atqui quodnam maius malum existimatis accidere posse ciuitati, & quidem Romanæ, quæ magna domestica-rum copiarum multitudine indiget, modo firmum in finitimos retinere velit imperium; si tum à plebeiis tum à patriciis derelinquatur, nec bello premente, nec pestilentia, nec vlla alia calamitate fatali? Vultisne igitur audire quibus de caussis cogantur homines sacra & monumenta maiorum, laresque ac possessiones patrias desolare, & quoduis solum patrio magis necessarium ducere? neque enim hæc sine caussa ita fiunt. Equidem id vobis dicam, nec quidquam celabo. Multæ & à multis contra magistratum vestrum, Appi, querelæ proferuntur. quæ verę ne sint an falsæ, non opus est in præsentia disquirere. sed proferuntur tamen. atque vt *summatim* dicam, nulla ciuitatis pars excepta factione vestra, se præsenti rerum statui aggregat. nam qui præstantiores sunt, & præstantibus *maioribus* nati, cum ad ipsos pertineant sacerdotia & magistratus, ceterorumque honorum fructus quos maiores illorum perceperunt, ægre ferunt se per vos ab illis depelli, auitisque dignitatibus priuari. qui vero medium in ciuitate gradum obtinent, relictisque *publicis* negotiis quietum vitæ genus sectantur, cum lacrymis queritantur de iniquis vestris in bona rapinis, in vxores contumeliis, in filias nubiles libidinibus, aliisque multis ac grauibus iniuriis. at inopissima plebis pars, dum & comitiorum & suffragiorum iure fraudatur, nec vel in concionem vocatur, vel alius cuiuspiam ciuilis humanitatis particeps fit, propter hæc omnia vos odit, ac magistratum vestrum tyrannidem vocat. XII.

Quomodo ergo hæc corrigetis, vosque his criminibus apud ciues liberabitis? id enim adhuc dicendum restat. Si ex S C. populo cognoscendum permittatis vtrum malit consules, tribunos, ceterosque magistratus patrios creare, an hãc reipublicæ formam retinere. si enim omnes Romani paucorum dominatum probent, vosque eandem potestatem retinere velint, legitimum, non vi vsurpatum geretis magistratũ. at si consules rursum ceterosque magistratus, vt ante, creare malint, lege magistratum deponetis, nec in pares contra ipsorũ voluntatẽ imperium gessisse videbimini: id enim tyrannicum est; cum in optimatum imperio, XIII.

non nisi volentibus ciuibus geratur magistratus. Eius vero instituti te auctorem esse oportere censeo, stabilitumque à te paucorum dominatum, à te rursus antiquari, Appi; qui vt dudum vsui, ita nunc oneri est. Quæ vero ad te redundatura sint cõmoda, si mihi obsequens inuidiosum istud imperium deposueris, audi *quæso*. Si totũ collegium vestrũ idẽ sequatur propositum, cũcti hos quoq; tuo exemplo bonos viros esse factos opinabuntur. sin vero de iniquo principatu decedere recusent, tibi quidem gratias habebunt oẽs, qui solus recte facere volueris; illos aũt vel nolentes, cum dedecore & magno detrimento potestate exuent. Quodsi vos clandestino fœdere obstrinxistis, fideiq; mutuę Deos testes ac vindices adhibuistis, (forsan enim & tale quidpiam à vobis factum est) cogita fœdus illud, si seruetur, impium esse, vt contra patriam ac ciues initum: si vero violetur, piũ. Dii enim ad honesta & iusta, non ad turpia & iniusta pacta adhiberi amant.
XIV. At si inimicorum metu imperiũ deponere verearis, ne forte tibi aliquod ab illis creetur periculum, factorumque rationem reddere cogaris, perperam tibi metuis. neque enim tam pusillanimus vel ingratus erit populus Romanus, vt benemeritis obliuioni traditis, *tantum* delictorum tuorum memor sit futurus; sed superioribus malis bona præsentia æquo examine opponet, atque illis veniam, his vero laudem tribuet. Sed & eorum quæ ante istum paucorum dominatum multa ac præclara gessisti, memoriam plebi refricabis, ac pro gratia illis debita auxilium salutemq; reposces; & contra criminationes multis te modis tueri poteris: partim, quod non ipse deliqueris, sed ceterorum aliquis, te ignorante: partim quod delinquentẽ, æquali honore præditum, cohibere non potueris: partim quod alius cuiuspiam boni gratia, aliquid contra voluntatem admittere coactus sis. prolixa enim foret oratio, si omnes defensionis rationes enumerare vellem. Quibus vero nulla suppetit iusta vel æqua defensio, delictũ fatendo ac deprecando, offensorum iras mitigant; atque alii ad ætatis amentiam confugiunt, alii ad prauorum hominum consuetudines, alii ad imperii amplitudinem, alii ad fortunam quæ omnes hominum cogitationes solet eludere. Equidẽ si imperium deponas, polliceor tibi, fore vt omnium tuorũ delictorum memoria sepeliatur, & quantum in malis *licet*, honesta inter te & populum fiat gratiæ reconciliatio.

At vereor ne non verus ſit periculi prætextus quo minus de magiſtratu decedas: (ſexcentos enim enumerare liceat, qui tyrannide depoſita, nihil mali à ciuibus paſſi ſunt) ſed *metuo ne* veræ cauſſæ ſint inanis ambitio, ſolidæ gloriæ ſpeciem affectans; ac deſiderium pernicioſarum voluptatum, quas affert vita tyrannica. Quodſi non ſimulacra & vmbras honorum ac gloriæ ſectaris, ſed verorum honorum fructus quæris, redde patriæ optimatium imperium, & à paribus honores accipe; vt poſteritati exemplo ſis, & nepotibus pro mortali corpore immortalem gloriam relinquas. hi enim ſunt veri, ſtabiles, iucundi, nec vnquam pœnitendi honores. Conuerte animum, ac patriæ te commodis oblecta: quorum non minima pars tibi adſcribetur, ſi grauem ei principatum dempſeris. Exemplum horum à maioribus pete, atque animo agita, neminem ex illis dominatum appetiſſe, nec probroſis voluptatibus corporis ſeruiiſſe. quamobrem & in vita honorati fuerunt, & poſt mortem à poſteritate laudantur. hoc enim omnes illis teſtimonium perhibent, eos optimatum imperium, quod poſt exactos reges ciuitas in republica inſtituit, conſtantiſſime tutatos eſſe. Sed nec tuorum dictorum factorumque ſplendidiſſimorum obliuiſcere. nam primum tuum in ciuilibus actionibus inſtitutum, præclarum ſane fuit, magnamque virtutis ſpem in animis noſtris fouit: cui & reliquas actiones tuas velimus reſpondere. Redi ergo ad ingenium tuum, Appi fili, atque in reip. adminiſtratione tale inſtitutũ ſequere, quod te non tyrannorum ſed optimatum imperio fauere oſtendat, atque eos fuge, qui dicta & facta ſua ad gratiam tuam componunt, quorum conſuetudine à ſtudio probitatis rectaque via ſeductus es. neque enim rationi conſentaneum eſt, vt, per quos aliquis è bono factus eſt malus, per eoſdem rurſus ex improbo fiat bonus. XV.

Hæc tibi iam ſæpe aperire volui, ſolus cum ſolo colloquens, & partim velut ignorantem docere, partim velut delinquentem monere, domumque tuam adii non ſemel. ſed pueri me tui ab ædibus repulerunt, non vacare te dictitantes, ſed alia quædam agere magis neceſſaria. ſed forſan non tuo iuſſu, verum ſuopte iudicio mihi aditum intercluſerunt. quod vtinam ita ſit Res ergo ipſa coegit me coram ſenatu de iis de quibus *dudum* volui, tecum colloqui, quoniam XVI.

ſolus cum ſolo non potui. ſemper autem tempeſtiuius eſt, de honeſtis atq; vtilibus potius corã hominib. verba fieri, Appi, quam nuſquã. Iam me tibi generis de[..] ita perſoluiſſe, Deos teſtor, quorum fana & aras cõmunibus ſacrificiis honoramus quotquot Appiæ gentis ſucceſſores ſumus; maiorumque genios, quibus poſt Deos, ſecundos honores & gratias vna perſoluimus. ſupra omnes autem hosce teſtor tellurem quæ patrem tuum, fratrem meum complectitur, me tibi animum vocemq; meam ad ſuggerẽda quam optima conſilia pr[æ]ſtitiſſe. Itaque ignorantiam tuam pro virili mea corrigens, rogo ne malis mediçêre mala, neque dum plura appetis, præſentia amittas, neque vt paribus atq; adeo præſtantioribus imperes, te inferiorum deteriorumque imperio regi patiaris. Plura & de pluribus tibi loqui nunc ſuperſedeo. ſi enim Deus te ad ſaniora conſilia ducit, hæc ſatis ſuperque dicta ſunt: ſin ad deteriora, fruſtra forent quę dicenda reſtant. Habetis, patres conſcripti, & vos reipublicæ antiſtites, ſententiam meam tum de belli amolitione, tum de inteſtinarum turbaru[m] emendatione. Quibus ſiquis meliora proferat, optima quæque vincant.

XVII. Hæc cum peroraſſet Claudius, magnamq; ſenatui ſpem feciſſet fore vt decemuiri magiſtratum deponerent, Appius nihil ad hæc reſpondere voluit; ſed è ceteris paucorum dominatus aſſertoribus progreſſus *in medium* Marcus Cornelius; Nos, inquit, Claudi, de noſtris commodis ipſi diſpiciemus, neq; tuo conſilio quidquam indigemus. nam & ea ætate ſumus quæ prudentia maxime valet, vt nihil eorum quæ *noſſe* refert, ignoremus: neq; amici nobis deſunt, quibus, ſi opus ſit, vtamur conſiliariis. Deſine igitur ſenex rem intempeſtiuam agere, & ſententias apud eos loqui qui *tuo* conſilio non indigent. Quodſi Appium exhortari vis aut (quod verius eſt) conuitiari, conuitiare vbi ex *hoc* conſeſſu exieris. nunc vero de bello aduerſus Æquos ac Sabinos, de quo ſententiam rogatus es, quid tibi videatur dicito, atque extra rem nugari deſinito. Poſt hunc iterum ſurgit Claudius vultu mæſto, oculisq; lacrymarum plenis, & Appius, inquit, ne reſpõſo quidem me patruum ſuum coram vobis dignatur, Patres conſcripti, ſed vt domum mihi ſuam præcluſit, ſic hunc quoque conſeſſum, quantum in ſe eſt, inacceſſum reddit. quodſi verum fatendum eſt, etiam ex vrbe pellor.

pellor. non amplius enim rectis oculis intueri eum possim; cum indignus sit maioribus, & tyrannicas æmuletur iniquitates: sed collecto omni instrumento meo & familia, in Sabinos concedam, & Regilli habitabo, vnde gens nostra ortum ducit; ac tantisper ibi commorabor, donec hi præclarum hunc magistratũ gerent. vbi autem decemuiratui euenerint quæ breui euentura auguror, tunc *iterum* adero. atq; hæc de me. De bello autem hæc mea, Patres cõscripti, est sententia, nihil vlla de re decernendum esse, antequam creentur magistratus. Hæc locutus, resedit, magnamq; sibi laudem apud senatum peperit ob generosam indolem & libertatis studium, quod in dicenda sententia satis declararat.

Post hunc surrexit Lucius Quintius Cincinnatus, Titus Quintius Capitolinus, Lucius Lucretius, & reliqui deinceps senatus proceres. qui cum omnes in Claudii sententiã irent, perturbati collegæ Appii, statuerunt non amplius ætatis ac dignationis rationem in colligendis sententiis sequi, sed coniunctionis & sodalitatis. Itaq; progressus Marcus Cornelius, surgere iubet Lucium Corneliũ fratrem, qui Quintio Fabio Vibulano in tertio consulatu collega fuerat; virũ gnauum, nec ciuilis facundiæ imperitum. Is surgens, in hãc sententiam verba fecit: Mirum est, Patres conscripti, eos qui ante me sententiam dixerunt, primasque in senatu sibi vindicant, cum tanta ætate sint, ob ciuiles offensas irreconciliabilem aduersus reipublicæ proceres simultatem gerere, cum eos, quantum fieri poterat, tueri deberent, candideque cohortari iuuenes vt strenua pro honestate certamina susciperent, nec hostes sed amicos ducerent eos, qui pro communi salute ipsis aduersantur. Sed longe adhuc magis admirandum est, quod priuatas simultates ad publica ciuitatis negotia trahunt, & cum aduersariis suis interire malunt, quam cum omnibus amicis esse incolumes. Quæ procerum nostrorum amentia, modum adeo excedit vt propemodum diuinitus mens eis erepta videatur. Dum enim indigne ferunt se in ambiendo decemuiratu, quem nunc criminantur, repulsam passos esse, atq; illos in comitiis aptiores esse visos, perpetuum atq; irrecõciliabile cum eis bellum gerunt, atq; eo dementiæ vel potius insanię deueniunt, vt, modo hos apud vos traduçant, totã ciuitatem XVIII.

subuertere non dubitent. qui dum vident & regionem nostram ab hostibus deuastari, & ipsam fere vrbem ab iisdem inuadi, (nam paruo à nobis interuallo absunt) cum & iuniores ad certamen pro patria exhortari atque instigare deberent, & ipsi omni promptitudine ac studio, quantum quidem eius ætatis vires ferunt, opitulari, de ordinanda republica nunc vos consultare volunt, nouosque magistratus designare, & quiduis potius quam hostes pessumdare. ac ne hoc quidem animaduertere possunt, sententias suas, vel vota potius esse impossibilia, quod ita esse, sic perspicite.

XIX. Primum senatusconsultum fiet de comitiis: deinde decemuiri, comitiis indictis in tertias abhinc nundinas, patrum decreta ad populum referent. quomodo enim aliquid eorum quæ à populo decernuntur, vere ratum fiet, nisi fiat ex legum præscripto? deinde cum tribus suffragia tulerint, noui magistratus, acceptis reipublicæ gubernaculis, ad vos de bello referent. Si vero per id tempus, à quo comitia tam longe adhuc absunt, hostes ad vrbem appropinquent, & copias muris admoueant, quid faciemus, Claudi? Dicemus illis, scilicet, Exspectate donec designauerimus alios magistratus. suasit enim Claudius, ne vlla alia de re consultaremus, vel ad populum referremus, neque copias conscriberemus, nisi magistratus ex animi sententia ordinassemus. Abite igitur modo, atque vbi audieritis consules ceterosque magistratus à ciuitate designatos esse, quæque ad prœlium necessaria sunt, omnia à nobis comparata, tunc venite ac de pace *nobiscum* agite, quoniam priores damna nobis intulistis, nulla à nobis iniuria lacessiti. quæque incursionibus vestris detrimenta nobis importastis, ea omnia pecuniis æstimata, ex æquo pensabitis. agricolarum vero cædes, & siquæ fœminæ liberæ petulantiam militum expertæ sunt, aliave atrocia mala perpetrata, non computabimus. Ad quas inuitationes nostras illi moderatius se gerent, & postquam ciuitatem siuerint nouos magistratus creare, resque bello necessarias adornare, tunc positis armis eorumque loco verbenis sumptis, supplicum ritu venient, seque nobis dedent. O insignem tum in istis amentiam, quibus eiusmodi deliria in mentem veniunt, tum in nobis stupiditatem, si eis talia dicentibus non indignamur, sed aures præbemus, haud secus ac si de hostium,

non

non de nostra patriæque salute caperentur consilia. Non summouebimus nugatores istos? non celeres regioni contra prædonum rapinas decernemus suppetias? non armabimus omne ciuitatis robur? non ipsi oppida illorum cum exercitu oppugnabimus, sed domi desidentes, decemuiris conuitiantes, nouos magistratus creantes, de ordinanda republica consultantes, velut pacatis temporibus, totam regionem ab hoste occupari patiemur, admissisque ad mœnia copiis hostilibus ad extremum de vrbis euersione ciuiumque in seruitutem abductione periclitabimur? Talia consilia, P. C. non sunt sanorum hominum, nec ciuilis prudentiæ, quæ publica commoda priuatis simultatibus potiora ducit, sed intempestiuæ peruicaciæ, inconsultę maleuolentiæ, miseræque inuidiæ, quæ non patitur hospitum suorum animos sapere.

Sed valere iussa istorum peruicacia, deinceps exponere conabor quibus decretis tum reip. incolumitatem, tum vobis ipsis sanorum consiliorum laudem, tum hostibus *denique* terrorem conciliare possitis. Nunc *ergo, si me auditis*, bellum aduersus Æquos ac Sabinos decernite, copiasq; summa promptitudine ac studio conscribite, quibus vtrique hosti occurratur. Vbi vero bellum quam optime confectum fuerit, reuersisque in vrbem copiis pax restituta, tunc & de ordinanda republica consultate, rationesque à decemuiris omniũ eorũ quæ in magistratu gesserint, reposcite: & nouos magistratus in comitiis create ac iudicia constituite, cumque ambo illa potestati vestræ restituta fuerint, pro suo quemque merito in vtroque tractate. Interim hoc intelligite, non rebus seruire tempora, sed res temporibus. Hanc sententiam cum dixisset Cornelius, *plerique omnes* qui post eum surrexerunt, paucis exceptis, eidem sunt assensi: alii, quod censerent id consilium necessarium esse, & præsenti tempori conueniens, alii, quod se submitterent, & decemuiris adblandirentur, metu imperii. non minima enim senatus pars potestatem illorum formidabat. XX.

Cum vero pleræq; sententiæ dictę essent, & ii qui bellum decernebant, alteros numero longe superare viderentur, inter postremos vocarunt Lucium Valerium, quem, cum statim ab initio quædam dicere parasset, à decemuiris prohibitũ fuisse *supra* memoraui. Is ergo tunc surrexit, & talem XXI.

orationem habuit: Videtis P.C. decemuirorum insidias, qui & à principio, cum verba apud vos facere instituissem, non permiserunt, & nunc inter postremos dicendi copiam fecerunt: cogitantes, vt facile est coniicere, etiamsi ad Claudii sententiam accedam, nihil me in cõmune collaturum, cum ei pauci sint assensi: ac si *forte* diuersam à superioribus sententiam dicam, licet optime moneam, non nisi inanem centonem prolaturum. nã qui post me *ad sententias dictas* surgẽt, sunt numeratu faciles. qui etiamsi mihi assentiantur omnes, quænam mihi fiet accessio, dum ne multesimã quidem partem eorum qui Cornelii sententiam approbarunt, habiturus sum? Non tamen propterea meam vobis sententiam patefacere supersedebo. cum enim omnia audiueritis, penes vos erit amplecti optima. De decemuiris ergo, quo modo rempublicam administrent, velim quæ optimus Claudius dixit, à me quoque dicta existimetis: nouosque magistratus esse designandos, antequam de bello decernatur. optimo enim consilio hæc ab illo dicta sunt. Quoniam vero Cornelius eam sententiam vt impossibilem explodere conatus est, quod ciuilium munium dispensatio multum temporis absumptura sit, cum interim bellum vrgeat, & illudere aggressus est res quæ ludificationi aptæ non sunt, atque ita plerosq; vestrum deceptos in partes suas pertraxit: ego docere aggrediar non esse impossibilem Claudii sententiam: (nam inutilem esse ne obtrectantium quidem vllus dicere ausus est) atque ostendam quomodo & regionem tueri possimus, & hostes infestare illam ausos vlcisci, & optimatum imperium patriæ restituere, atque hæc simul efficere, si omnes in ciuitate adiuuent, nec quisquam aduersari velit. qua in re non sapientiam aliquam vobis ostentabo, sed vestra ipsorum facta in exemplum vobis afferam. vbi enim experientia docet quid conducat, quorsum opus est coniectationibus?

XXII. Meministis ab iisdem gentibus *olim*, vt nũc, irruptiones factas, alteram, in nostros, alteram, in sociorum nostrorum agros, eodem vtramque tempore, Caio Nautio & Lucio Minucio consulibus, anno abhinc, ni fallor, nono aut decimo. Ibi cum magnam fortemq; iuuentutis manum aduersus vtramq; gẽtem emisissetis, alter consul, cum locorũ difficultatibus exercitum inducere coactus esset, nihil efficere potuit, sed intra vallũ obsessus, deficiente commeatu,

commeatu, propemodum captus est: Nautius vero, qui Sabinis se opposuerat, necesse habebat continue cum iisdem confligere, ac ne inter suos quidem laborantibus succurrere poterat. nec obscurum erat, si Minucii exercitus in Æquis captus fuisset, Nautium quoque cum suo non potuisse Sabinos oppugnare diutius, coniunctis amborum hostium copiis. Cum ergo talia reipublicæ instarent pericula, ac ne intra mœnia quidem esset concordia, quid reperistis auxilii? id quod omnium confessione toti rerum summæ profuit, vrbemque calamitosæ ruinæ proximam erexit. circa mediam noctem conuenistis in curia; ac designato magistratu penes quem vnum absoluta esset belli & pacis potestas, abrogatis ceteris magistratibus omnibus, antequam dies illuxisset, dictator dictus est optimus ille Lucius Quintius, qui ne in vrbe quidem tunc erat, sed ruri. à quo quæ ex inde gesta sint, nostis. comparatis enim copiis idoneis, & periclitantem exercitum liberauit, & hostes vltus est, etiam duce illorum capto. hic que quatuordecim dumtaxat dierum spatio confectis omnibus, correctis etiam siquæ essent aliæ labes reipublicæ, fasces deposuit. nec quidquam erat quod, cum *ita* velletis, nouum magistratum vno die à vobis creari ac confirmari vetaret. Id ergo vobis exemplum imitandum censeo, & (quoniam aliud non possumus) dictatorem dicendum antequam hinc exeatis. nam si hanc occasionem dimittamus, non est quod putetis vos à decemuiris ad vllam consultationem amplius conuocatum iri. Atque vt legitima fiat dictatoris renuntiatio, interregnum instituite, lecto ad eum magistratum è ciuibus maxime idoneo quod facere consueuistis, quum neque reges habetis, neque consules, neque alium magistratum legitimum; vt nunc quoq; non habetis. his enim *decem* viris elapsum est imperii tempus, & fasces eis lege adempti. Hæc sunt P. C quæ facienda vobis censeo & vtilia & possibilia. Ea vero sententia cuius auctor est Cornelius, aperte tendit ad subuertendum inter vos optimatum imperium. Vbi enim decemuiri hoc belli prætextu semel armis potiti fuerint, vereor ne illis contra nos vtantur. nam qui fasces deponere recusant, an arma deponent? His ergo reputatis, cauete illos homines, omnemque illorum fraudem prospicite. melius enim est

prouidere quam pœnitere: & improbis non credere, cordatius est, quam vbi eis credideris, eosdem incusare.

XXIII. Hanc sententiam cum dixisset Valerius, eamque pleriq; omnes (vt ex voce illorum coniicere facile erat) gratam haberent, & qui post eum surgebant (erat enim iuniorum senatorum pars reliqua) hæc optima esse ducerēt, postquam omnes sententias suas dixerant, & consultationi finis imponendus erat, Valerius postulabat vt sententiarum diiudicatione à decemuiris proposita, denuo senatores omnes ordine rogarentur: multique patrum, sententias paulo ante dictas retractare cupientes, istam eius petitionem approbabant, sed Cornelius, cuius consilium erat vt decemuiris committeretur belli imperium, pro virili obstitit, rem iam iudicatam esse dictitans, ac legitime decisam, quod suum quisque dedisset suffragium. ideoque dinumerari sentētias iussit, nec amplius noui quidquam inceptari. Hæc cum ab vtroque magna contentione magnoque clamore vrgerentur, scissoque in vtramque partem senatu, Valerium iuuarent qui reipublicæ confusionem corrigi volebant; Cornelio autem patrocinarentur, qui peiores partes sequebantur, & aliquid periculi è *rerum* mutatione metuebant: decemuiri, arrepta ex senatus dissidio occasione rei pro arbitratu gerendæ, in Cornelii partes concedunt. moxque progressus ex eis Appius ait: Conuocauimus vos P. C. vt de bello aduersus Æquos & Sabinos cognosceretis, factaque cuilibet dicendi potestate, à primis vsque ad nouissimos, suo quemque loco sententiam rogauimus. cumque tres diuersas sententias dixerint, Claudius Cornelius, & postremus Valerius, vos reliqui sententiis illis diiudicatis, quam quisque approbaretis, cunctis audientibus pronuntiastis. Quoniam ergo legitime peractis omnibus, Cornelii consilium plerisque vestrum visum est optimum, palmam ei tribuimus, & pronuntiatam ab illo sententiam in tabulas referimus. Valerius autem, & qui ab eo stant, cum consularem potestatem nanciscentur, lites iam decisas, si lubet, denuo in iudicium vocent, & consilia à vobis omnibus approbata, faciant irrita. His dictis, scribam recitare iussit senatusconsultum, quo decemuiris delectus copiarum & belli imperium demandabatur: atque ita senatum dimisit.

XXIV. Post hæc qui paucorum dominatui fauebant, magna cum

cum audacia & strepitu obambulabant, vt qui alteros superassent, suumque principatum firmissime stabiliuissent, postquam semel armis potiti essent. Qui vero reipublicæ quamoptime volebant, mœsti ac timidi incedebant, quasi non amplius vllo in republica munere potituri. ac mox se in multas partes sciderunt. nam qui minus generosa essent indole, victrici parti in omnibus cedere cogebantur. qui vero minus meticulosi erant, deposita reipublicæ cura, ad quietum vitæ genus sese applicabant. at qui generosis erāt animis, adscitis sibi suis sodalibus, consultabant quo modo & seipsos tueri, & reipublicæ formam mutare possent. eorum sodalitiorum duces erant, qui primi in senatu de decemuiratus antiquatione differere ausi erant, Lucius Valerius, & Marcus Horatius: qui & ædes armis sepserunt, & seipsos famulorum clientumque valida manu stiparunt, adeo vt nec vi aliqua possent obrui, nec manifesti timoris argui. At qui nec victorum potentiæ adblandiri vellent, nec plane vacare cura reipublicæ, nec quietam vitam degere, quoniam difficile atque adeo stultum esse videbatur, ad cōuellendam tantam potentiam, belli vim experiri, vrbem deseruerunt. eorum dux erat vir illustris, Caius Claudius, patruus Appii decemuirorum principis: vt satisfaceret promisso quod Appio nepoti coram senatu fecerat, cum ei vt magistratum deponeret, persuadere non posset. ac sequebatur eum magna tum sodalium, tum clientum multitudo. Sed & reliqua ciuium turba, cum *secessionis* initium ab illo factum esset, non amplius clam & paulatim, sed palam & confertim è patria excessere cum vxoribus ac liberis. Qua re offensus Appius & collegæ, conati sunt *primum* impedire, clausis portis, & correptis nonnullis *è secedentium numero*. sed postea, cum metuerent, ne illi, si detinerentur, vires experirentur, consultius esse rati aduersarios ex vrbe secedere, quam in vrbe turbas dare patefactis portis, omnibus qui vellent, abeundi potestatem dedere: sed domos eorum ac patrimonia, & quæcumque alia secum in exsilium asportare non poterant, velut militiæ desertorum, verbis quidem publico *ærario* addixerunt, sed reuera suæ factionis hominibus, quasi ea à populo emissent, donarunt. Hæc delicta superioribus addita, patriciorum ac plebeiorum animos mul- XXV. *Decemuiri*

ciues magis ac magis offendunt.

to magis à decemuiratu abalienarunt. Etenim si præter sa pradicta nil deliquissent amplius, viderentur mihi diu in eadem potestate permanere potuisse. (nam seditio, qua potentia illorum alebatur, in vrbe adhuc durabat, multisq; de caussis ac longo tempore augescebat, efficiebatque vt alteri alterorum malis lætarentur: plebeii, quod viderent deiectos patriciorum animos, nec vllam amplius reipublicæ partem penes senatum esse; patricii vero, quod viderent plebem amisisse libertatem, ac ne minimum quidem posse, ex quo decemuiri tribunitiam potestatem illi ademerant) sed cum magna arrogantia aduersus vtramque partem iterētur, nec vel in vrbe vel in exercitu moderatos se præberent, coegerunt omnes concordiam colere, ac magistratum ipsorum antiquare, arma nactos occasione belli. Postrema vero illorum delicta, ob quæ à plebe exstincti sunt, (nam eam potissimum contumeliosis iniuriis exasperauerant) erant huiusmodi. Cum decretum de bello confirmassent, conscriptis propere copiis ac trifariam diuisis, duo agmina in vrbe reliquerunt, ad tutandas res domesticas: quibus præerat Appius Claudius decemuirorum princeps: & cum eo Spurius Oppius. cum tribus in Sabinos exiuerunt Quintus Fabius, Quintus Pœtelius & Manius Rabuleius. cum reliquis quinque agminibus Marcus Cornelius, Lucius Minucius, Marcus Sergius, Titus Antonius, & vltimus Cæso Duellius, in bellum contra Æquos profecti sunt. cui expeditioni se addiderant Latinorum & ceterorum sociorum auxiliares copiæ, vrbanis non minores.

Bellum foris, & remp. domi vt administrauerint.

XXVI. Sed licet tantam tum è ciuibus tum è sociis manum contraxissent nihil tamen gesserunt ex animi sententia. nam hostes illos despicari, quod nouitios haberent milites, et propinquo eis castra opposuerant; viisque insessis commeatus intercipiebant, & pabulatum exeuntes adoriebantur: ac siquando equites cum equitibus, & pedites cum peditibus congressi in acie pugnarent, hostes vbique superiores discedebant; quod non pauci data opera pugnarēt ignauius, nec vel ducibus obedirēt, vel cum hoste confligere vellent. Qui ergo in Sabinis militabant, leuioribus malis castigati, castra sponte deserere statuerunt, ac nocte circiter media motis copiis, ex hostico in suum agrum se receperunt, regressi fugę simili, donec peruenerunt Crustumeriam; quod oppidum

dum non procul vrbe distat. Qui vero in Æquorum regione castra in Algido posuerant, cum & ipsi crebros ab hoste ictus accepissent, & *nihilominus* se aduersus mala obfirmarent, quasi clades reparaturi, miserandas perpessi sunt ærumnas nam hostes, facto in eos impetu, & de vallo deiectis si qui obsisterent, transcensis tandem munitionibus castris potiti, paucos quosdam resistentes interemerunt, complures in fuga trucidarunt. qui vero euaserunt, magna ex parte vulnerati, ferme omnes amissis armis, Tusculum peruenere. tentoria, iumenta, pecunias, famulitia, & reliquum belli apparatum, hostis diripuit. Quæ cum in vrbem renuntiata essent, ii qui paucorum dominatui aduersabantur, & qui odium ante dissimulauerant, tunc animos suos patefecerunt, læti ducum cladibus: eratque iam valida manus circa Horatium & Valerium, quos se optimatium factioni duces præbuisse dixi. Appius vero cum XXVII. suis, collegis in castra misit arma, pecunias, frumentum; ceteraque suppeditauit quibus indigerent, publicis pariter & priuatis magna cum superbia abreptis: habitoq; per omnes tribus delectu, in locum eorũ qui perierant, submisit quotquot arma ferre possent, vt centuriæ *rursum* supplerentur: ac præsidiis per opportuniora vrbis loca dispositis, diligenter cauit ne Valerius cum suis clam quidquam moliretur. tum collegis qui apud exercitus erant, secreto mandauit vt sibi aduersantes è medio tollerent; ac clariores quidem, latenter perimerent; at quorum minor haberetur ratio, eos aperte occiderent, semper intentato aliquo crimine, vt iuste necati viderentur quod & factum est. nam alii prædatum ab eis emissi, alii ad deducendos commeatus, alii ad alias quaspiam necessitates bellicas ablegati, postquam è castris exierunt, nullibi amplius visi sunt. qui vero infimæ conditionis essent, quasi aut fugæ auctores fuissent, aut hostibus arcana enuntiassent, aut ordines non seruassent, propalam, ad terrendos ceteros, interficiebantur. Ita duplex milites absumebat exitium, dum ii qui paucorum dominatui fauebant, in prœliis aduersus hostes interibant, qui vero optimatium partibus studebant, à ducibus tollebantur.

Sed & in vrbe multa talia ab Appii factione perpetrabã- XXVIII. tur. ac ceterorũ quidem, licet nõ pauci occiderẽtur, minor à plebe habebatur ratio: sed vnius viri inter plebeios illustris,

plurimisque bellicæ virtutis facinoribus conspicui, crudelis & impia cædes, quæ in alteris castris, quibus tres duces præerant, perpetrata fuerat, omnes qui illic erant, ad defectionem incitauit. erat autem is qui occisus fuerat, Siccius; is qui centum & viginti prœliis dimicauit, atque ex omnibus fortitudinis præmia reportauit; quem dixi, cum iam per ætatē à militia liberatus esset, se belli aduersus Æquos sponte addidisse socium, cum cohorte octingentorum virorum, qui licet & ipsi legitimæ militiæ numerum expleuissent, ducis tamen fauore expeditionem istam sequebatur: cum quibus ille ab altero consule ad hostium castra, velut in manifestum periculum (vt omnibus videbatur) ablegatus, & castris est potitus, & consulibus totius victoriæ caussa fuit. Hunc virum, quod contra exercitus duces, quasi ignauos ac belli imperitos, multos per ciuitatem sermones spargeret, Appius cum suis è medio tollere properans, humaniter ad colloquia inuitabat, ac rogabat vt secum de rebus castrensibus disquireret, & quanam ratione ducum delicta corrigi possent, edissereret. tandem ei persuaserunt vt ipse in Crustumerina castra proficisceretur, sumpta legati potestate. est autem legati persona apud Romanos omnium honoratissima ac sacerrima, nec magistratus tantummodo potestatem ac vim habet, verum etiam inuiolabilem sacerdotalis ordinis venerationem. Eo cum peruenisset, benigne à ducibus exceptus, rogatusque vt maneret bellique gerendi consors esset, quin & donis partim iam datis, partim promissis illectus, dum, vt homo militaris & ingenio simplex, non animaduertit eas verborum præstigias ad insidias esse comparatas, & in aliis quæ conducere putabat, eis obsecutus est, & primum omnium castra in hosticum transferri suasit, commemoratis partim detrimentis quæ manentes acciperent, partim emolumentis quæ ex castrorum tralatione consecuturi essent. Illi,

XXIX. simulantes se lubentibus animis accipere ista viri monita, Quin igitur, inquiunt, ipse nobis in mouendis castris præis, atque idoneum eis locum prospecularis? nam ob crebras expeditiones, magnam locorum peritiam habes. dabimus tibi lectorum expeditorumq; iuuenum centuriam armis instructam. tibi vero propter ætatem equus erit, & armatura dignitati respondens. Quod munus cum Siccius

in se reciperet, centumque lectos velites sibi poſceret, nulla interpoſita mora, eum multa adhuc nocte emittunt, & cum eo centum milites, lectis è factione ſua audentiſſimis quibuſque: quibus mandarant vt illum interimerent, magna cædis mercede propoſita. Hi cum longius à caſtris in cliuoſum anguſtumque locum perueniſſent, qui ob cliuorum aſperitatem equo difficilis eſſet, ac non niſi pedetentim peruadi poſſet, data inuicem teſſera, conglobarunt ſeſe, vt confertim eum inuaſuri. Id conſilium illorum coniectans Siccii armiger, vir bello fortis, indicium hero facit. Qui vbi videt ſe concluſum locorum difficultatibus, per quas equus vi adigi non poſſit, deſilit; ac conſcenſo cliuo, ne ab illis circumdetur, cum ſolo armigero impetũ illorum ſuſtinet. ibi cum omnes vna in illum irruerent, occidit circiter quindecim, & ad triginta vulnerat. atque, vt videtur, ceteros etiam omnes peremiſſet, ſi cum eo cõgreſſi fuiſſent. ſed illi vt cognouerunt eum comminus deuinci non poſſe, non amplius manu eum oppugnarunt; ſed eminus ſtantes, alii verutis impetierunt, alii ſaxis manualibus, alii fuſtibus. quidam per obliquos cliuos ad ſuperiora eniſi, à vertice grandia in eum ſaxa deuoluerunt; donec tum à fronte miſſilium multitudine, tum à tergo ingruentium ſaxorum pondere obrutus interiit. Quo mortis genere ſublato Siccio, cædis auctores in caſtra cum ſauciis remearunt, ac rumorem diſſeminarunt oppreſſos ſe fuiſſe hoſtium inſidiis, qui Siccium & ceteros quos primos habuerint obuios, trucidarint; ſeque poſt multa vulnera vix effugiſſe. *Siccius decemuirum inſidiis interficitur.*

XXX. Is rumor cunctis videbatur credibilis. Non tamen latuit facinus, licet in ſolitudine patratum eſſet, nec vllius indicio proditum; à fato ipſo & omnium humanarum actionum inſpectrice iuſtitia indubitatis argumentis euictum. cum enim exercitus dignum iudicaſſet publico funere eximiiſque ſupra ceteros honoribus, tũ ob alia multa, tum quod in ſenectute, per quam ætatem à bellicis laboribus erat liberatus, ſponte ſe pro ſalute publica periculo expoſuiſſet, ſtatuunt contracta è tribus agminibus manu *idonea*, ad cadaueris inueſtigationem exire, vt tuto & honorifice in caſtra deportetur. Quod cum duces permiſiſſent, (metuebant enim ne, ſi rei *tam* honeſtæ decentique obſtitiſſent, aliquam inſidiarum ſuſpicionem præberent exercitui) illi

sumptis armis exierunt. cumque ad locum peruenissent, nec vllibi vel arbusta vidissent, vel cauos hiatus, vel vllum alium locum qualis struẽdis insidiis solet deligi, sed nudum euidentemque angusto aditu cliuum, statim suspicati sunt facinus. deinde vbi propius ad cadauera accesserunt, cum & Siccium ipsum & ceteros omnes inspoliatos iacere cognouissent, mirabantur quomodo hostes hostibus deuictis neque arma neque vestimenta detraxissent. tum perlustratis circumcirca omnibus, vt nec equorum nec hominum vllum vestigium inuenerunt, præter ea quæ per viam apparebant, reputabant fieri non potuisse vt hostes in suos irruissent imperuestigabiles, quasi volucres, aut cælitus delapsi. Super hæc & reliqua omnia, cædis non ab hostibus, sed ab amicis perpetratæ maximum argumentum erat, quod nullum hostile cadauer inueniretur. non enim sine sanguine Siccium occubuisse censebant, virum & animo & robore inuictum: nec *item* armigerum eius, nec ceteros qui vna occubuerant; præsertim quia comminus pugnatum esset. cuius rei argumentum sumebatur è vulneribus. nam & Siccius ipse multos habebat ictus partim lapidibus manualibus, partim verutis, partim gladiis inflictos; itidemque armiger: at qui ab eis occisi fuerant, omnes gladiorum, lapidum manualium, aut verutorum, nullius autem sagittæ vestigium vlla in parte præferebant. Post hæc magna omnium subsecuta indignatio, vociferatio, & comploratio. Vbi vero deplorata viri calamitate, sublatum cadauer in castra retulere, magna vociferatione duces inclamarunt, ac postularunt vt vel homicidæ sibi ad necem lege militari dederentur, vel extemplo daretur iudicium. multi enim erant qui eos accusare parati essent. Sed cum duces aures eis negarent, occultatisque homicidis, iudicium differrent, ac Romæ caussam dicturos responderent, siqui accusare vellent, vbi animaduerterunt ducum insidiis perpetratum esse facinus, Siccium sepeliuerunt, exsequiis splendidissime celebratis, grandique rogo exstructo, ac ceteris pro virili persolutis, quibus in præstantes viros extremus honos conferri solet. mox omnium animi à decemuiratu alienati, de defectione cogitare cœperunt. Apud Crustumeriam igitur ac Fidenas exercitus ob Siccii legati cædem

infensus

infensus erat iis qui rerum potiebantur. Qui vero Æquis in Algido oppositi erant, & tota multitudo vrbana, has ob caussas in eos exasperati sunt. Vir quidam ex plebeiis, Lucius Virginius, nullo bellicis virtutibus inferior, inter quinque agmina Æquis opposita, centuriæ cuidam dux præfectus erat. ei filia erat pulcherrima inter Romanas virgines, paternum nomen gerens; quam vnus è tribunorum collegio sibi desponderat, Lucius Icilius, eius Icilii filius, qui tribunitiam potestatem primus instituerat, & primus acceperat *ac gesserat*. Eam puellam iam nubilem Appius Claudius decemuirorum princeps in ludo litterario legentem conspicatus, (erat autem tunc ludus litterarius in foro) & tunc statim puellæ forma captus est, & magis indies extra se abripiebatur, dum amore iam correptus, ludum multoties obire cogeretur. cum vero per connubium ea potiri non posset, quod & illam alteri desponsam videret, & ipse vxorem haberet: nec item è plebeio genere vxorem ducere vellet, tum propter humiliorem eius conditionem, tum propter legem quam ipse in duodecim tabulas retulerat, puellam primum pecuniis corrumpere conatus est, semperque mulierés aliquas ad nutrices eius misit: (nam matre orbata erat puella) illisque & dedit multa, & datis maiora promisit. eis autem per quas nutrices sollicitabat, interdicebat ne indicarent quis puellæ amator esset, sed tantum dicerent esse aliquem qui & bene & male quibus vellet facere posset. XXXI.

App. Claudius insano Virginiæ amore captus, puellæ vi potiri nititur.

Quas cum persuaderi non posse videret, immo puellam diligentius quam ante custodiri, amore inflammatus, audaciorem rationem inire statuit. arcessito igitur vno è cliētibus suis, Marco Claudio, homine audace, & ad quæuis obsequia prōpto, amorem ei patefacit: edoctumq; quid ab ipso fieri ac dici vellet, amandat cum impudentissimorum hominū manu satis magna. Is vbi ad ludum litterarium venit, virginem arripit, ac palam per forū ducere nititur. Sed cum exorto clamore magna confluxisset turba, cuius interuentu puellam non poterat ducere quo volebat, ad magistratum accurrit. sedebat autem tunc pro tribunali Appius solus, caussas audiens, & ius petentibus reddens. vbi cū ille caussam dicere pararet, magna indignatio magnusque clamor è circumstātium corona coortus est, cunctis postulan- XXXII.

tibus vt exspectaret donec cognati puellæ adessent. quod cum fieri iussisset Appius, paulo post adfuit & auunculus virginis Publius Numitorius, adductis secum multis amicis & cognatis, vir inter plebeios spectabilis: nec multo post Lucius Icilius, cui puella à patre desponsa erat, valida plebeiorũ iuuenum manu stipatus. qui cum ad tribunal peruenisset adhuc anhelans, sublimemq; trahens spiritum, quærebet quisnam ausus esset ciuis filiam tangere, & quidnam sibi vellet. Ibi facto silentio, Marcus Claudius qui puellam arripuerat, talem orationem habuit: Nihil temeritatis aut violentiæ à me in puellam perpetratũ est, Appi Claudi: sed cum herus eius sim, per leges eam assero. quo modo autem mea sit, audi. Est mihi ancilla paterna, quæ iam admodum longo tempore mihi seruit. ea cum esset grauida, Virginii vxor, ad quam familiariter itabat, ei persuasit, vt cum peperisset, infantem sibi daret. quibus promissis seruatis illa, cum hæc ei nata esset filia, apud nos simulauit se mortuum edidisse fœtum, ac Numitoriæ infantem dedit. quæ partum acceptũ supposuit, ac pro suo educauit; quum nullam nec masculã nec fœmineam procrearet sobolem. Id me hactenus latuit. nunc vbi per indicia rem cognoui, testesque multos ac fide dignos habeo, adhibita etiam in quæstionem ancilla, ad communem omnium legem confugio, quæ non supponentium, sed matrum esse natos iubet, ac si matres liberæ sint, eos liberos esse vult; si seruæ, seruos; & quidem eorundem dominorum, quibus matres eorum seruiunt. Per hanc legem ancillæ meæ filiam abducendam mihi posco, paratus me iudicio submittere. quod si quis sibi eam vindicet, idoneos eius iudicio sistendæ vades dabo. sin extemplo quis litem decidi mauult, paratus sum iamiam caussam apud te dicere, nec interpositis pro ea fideiussoribus, rei dilationem quærere.
XXXIII quorum vtrum velint, istis eligendi optionem facio. Hæc cum dixisset Claudius, additis assiduis precibus, ne sui quã aduersariorum minor haberetur ratio, quod cliens & abiectus esset, puellæ auunculus sumptis dicendi partibus, pauca & ea dumtaxat quæ apud magistratum dici attinebat, disseruit: patrem puellæ esse Virginium, plebeii ordinis virum; qui nunc peregre pro republica militet: matrem vero fuisse Numitoriam, sororem suam, castam & probam

probam fœminam; quæ ante annos non multos obierit. virginemque educatam vt liberam & ciuem decet, legitimo connubio iunctam esse Icilio; ac peractas iam fuisse nuptias, nisi eas bellum aduersus Æquos impedisset. cum vero interea temporis nō minus quindecim elapsi sint anni, nihil tale aduersus ipsos dicere ausum Claudium: nunc postquam nubiles annos attigit & forma præstare videtur, amore captum venire, atque impudentem calumniam fingere, non ex suo ingenio, sed instructum ab homine qui omnibus suis cupiditatibus quocumque modo gratificandum arbitretur. Quod igitur ad litem attineat, patrem ipsum militia reuersum causam pro filia dicturum esse. corporis vero vindicationem quæ legibus debeatur, se sibi vsurpare, qui puellæ sit auunculus, & paratum subire iudicium. nec se peregrinum *ac nouum* aliquid petere, nec quod ceteris Quiritibus ius non concedat, etiamsi non omnibus hominibus; cum quis è libertate in seruitutem asseritur, ius eius esse non penes eum qui libertatem adimit, sed penes eum qui tuetur, vsque ad litis cognitionem. aiebatque eius iuris defensionem ad Appium pertinere multis de caussis: primum, quod eam legem inter ceteras in duodecim tabulas retulisset: deinde, quod decemuirorum esset princeps: adhæc quod præter consularem potestatem, accepisset etiam tribunitiam, cuius præcipuum munus sit infirmis & desertis ciuibus succurrere. rogabatq; vt virginem quæ ad ipsum confugisset, miseraretur, matre iampridem orbatam, nunc vero & patre destitutam; quæ non *modo* de auitorum bonorum amissione periclitetur, verum etiam de amissione mariti, patriæ, & (quod omnium humanorum bonorum maximum esse videatur) libertatis.

XXXIV. Demum cum lamentatus esset contumeliam quæ puellæ subeunda esset, magnamque in circumstantium animis commiserationem excitasset, de litis *decidendæ* tempore sic verba fecit: Quoniam eā Claudius cito decerni vult, cum tamen intra quindecim annos de nulla conquestus sit iniuria, alius quispiam in eiusmodi discrimine, atrocem sibi iniuriam fieri quereretur, atque vt par est stomacharetur, & tunc *demum* caussam agere vellet, quum pace restituta & reuersis omnibus qui nunc in castris militant, testium, amicorum & iudicum copia datur vtrique illorum qui

ius experiuntur; ciuiles & æquas caussas afferens, & in republica Romana vsitatas: sed nobis, inquit, non opus est verbis, nec pace, nec amicorum ac iudicum turba; nec in destinata iudiciis tempora rem differimus: sed & in bello, & in amicorum inopia, & apud parum æquos iudices, & extemplo caussam agere parati sumus: tantum duntaxat temporis spatium à te petimus Appi, quanto puellæ pater è castris *huc* aduenire possit, ad queritandam fortunam suam, caussamque suopte marte defendendam. Quæ cum Numitorius dixisset, & circumstans turba magno clamore significasset iusta esse illius postulata, Appius suspensa paulisper responsione, Equidem, inquit, non ignoro legem de fideiussione super iis qui in seruitutem asseruntur, latam; quæ non sinit mancipium vsque ad litis cognitionem penes abripientem esse; nec legem fregerim quam ipse volens scripsi: sed illud tamen æquum censeo, cum duo sint qui puellam sibi vindicent, herus, & pater, si ambo adessent, eam penes patrem esse vsque ad caussæ cognitionem: sed quoniam ille abest, herum eam abducere, datis idoneis vadibus sistendæ magistratui, vbi pater eius redierit. De vadibus autem, *litis* æstimatione, ac nequid vobis in caussæ cognitione decedat, solide vobis cauebo, Numitori. Interim tu puellam trade. Sic decisa per Appium lite, magnus
XXXV. super virgine & comitantibus eam mulieribus exortus est planctus, magnusque clamor & indignatio è turba quæ tribunal circumstabat. & qui puellam ducturus erat, Icilius, eam complexus, Me viuo, inquit, nemo hanc abducet: sed si decreuisti leges violare, iura confundere, & libertatem nobis eripere, non amplius tyrannidem quæ vobis exprobratur, sed meum mihi collum præcide, & hanc quo lubet abduci iube, itidemq; ceteras virgines ac mulieres: vt tandem Romani cognoscant seruos se factos ex liberis, nec supra fortunam suam efferantur animis. Quid ergo cunctaris, nec sanguinem meum ante tribunal in omnium conspectu effundis? Sed hoc tamen probe noris, necem meam Romanis vel magnorum malorum, vel magnorum bonorum caussam fore. Plura dicere parātem lictores iussu magistratus à tribunali summouerunt, & iudicatis acquiescere iusserūt. atq; *interim* Claudius arrepta virgine, abducere eam volebat, auunculo & sponso renitentibus. Sed circumfusa tribunali

tribunali turba, viso tam miserando luctu, omnis vna voce exclamauit; spretaque obtinentis potestate, in vim parantes irruit. ita vt Claudius reformidato illorum impetu, & puellam dimitteret, & ad pedes prætoris confugeret. Appius primum summopere consternatus, vbi omnes exasperatos vidit, diu anxius hesitabat quid facto opus esset: demum arcessito ad tribunal Claudio, pauca prius ei vt videbatur, locutus, facto circumstantibus silentii indicio, in hanc sententiam verba facit: Exquisitius de interponendis vadibus decernere *nunc* supersedeo, Quirites; quoniam vos sententia modo pronuntiata exasperatos video. itaque vt vobis gratificer, persuasi clienti meo, vt virginis cognatos sinat vades interponere, donec pater eius aduenerit. Abducite igitur puellam, Numitori, eiusque in crastinum sistendæ sponsionem facite. sufficit enim vobis hoc tempus, vt & hodie Virginium per nuntium edocere, & cras trium quatuorve horarum spatio è castris huc adducere possitis. Vbi cum illi plus temporis postularent, nullo amplius responso dato surrexit, sellamque tolli iussit. Vt vero è foro perturbatus & præ amore insaniens abiit, decreuit non amplius virginem cognatis permittere, sed postquam ad vadimonium adducta esset, vi abducere, & tum seipsum maiore custodia stipare, ne qua à multitudine vis inferretur, tum tribunal sodalium clientumq; turba circumquaque occupare. quod vt sub honesta iuris specie fieret, prætextu deserti à patre vadimonii, fidissimos equites cum litteris in castra misit ad Antonium, eius agminis ducem sub quo erat Virginius; ac rogauit vt eum in arcta custodia detineret, ne audito filiæ negotio, clam è castris euaderet. Sed præuerterant eum puellę propinqui, Numitorii filius, & frater Icilii. nam ii ab ipso statim negocii initio, à ceteris emissi, vt erant animosi iuuenes, laxatis habenis, & scuticis inflictis, equos concitarant vehementius; & confecto celerius itinere, rem omnem Virginio exposuerant: isque vera apud Antonium caussa dissimulata, fingens nuntiatum sibi de propinqui necessarii morte, cuius exsequias & sepulturam procurare lege teneretur, missionem impetrarat; & circa luminum accensionem, cum adolescentibus alia via equos egerat, veritus ne qui vel è castris vel ex vrbe insequerentur. quod & contigit. nam Antonius

XXXVI.

acceptis litteris, circa primam potissimum vigiliam, equ tum alam in eum emisit: & alii ex vrbe emissi equites, pe totam noctem obseruabant ferentem è castris viam. Vt vero nuntiatum est Appio de inopinato Virginii aduentu, extra se raptus, cum magna caterua ad tribunal properat, & prodire iubet puellæ cognatos. Qui vt accessere, Claudius eadem rursus oratione habita, Appium rogauit vt ei liti se præberet iudicem, nulla mora interposita: nam & indicem adesse, & testes; ipsam etiam ancillam *in iudicium* adductam, remque indignissimam fore prætendebat, vt ante, si super his omnibus, non æque atque alii, iure poneretur, quod cliens eius esset: atque obtestabatur, ne magis miserationem concitantibus quam iusta postulantibus opem ferret.

XXXVII. Ibi puellæ pater & reliqui cognati ad depellendam suppositionis calumniam, multas ac veras sui iuris caussas afferebant; sororem Numitorii, vxorem Virginii, *non habuisse* vllam probabilē suppositionis caussam; *quippe quæ* virgo iuueni marito nupsisset, nec multo post nuptias tempore peperisset. nec, si maxime voluisset gentem alienam in familiam suā introducere, alienæ ancillæ infantem magis accepturam fuisse, quam fœminæ liberæ, genere sibi aut amicitia iunctæ; à qua tuto accipere, firmiterque acceptum retinere posset. Adhæc cum licuerit accipere vtrum liberet, masculum potius quam fæmellam sibi delecturam fuisse. nam eam quæ pariat, necessitate coactam, boni consulere & educare quodcumque natura protulerit: eam vero quæ supponat, verisimile esse potiorem sexum deteriori præferre. Tum contra indicem & testes, quos Claudius se multos ac fide dignos prolaturum dictitabat, rationem è verisimilium genere petitam afferebant, Numitoriam rem quæ silentio opus haberet, & vnius personæ ministerio posset effici, non fuisse facturam propalam & coram liberis testibus, vt ipsi puella educata à matris hero adimeretur. Tempus quoque non leue præbere argumentum contra falsam accusatoris calumniam. nec enim vel indicem vel testes suppositionem secretam fuisse seruaturos, sed iam pridem enuntiaturos. Demum post eleuatas accusatorum probationes, vt nec veras nec probabiles; suas velut aduersa lance ponderari iubebant; multasq; non

obscu-

obſcuras matronas nominabant, quæ ex ventris tumore Numitoriam fuiſſe grauidam nouiſſent. deinde præter has, eas etiam quæ iure cognationis in partu ac puerperii tempore ei adfuiſſent, infantemque partu editum vidiſſent, exhibebat, atque interrogari iubebat Quod vero luculentiſſimum argumentum erat, multorumque tum virorum tum mulierum, non ingenuorum modo, ſed etiam ſeruorum teſtimonio approbabatur, id poſtremum afferebant, materno lacte nutritum fuiſſe infantem. fieri autem non poſſe, vt mulieri quæ non peperiſſet, mammæ implerentur lacte.

Quum his multiſque conſimilibus, validis ſane nec vllā contradictionem admittentibus, ſua comprobaſſent, magnamque in puellæ calamitate commiſerationem excitaſſent, ceteri omnes qui iſta audiebant, tum formam miſerabantur, quoties virginem intuerentur, (nam etiam in ſordida veſte, mæſtaque vultus deiectione, & pulchrorum oculorum effuſione, omnium oculos in ſe rapiebat. tanta in ea erat ſupra humanum morem venuſtas & gratia) tum indignam fortunam lamentabantur, quod è tantis bonis in tantas contumelias deuentura eſſet. ſubiitque omnium animos hæc cogitatio, ſi lex de libertate violaretur, nihil obſtiturum quo minus etiam ſuis ipſorum vxoribus ac filiabus eadem acciderent. Hæc igitur & multa his ſimilia perpendentes & inter ſe colloquentes, flebant. Appius vero, vt qui nec natura eſſet ſanæ mentis, & poteſtatis amplitudine corruptus, animo tumens, & intra viſcera puellæ amore æſtuans, nec defendentium verbis mouebatur, nec ipſius puellæ lacrymis flectebatur; præſentiſque multitudinis commiſeratione offendebatur; quippe qui ipſe, à victrice pulchritudine grauioribus malis implicatus, maiorem commiſerationem mereretur. His igitur ceu œſtri ſtimulis agitatus, tum orationem impudentem habere non eſt veritus, è qua animaduertentibus facile erat perſpicere, calumniam contra virginem ab ipſo confictam eſſe; tum facinus admittere auſus eſt crudele ac tyrannicum. Cum enim illis adhuc verba facientibus, quietem imperaſſet, & coorto ſilentio tota per forum multitudo cohibuiſſet impetum, vt cognoſceret quæ dicturus eſſet, ſæpius facie huc illuc conuerſa, globiſque ſodalium quibus forum interce- XXXIIX

perat visu dinumeratis, demum in hanc sententiam verba fecit:

XXXIX. Ego vero, Virgini, & vos qui cum eo adestis, non nunc primum hac de re audiui, sed iam pridem, antequam hunc magistratum cepi. quo autem modo cognouerim, exponam. Pater huius Marcus Claudii, cum è vita excederet, rogauit me vt filii sui, quem puerum relinqueret, tutelam susciperem. sunt enim clientes familiæ nostræ *iam inde* à maioribus. Eius tutelæ tempore, indicium ad me defertur de puella, Numitoriam eam à Claudii serua acceptam supposuisse: req; explorata, sic esse comperi. Id ergo negotium meopte impulsu capessere, non putaui esse consentaneum: sed satius esse duxi, huic, cum vir factus esset, liberum relinquere, mallet ne puellam asserere, an cum iis à quibus educaretur pacisci, eamque illis vel pretio tradere, vel donare. Interea temporis mihi ciuilibus negotiis implicato, cura de Claudii rebus plane excidit. Ipsi vero fortunas suas rimanti, vt par est, indicium de puella defertur, vt antea mihi. ita vt nihil iniusti postulet, dum ancillæ suæ natam asserere vult. Si ergo alter alterius rationibus persuasus cessisset, bene esset: quoniam vero in controuersiam res venit, ego & hoc testimonium ei perhibeo, & puellæ dominum eum esse iudico.
His auditis, quotquot erant integris iudiciis, & iustæ caussæ aduocati, sublatis in cælum manibus, mixtum ploratu & indignatione clamorem sustulerunt: at qui paucorum dominatui adulabantur, talem edidere vocem quæ victores inhortari atque animare posset.

XL. Ita concitato foro variisque tum sermonibus tum affectibus fluctuante, Appius imperato silentio: Ni desieritis, inquit, seditiones per vrbem serere, atque imperio nostro, velut oppositi nobis imperatores, obsistere, turbulenti homines, quorum nullus vllibi visus est, nec pacis nec belli temporibus; necessitate castigati cedetis. ne putetis præsidiarios illos Capitolio & arci impositos, tantum aduersus externos hostes nobis comparatos esse, permissurosque vt vos intra mœnia desidentes totum reip. statum inficiatis. Quare meliorem quam nunc geritis mentem induite, & abite quibus nihil *hic* est negotii; vestrasque res agite, si sapitis. Tu vero, Claudi, puellam tibi habe, nec quemquam metuens

metuens, per forum abduc nam Appii te duodecim secures deducent. Quæ cum dixisset, ceteri gementes & frontem ferientes, nec lachrymas cohibere valentes, è foro excesserunt. Claudius vero puellam abduxit, herentem in patris amplexibus, eumque deosculantem, & suauissimis vocibus appellantem. In eiusmodi malis constitutus Virginius, facinus animo agitat patri quidem calamitosum atque acerbum, sed ingenuo ac magnanimo viro dignum. cum enim postulasset vt per magistratum sibi liceret filiam vltimis amplexibus salutare, & soli cum sola colloqui quæ vellet, antequam è foro abduceretur, permittente prætore, & paululum recedentibus aduersariis, deficientem viribus, defluentemque ac prensantem sustentans, aliquantulum recreabat, & deosculans, lacrymarum riuos *e genis* abstergebat. deinde paululum progressus, cum ad officinam coquinariam appropinquasset, abreptum è mensa cultrum filiæ per viscera adegit; hoc solum effatus: Liberam te pudicamque, filia ad maiores sub terram demitto: viuenti enim neutrum horum licuisset per tyrannum. Ibi coorto clamore cum cruento cultro, cruentus & ipse toto corpore, (quippe quem filiæ transfossio sanguine resperserat) furibundus per vrbem discurrit, ciuesque ad libertatem vocat. tandem per portas elapsus, equum qui paratus eum exspectabat, conscendit, atque in castra contendit, Icilio & Numitorio (qui *duo* adolescentes eum è castris arcessierant) tunc quoque deducentibus. & sequebatur eos etiam alia plebeiorum turba non exigua: ita vt vniuersi essent circiter quadringenti.

Appius vero vt virginis casum cognouit, è sella exsilit, & Virginium insequi statuit, multa indecenter & dicens & faciens. Sed cum circumstantes amici monerent nequid delicti admitteret, *domum* cunctis succensens abiit. Vix domum peruenerat, cum quidam è sodalibus nuntiant circum virginis cadauer stare Icilium sponsum & Numitorium auunculum, cum ceteris sodalibus & cognatis, fandaque & nefanda contra eum spargere, plebemque ad libertatem vocare. Ibi ille, vt ira adhuc æstuabat, lictores quosdam mittit, vociferantesq; in carcerē adduci iubet, & cadauer è foro transferri: rem faciens amentissimam, temporibusq; illis minime conuenientē. cum enim delenien-

XLI. *Appius & amoris fructu priuatur, & aduersa experitur omnia, obstante Valerio & Horatio.*

dus esset populus iusta de caussa irritatus, cedendumque tunc temporis, postmodum vero partim defensione, partim deprecatione, partim aliis officiis reconcilianda gratia, ille violentiorem rationem secutus, eos ad desperatam adegit audaciam. nec enim defunctæ cadauer trahi, aut illos in carcerem abduci patiebantur; sed se inuicem inclamantes, in vim parantes irruebant, pulsatosque ac verberatos è foro eiiciebant. ita vt Appius his auditis coactus fuerit cum sodalium & clientum manu in forum contendere, verberibus summoueri iussis siqui per vias obstarent. Quo eius consilio cognito, Valerius & Horatius, quos supra dixi potissimos fuisse duces eorum qui libertatem assertam cuperent, cum magna & forti iuuenum manu, qua se stiparant, ante cadauer consistunt. cumque Appius cum suis appropinquasset, primum verbis infestis probrisque licentiam illorum incessebant: deinde facta quoque dictis similia edentes, cædebant ac prosternebant siqui congrederentur.

XLII. Ibi Appius insperato isto obstaculo perturbatus, quum nullum contra aduersarios suppeteret adiumentum, præsentissimam exitii viam inire statuit. nã perinde ac si plebs etiamnum eius partibus adhereret, in Vulcani fanum ascendebat; & aduocato in concionem populo, conabatur illos accusare iniuriose petulanterque læsæ maiestatis: tribunitia nimirum potestate fretus, ac sperans populum secum indignaturum, & permissurũ vt illos de saxo *Tarpeio* deiiceret. Sed Valerius cum suis alia fori parte occupata, virginisque cadauere posito vbi ab omnibus posset conspici, & ipsi concionem sibi conuocarunt, prolixeque Appium & ceteros decemuiros accusarunt. quam concionem, vt verisimile est, partim virorum dignitas, partim miseratio virginis, quæ atroci & plusquam atroci casu ob infelicem formam perierat, partim pristini status desiderium, altera longe frequentiorem reddidit: ita vt pauci apud Appium remanerent, ii nimirum qui paucorum dominatui studerent: atque inter hos ipsos nonnulli parum æquas eorum dominatui præbebant aures, multasque ob caussas, si aduersæ factionis vires crescerent, in eorum partes concedere cupiebãt. Appius vt se deseri vidit, coactus est mutata sententia ex foro discedere. quod ei maximopere profuit. nam

si à plebe

si à plebe correptus fuisset, præclaras eis pœnas luisset. Post hæc Valerius cum suis potitus quanta vellet potestate, prolixe in illum paucorum dominatum inuehebatur, & siquorum animi adhuc hererent dubii, eos populari oratione in partes suas pertrahebat. Sed lōge adhuc magis multitudinis animos abalienabant puellæ propinqui, dum allata in forum lectica, cæteroque funebri ornatu quam poterant sumptuosissime comparato, cadauer per celeberrimas vrbis vias efferebant; vt exsequiæ spectari à plurimis possent. nam prosiliebant ex ædibus tum mulieres tum virgines; casumque lamentantes, aliæ flores & coronas in lecticam coniiciebant, aliæ fascias & vittas, aliæ virginales è coma lusus, nonnullæ etiam desectos è crinium plexu concinnos. virilis quoque sexus bona pars acceptis ex proxima quaque officina aliis pretio, aliis precario, conuenientibus munusculis exsequias condecorabant. ita vt funeris istius fama per totam vrbem celebraretur, omnesque illum paucorum dominatum antiquari cuperent. Sed qui isti dominatui fauebant, quod armati essent, magnum illis metum incutiebant: & Valerius cum suis nolebat ciuili sanguine litem dirimere.

Interea vero dum in his turbis erāt res vrbanæ, Virginius, quem dixi sua manu interemisse filiam, laxatis equo habenis, circa luminum accensionē in castra ad Algidum peruenit, eo habitu quo ex vrbe profugerat, toto scilicet corpore cruentatus, & cultrum coquinarium manu tenēs. XLIII. Quo viso cum procubitores coniectare non possent quid ei accidisset, pone sequebantur, vt magna atque atrocia audituri. Ille aliquamdiu flens pergebat, obuiisque vt sequerentur, signum dabat. procurrebant autem ex tentoriis quæ præteribat inter cœnandum omnes confertim, cum lucernis & facibus; atque isto tumultu anxii, eum circumquaque sequebantur. Postquam vero in patentem castrorum locum peruenit, stans sublimior, vt ab omnibus conspiceretur, denarrabat quibus inuolutus esset calamitatibus, testes citans eos qui ex vrbe secum aduenerant. Vt vero multos animaduertit lamentantes & lacrymantes, supplex rogabat ne se inultum sinerent, patriamque in contumeliis desererent. Quę cum dixisset, effecissetque vt omnes magnopere audire cuperent, & in dicendo progredi iube-

rent: cœpit aliquanto confidentius paucorum dominatum
carpere: ac primum narrauit decemuiros multis facultatibus
suas ademisse, multorum corpora fœdis verberibus lace-
rasse; permultos etiam coegisse ex patria profugere, licet
nihil patrassent maleficii: quin & matronas violasse, nubi-
lesque virgines rapuisse, & ingenuis pueris probra intulis-
se: demum commemoratis etiam ceteris eorum iniquita-
tibus & crudelitatibus. Atque his probris, inquit, nos affi-
ciunt qui neque ex legis præscripto, neque senatus decreto,
aut populi permissu magistratum gerũt; (nam annuum eis
potestatis tempus, quo exacto aliis rempublicam tradere
debebant, elapsum est) sed violentissima ratione *imperium*
sibi vsurpant: qua re magnæ timiditatis ac mollitiei nos ar-
XLIV. guunt, perinde ac mulieres. Itaq; vnusquisq; vestrum re-
putet secum quæ partim ipse perpessus sit, partim alios per-
pessos viderit. ac siquis vestrum deliciis aut obsequiis aliis
inescatus, nihil sibi timet à paucorũ dominatu, nec veretur
ne ad se quoque progressu temporis mala pertingant, cogi-
tet nihil in tyrannis esse fidei. nec fauore à potentibus con-
ferri gratias; consideratisq; his & consimilibus aliis, mutet
sententiam. Vnam omnes mentem induite, concordesque
à tyrannis liberate patriam; in qua & fana Deorum sunt, &
monumenta maiorum, quos vos proxime secundum Deos
honoratis; & grandæui patres, multa & condigna educatio-
nis ac laborum præmia reposcentes, vxoresq; legitimo
iunctæ & filiæ nubiles, non exiguam parentibus curam
ferentes, necnon mascula proles, cui auitæ propagationis
iura debentur. taceo domos, patrimonia, pecunias: quæ
magno labore à patribus & vobis ipsis parta sunt, ita nec
eorum firmiter à vobis possideri poterit, dum sub decem-
uirorum tyrannide fueritis. Nec cordatorum aut genero-
sorum hominum est, aliena per fortitudinem acquirere, &
interim domesticorum interitum per mollitiem negligere:
atq; aduersus Æquos, Volscos, Sabinos, finitimosque o-
mnes diuturna & perpetua bella pro imperio ac principatu
gerere; nec contra eos qui præter leges vobis imperant, ar-
ma pro incolumitate ac libertate velle sumere. Non resu-
metis animos patrios? non subibit vos maiorum virtutibus
digna cogitatio, qui ob vnius mulieris contumeliam, quæ à
Sexto Tarquinio vim passa, ob probrum istud manus sibi
intulerit

intulerat, rei indignitate adeo exacerbati sunt, vt communem omnium iniuriam esse rati, non modo Tarquinios ex vrbe eiecerint, sed etiam regium imperium antiquarint, atque in posterum vetuerint nequis apud Romanos per totam vitam absolutum imperium gereret: & tum ipsi se grauissimis iuramentis obstrinxerũt, tum nepotes etiam diris imprecationibus deuouerunt, siquid contra facerent. Ac cũ illi vnius libidinosi adolescẽtis tyrannicam contumeliã vni ingenuo corpori illatã non tulerint, nos tolerabimus multorum capitum tyrannidem, omne iniquitatis & nequitiæ genus exercentẽ, ac magis etiã exerciturã, si nũc patiamini.

Non mihi soli filia fuit pulchritudine præstans aliis: quã aperte violare ac constuprare conatus est Appius: sed vestrũ etiã multi, alii filias, alii vxores, alii adolescentes habent elegantes quibus quid obstabit quo minus ab alio quopiam decẽ tyrannorũ, aut ab ipso Appio, eadẽ inferantur probra? nisi forte Deorũ aliquis vobis spondet, si hanc meam calamitatem inultã siueritis, non ad multos vestrũ progressurã huiusmodi mala, sed in mea filia conquieturum tyrãnicum amorẽ à reliquis puerorum virginumq; corporibus sibi tẽperaturum. Sed hoc tamen probe noueritis, magnæ fatuitatis ac vecordiæ esse, siquis hęc quę cogito euentura neget. nã infinitæ sunt tyrannorum cupiditates: nec mirum: quia nec lege coercentur, nec metu. Itaq; tum mea iniuria iustis modis vindicata, tum cõparato vobis ipsis aduersus eadem mala tuto pręsidio, tandẽ aliquando frena dirumpite ô miseri, rectisq; oculis ad libertatem respicite. ob quam enim aliam caussam grauius indignabimini, quam ob hanc, cum tyranni ciuium filias vt seruas abripiunt, & cum flagris spõsas deducunt? ecquando liberos resumetis spiritus, si hoc tempus dimittatis quo arma corporibus geritis? XLV.

Nondum orationem finierat, cum multi acclamant, opemq; in vlciscenda iniuria pollicentur. moxq; centuriones nominatim vocant, ac rem vrgeri postulãt. nec deerant qui prodirent ac propalam auderent dicere, siqua affecti essent iniuria. Quib cognitis, quinq; legionũ duces, de quibus supra dixi, veriti nequis è multitudine in se fieret impetus, omnes in prætorium concurrerunt, & cum amicis deliberarunt an suæ factionis manu stipati, turbam componerent. vt vero audierunt eos se in tentoria recepisse, tumultum- XLVI.

que sedatum esse, ignorantes plerosque centuriones f
tuisse clandestina conspiratione secessionem facere ad vi
dicandam patriæ libertatem, decreuerunt, simulatque d
illuxisset, Virginium turbarum auctorem in custodia
coniicere, & copias è castris in hostes educere, insessisq
optimis eorum agris, regionem peruastare; de vrbanis au
tem negotiis ne suis quidem amplius permittendum cu-
riosius inquirere; *sed distinendos animos* partim *belli* com-
modis, partim quotidianis pro sua ipsorum salute certami-
nibus. Sed nihil eorum quæ cogitarant, efficere potuerunt,
nec enim centuriones Virginium, cum arcesseretur, in præ-
torium abire siuerunt; veriti nequid ei accideret mali. quin
etiam interceptum consilium de educendo in hostem mi-
lite, huiusmodi oratione perstrinxerunt: Præclaros sane vos
hactenus imperatores præbuistis; vt nunc etiam *bona spe*
concepta, vos sequamur; qui cum partim ex ipsa vrbe, par-
tim è sociis tantum conflaueritis exercitum, quantum nul-
lus inter Romanos duces antehac vmquam *contraxit*, nec
victoriam vllam reportastis, nec vllum hosti damnum *in-
tulistis*; sed imperitiæ *dumtaxat* & ignauiæ specimina ex-
hibuistis, dum & castra male posuistis, & vestra ipsorum re-
gione vt hostili deuastata, mendicos nos atque omnium
inopes effecistis. & quos antea armorum vi in prœliis su-
perabamus, cum meliores quam vos nobis præerant du-
ces, ii & tropæa contra nos erigunt, & tentoriis, mancipiis,
armis pecuniisq; direptis, nostra sibi habent.

XLVII. Virginius autem, partim ira incensus, partim quod nihil
amplius duces metueret, contumacius eos incessebat, pe-
stes atque exitia patriæ appellans, omnesque centuriones
hortans vt sublatis signis domum reducerent exercitum.
sed cum plerique adhuc vererentur sacra signa mouere, du-
cumque & imperatorum desertionem nemo licitam nec
tutam esse duceret: (nam militare iuramentum, quod o-
mnium maxime imperatoribus seruant Romani, militan-
tes sequi iubet quocumque *imperatores* duxerint: lexq; du-
cibus potestatem dat indicta caussa interficiendi, siqui non
obtemperẽt aut signa deserãt) Virginius illos hac religione
teneri videns, docet eos iureiurando per legem solutos esse,
quia imperatorem qui præsit copiis, legitime creatum esse
oporteat; decemuiri autem præter leges potestatem sibi
vsurpent,

vſurpent,annuum ſcilicet tempus,in quod creati ſint,tranſgreſſi. iis autem qui non legitime præſint, imperata facere, non obedientiam & pietatem eſſe, ſed amentiam & inſaniam. Quibus auditis illi eum recte monere arbitrati, ſe inuicem cohortantur; additaque etiam diuinitus neſcio qua fiducia,ſigna tollunt,& è caſtris pergunt.ac licet(vt in ter varia ingenia ſolet fieri, dum non omnes optima quæque cogitant) procul dubio aliqui fuerint tum milites tum centuriones, qui apud decemuiros permanſerint; non fuit tamen tantus eorum numerus, ſed alteris longe minor. Illi ergo è caſtris egreſſi, continuata per totum diem profectione,ſub veſperam in vrbem intrarũt, nullo ſui aduentus præmiſſo nuntio. quę res non mediocres intra mœnia turbas concitauit, dum *omnibus* hoſtilem exercitum intraſſe putantibus, magnus clamor & incompoſita diſcurſatio tota vrbe coorta eſt. Non diu tamen eæ turbæ durarunt, ita vt inde aliquid mali exſtiterit, dum enim per vicos transibant, clamabant ſe & amicos eſſe, & bono reipublicæ aduenisſe: nec à verbis diſcrepabant facta, cum ab omni abſtinerent iniuria. & poſtquam in Auentinum peruenere, (eſt autem is collis inter omnes qui Romæ ambitu continentur, caſtris locandis maxime idoneus) ad Dianæ fanum arma poſuere. Poſtridie communito vallo, & rerum ſumma decem tribunis commiſſa, quorum princeps erat Marcus Oppius, conquieuerunt. *Milites Virginii impulſu deſertis decemuiris, in Auentinũ ſecedunt.*

XLVIII.

Non multo poſt ex Fidenatibus quoque caſtris, auxilio eis venerunt fortiſſimi trium agminum centuriones, magnam ſecum adducentes manum: qui cum iamdudum ab imperatoribus ſuis alienati eſſent, ex quo illi (vt ſupra narraui) Siccium legatum interemerant; nec tamen priores ſeceſſionem facere auderent, quod *altera* quinque agmina in Algido decemuirorum partes tuerentur, cognita tunc illorum ſeceſſione, id fortunæ beneficium gratis animis acceptarunt. præerant autem his quoq; agminibus decem tribuni, quos in itinere duces ſibi creauerant: inter quos eminebat Sextus Manlius. Poſtquam vero coniunxerunt vtrimq; copias, poſitis armis, viginti tribunis commiſerunt quidquid pro republica dicẽdũ agendũve eſſet. Porro inter hos viginti, duos eminentiſſimos ceteris velut conſules anteire voluerũt, Marcũ Oppiũ, & Sextũ Manliũ. ii cõſtituto

ex omnibus centurionibus ſenatu, cum iis omnem rerum
adminiſtrationem communicarunt. Cumq; mens illorum
adhuc pleriſq; incognita eſſet, Appius, vt qui ſe harum tur-
barum & malorum inde ſecuturorũ auctorem eſſe noſſet,
nihil publicorum negotiorum tractare amplius voluit, ſed
domi ſe continuit. At qui cum eo vrbi præfectus erat, Spu-
rius Oppius, principio & ipſe conſternatus, quaſi confeſtim
manus illaturi eſſent inimici, atque in hoc ipſum veniſſent,
poſtquam cognouit eos nihil noui moliri, remiſſo metu,
ſenatum in curiam conuocauit, ſingulos viritim ex ædibus
accerſens. Interea vero dum illi conuocantur, veniunt è Fi-
denatibus caſtris duces, & cum indignatione cõquerentes,
vtraque caſtra à militibus deſerta eſſe, ſenatui perſuadere
conantur vt grauiter illis iraſcatur. & quoniam ſua cuique
ſententia dicenda erat, Lucius Cornelius cenſuit oportere
eos qui Auentinum occupaſſent, eo ipſo die in ſua quemq;
caſtra reuerti, & imperatorum iuſſa exſequi, nec *vllam facti*
culpam eis imputari, exceptis ſolis defectionis auctoribus,
quibus imperatores irrogaturos eſſe pœnas. quod ſi non
facerent, ſenatum de illis decernere vt de ordinis à ducibus
aſſignati, deſertoribus, & militaris ſacramenti violatoribus,
at Lucius Valerius

XLIX. Sed de legibus Romanis quas duodecim tabulis inſcri-
ptas reperimus, neque nihil plane dicendum fuit, cum ſint
adeo graues, & à Græcanica legum latione tantopere diffe-
rant, neque vltra modum progrediendum, longiore decem
L. inſtituta narratione. Qui vero poſt abdicatum decem-
uiratum, conſulare imperium primi à populo accepere co-
mitiis centuriatis, vt ſupra dixi, Lucius Valerius Potitus &
Marcus Horatius Barbatus, cum & ipſi natura populares
eſſent, & à maioribus id inſtitutum *velut hereditarium* ac-
cepiſſent, vt ſeruarent promiſſa quæ plebeiis fecerant, cum
eis perſuaderent vt arma deponerent, ſe *ſcilicet* omnia ple-
bis commoda in reipublicæ adminiſtratione adiuturos, le-
ges centuriatis comitiis ſanxerunt, (ægre ferentibus qui-
dem patriciis, ſed contradicere verentibus) tum alias, quas
litteris mandare non eſt neceſſe, tum eam quæ leges à po-
pulo tributis comitiis latas, omnibus Quiritibus ex æquo
latas

A.V.C.306 conſſ. L. Valerio, & M. Horatio, leges latæ.

latas esse iubet, eandemque vim habere quam illas quæ centuriatis comitiis ferrētur. quam legem si quis abrogaret aut transgrederetur, eum, si *criminis* conuictus esset, morte mulctari *iubebant*, & bona eius publicari. Ea lex sustulit illam patriciorum cum plebeiis contentionem, qua iam pridem recusabant legibus à plebe latis obedire; atq; adeo quæ tributis comitiis sancirentur, non esse pro communibus totius vrbis decretis habenda, sed plebeio tantum ordini peculiaria: quod vero centuriatis comitiis decerneretur, id & sibi & ceteris ciuibus mādatum existimabant. Dictum autem antea quoque, in tributis comitiis plebeios & pauperes patriciis fuisse potiores: at comitiis centuriatis, patricii, tametsi ceteris longe pauciores essent, superabant plebeios. Ea lege à consulibus sancita. cum aliis quibusdam (vt dixi) popularibus, tribuni plebis statim, velut commodum tempus nacti ad persequendas Appii & sodalium iniurias, nomina eorum deferenda censebant, non tamen omnes vna in iudicium vocandos, ne sibi mutuas præstarent operas, sed singulatim: quod ea illos aggrediendi ratio videretur facilior. cumque disquirerent à quo commodius possent incipere, Appium primum iudicio destinarunt, qui tum ob alia delicta exosus erat populo, tum ob iniurias nuper in virginem admissas. Si enim illum *iudicio* superasset, ceteros quoq; facile superari posse arbitrabantur. quodsi à tenuioribus inciperent, verebantur ne ciuium iræ aduersus eminentissimos vltimis iudiciis remissiores fierent; quæ in prioribus iudiciis solent esse acriores: vt iam sæpe contigit. Hoc consilio approbato, & obstrictis reis, Appii accusationem Virginio sine sorte demandarunt. Post hęc igitur Appius à Virginio ad populum defertur, ac pro concione accusatur. qui cum tempus ad caussæ defensionem postulasset, nec vadimonium ei concessum esset, in carcerem abducitur. vbi cum ad tempus iudicii in custodia detineretur, antequam destinata iudicio dies aduenisset, in vinculis moritur, tribunorum iussu, vt plerique opinabantur, vt vero ab iis spargebatur qui ea culpa vacare volebant, ipse se laqueo suspenderat. Post eum ab alio tribuno P. Numitorio ad populum delatus Spurius Oppius, impetrata sui defendendi copia, damnatur omnium suffragiis, & custodiæ mandatus, eodem die necatur. reliqui de-

LI.

In decemuirorum iniurias vindicatur.

cemuiri, antequam ad plebem deferrentur, exsilio se mulctarunt. bona vero tum interemptorum, tum profugorum, quæstores vrbis retulerunt in ærarium. Accusatus etiam Marcus Claudius, qui virginem vt seruam abducere aggressus fuerat, actore Icilio *defunctæ* sponso. is cum culpam in Appium transtulisset, cuius iussu delictum admisisset, capitis quidem absoluitur, sed perpetuo exsilio mulctatur. è ceteris qui se paucorum dominatui ad iniustum aliquod facinus ministros præbuissent, nemo in publicum iudicium vocatus est; sed data omnibus venia. cuius instituti auctor fuit Marcus Duellius tribunus plebis, cum ciues iam ęgrius ferrent, &, ne *ipsi quoq;* hostibus accenserentur, metuerent.

LII. Sedatis in vrbe turbis, senatusconsulto decernitur vt confestim in hostes educatur exercitus. quod postquam à plebe approbatum est, consulum alter Valerius cum dimidia exercitus parte profectus est in Æquos & Volscos, qui copias suas coniunxerant. & quoniam sciebat Æquos superioribus victoriis elatos esse, Romanasq; copias admodum contemnere, vt animos eorum magis ac magis efferret, atque audaciores redderet, simulauit vereri cum illis congredi, ficteque omnia formidinis indicia præbuit. nam & celsum adituque difficilem castris locum delegit, & fossa profunda valloque excelso eadem circummuniuit. quin & hoste aliquoties ad pugnam prouocāte atq; ignauię notam ingerente, patienter ac quiete se *intra vallum* continuit. demum vt cognouit firmissimum hostium robur in Hernicorum & Latinorum agros prædatum exisse, nec magnam validamve castris relictam esse custodiam, ratus id tempus opportunū esse, copias instructis ordinibus eduxit, aciemque velut ad pugnam cōposuit. cumq; nemo progrederetur obuiam, eo die substitit: at postridie impedimentis illorum, nō admodum munitis, copias admouit. Ibi qui ex oppido prædatum exierant, vt vallum suum obsideri cognouerunt, pedem retulerunt: sed non vna, neq; ordine, verum paulatim ac sparsim, vt fors ferebat, accurrerunt. quos cum approperantes viderent qui intra vallum erant, audaciores facti, confertim exierunt. fitque acre prœlium, & magna vtrimque strages: sed victor Romanus exercitus, tum comminus pugnantes in fugam vertit; tum fugientes inse-

Expeditio in Æquos & Volscos duce Valerio.

insequens, alios occidit, alios viuos capit. Quibus peractis Valerius iam tuto regionem hostium perpopulabatur.

LIII. *Bellum cum Sabinis duce Horatio.*

At Marcus Horatius, cui bellum aduersus Sabinos commissum erat, intellectis collegæ successibus, & ipse suas è castris eduxit copias, totisque viribus ocius adortus est Sabinos, nec numero inferiores, & rei bellicæ peritia præstantissimos. qui superioribus victoriis elati, animositatis atque audaciæ multa in conflictu edidere specimina, tum in vniuersum omnes, tum præsertim is qui ceteris præerat: erat enim non solum bonus imperator, sed etiam bellator manu strenuus. vbi cum equites Romani maximam exhiberent promptitudinem, Horatius splendidissimam obtinuit victoriam; in qua multos hostium occidit, plures viuos cepit. castris quoq; desertis potitus est; in quibus præter hostium impedimenta, quorum magnus erat numerus, reperit etiam vniuersam prædam, quam ex agro Romano abegerant. permultos etiam è suis, captiuos ibidem reperit, atque liberauit. nam Sabini, Romanorum contemptu, nihil huiusmodi emolumentorum exportare maturauerant. itaque res hostium militibus vsurpandas permisit, exemptis prius è spoliorum aceruo quæ Diis consecraret: prædam vero iis restituit quibus adempta fuerat. His peractis Romam reduxit copias: eodemque tempore venit etiam Valerius.

LIV.

Amborum animis victoria sublatis, triumphi quoque luculenti spes erat. sed spei non respondit successus. cum enim extra vrbem in campo Martio castra posuissent, senatus contra eos coactus, & de rebus ab vtroq; gestis edoctus, non permisit eis vt sacra ob victoriam fieri solita peragerent. aduersabātur autem eis tum alii multi propalam, tum in primis Caius Claudius, patruus (vt dixi) Appii, eius qui paucorum dominatum introduxerat, & recens à tribunis necatus fuerat. ac primum quidem prætendebat leges, quarum latione senatus potentiam imminuissent, ceteraq; instituta quæ in rempublicam inuexissent: ad extremum commemorabat, eos decemuiros tribunis dedidisse, atque effecisse vt eorum alii necarentur, alii proscriberentur, præter iusiurandum & pacta. nam pacta quę inter patricios & plebeios super sacris *nuper* firmata essent, ea conditione inita fuisse, vt sepulta superiorum offensarum memoria, tuta es-

ſent omnia. neque Appium ſua ipſius manu interiſſe, ſed inſidioſe à tribunis, antequam cauſſam diceret, ſublatum eſſe, ne re ad iudicium delata, vel dicendi copiam vel miſericordiam impetraret: vt fieri fortaſſe potuiſſet ſi in iudicium vocatus vir ille generis dignitate præſtans, multisque in rempublicam meritis clarus, iuſiurandum ac fidem implorasset, quibus freti homines in fœdera coeunt, ac præter liberos, cognatos, abiectumque habitum, alia etiam multa adhibuiſſet, quibus ad miſericordiam multitudo flecti ſolet. Talia cum in eos effudiſſet Claudius, & qui cum eo erant, viſum eſt *ſenatui*, eos debere contentos eſſe ſi nulla ipſis pœna irrogaretur, triumpho autem, aut aliis huiuſmodi permiſſionibus, ne minima quidem ex parte dignos

LV. eſſe iudicandos. Negato per ſenatus decretum triumpho, Valerius cum collega indignatus, quaſi graui affectus iniuria, populum in concionem aduocauit, prolixaq; in ſenatum accuſatione inſtituta, patrocinantibus tribunis plebis, legemq; inferentibus, triumphi deducendi poteſtatem à plebe accepit: primusque Romanorum omnium eam conſuetudinem *in ciuitatem* introduxit. Ex eo rurſum plebeiis nata diſſidia atq; expoſtulationes aduerſus patricios, eosque tribuni concitabant quotidianis concionibus. maxime autem multitudinis animos irritabat ſuſpicio, quam tribuni rumoribus incerto auctore ſparſis, multisq; *inſuper* coniecturis, augebant magisque ac magis confirmabant, quaſi patricii abrogare conarentur leges à Valerio & collega *nuper* ſancitas, cuius rei opinio multitudinis animos tam valide occuparat, vt pene certo ſic eſſe crederent. atque hæc quidem his conſulibus geſta ſunt.

Valerius & Horatius inuito ſenatu triumphant.

LVI. Anno ſequente conſules fuerunt Lar Herminius & Titus Virginius. quibus in magiſtratu ſucceſſerunt M. Ge-

A.V.C.307 conſſ. Lar Herminius, T. Virginius

A.V.C. 308 conſſ. M. Geganius, C. Iulius.

A.V.C.309 coſſ. T. Quin

quibus nihil reſpondentibus, ſed indignantibus, Scaptius iterum ad tribunal acceſſit, &, Habetis, inquit, pro confeſſo, Quirites, ab ipſis etiam controuerſantibus, eos noſtrum agrum, nihil ad ſe pertinentem, ſibi vindicare. ad ea reſpicientes, quod ius ac iuramentum poſtulat, decernite. Hæc dicente Scaptio, pudor inceſſit conſules, dum cogitabant, nec iuſtum nec decentem litis exitum fore, ſi populus

Romanus,

Romanus, de ambiguo agro iudex captus, eum controuersantibus adimeret, sibique adiudicaret, cum eum sibi numquam ante vindicarit. itaque ad eam rem dissuadendam permulta tum à consulibus, tum à senatus proceribus facta sunt verba: sed frustra. nam qui calculos sumpserant, dicebant esse magnæ fatuitatis, res suas aliis detinendas relinquere, nec piam litis decisionem fore arbitrabantur, si Aricinos aut Ardeates controuersiosi agri dominos pronuntiarent, quod iurassent, se, ad quos eum pertinere comperissent, iis adiudicaturos: ac litigantibus succensebant, quod se, qui agro eo fraudati essent, iudices cepissent, ne posthac sibi suam possessionem repetere liceret, quam ipsi iurato iudicio aliis adiudicassent. Hæc ergo cum indignatione commemorantes, iusserunt tertiam vrnam per singulas tribus pro populo Romano poni, in quam mitterentur suffragia. & omnibus suffragiis ambigui agri dominium adiudicatur populo Romano. atque hæc his consulibus acta sunt. *tio XIII. Agr. Furio, lis de agro inter Aricinos & Ardeates controuersioso decisa.*

LVII. *A.V.C.310. conss. M. Genucio, C. Curtio, contētio de iure consulatus.*

At Marco Genucio & Caio Curtio consulibus, intestina iterum dissidia exorta sunt, plebeiis postulantibus vt omnibus *ex aquo* Romanis consulatum capere liceret. (nam ante id tempus soli patricii eum magistratum ambiebant, & centuriatis comitiis consules creabantur) omnesque illius anni tribuni, vno consensu, excepto solo Caio Furnio, legē de comitiis consularibus tulerunt, qua plebis cognitioni singulis annis permittebatur, à patriciisne an à plebeiis cōsulatum ambiri vellet. Ea re indignatus ordo senatorius, quod potentiam suā conuelli videret, potius extrema queq; subeunda censuit, quam permittendum vt ea lex sanciretur. itaque accensis animis, continue alteri alteros incusabant & oppugnabant, tum in priuatis cœtibus, tum in publicis totius ciuitatis conuentibus, patriciorum animis à toto plebeio ordine abalienatis. multęq; orationes partim in curia, partim in concionibus habitę sunt ab iis qui optimatū imperium tuebantur. qui enim mitiores erāt, plebeios eo putabant delinquere, quod nescirent quid conduceret reipublicæ. qui vero asperiores erant, id omne ex inuidia atq; insidiis sibi comparatis proficisci existimabant. Dum *his altercationibus* tempus inaniter teritur, socii missis in vrbem nunciis significant magnam contra se ab Æquis & LVIII.

Volſcis expeditionem parari; petuntq; vt ſibi, velut in belli ca le ſitis, confeſtim mittantur auxilia. Sed & Veientes inter Etruſcos defectionem parare dicebantur. nec Ardeates amplius parere volebant, irati adhuc ob agrum controuerſum, quem populus Romanus cum *litis* iudex captus eſſet, anno ſuperiore ſibi adiudicauerat. His cognitis ſenatus decernit vt conſcribatur exercitus, atque ambo conſules educant copias. Sed ſenatuſconſulto ſe opponunt legis ſuaſores. licet enim tribunis obſiſtere conſulibus. ac ſiqui à conſulibus vi ad militare ſacramentum adigantur, tribuni eos illis eripiunt, & impediunt ne vlla de imperium detrectantibus ſumatur pœna. cumque ſenatus obnixe poſtularet vt depoſita in præſens contentione, poſt finita bella, lex illa de comitiis proponeretur, tantum abſuit vt illi tempori ceſſerint, vt ſe ceteris quoque in rebus ſenatuſconſultis aduerſaturos dixerint, nec permiſſuros vt vllum vlla de re decretum ſenatus ratum fieret, niſi prius lex quæ ab ipſis ſuaderetur, ſenatuſconſulto approbaretur. nec eo ſolum deuenerunt vt in patrum conſeſſu conſulibus iſta minitarentur, verum etiam pro concione ſe iuramento quod apud eos eſt ſummum, per fidem ſuam obſtrinxerunt, vt ſi vel maxime diuerſum eis perſuaderetur, nihil quidquam eorum quæ decreuiſſent, liceret reſcindere.

LIX. Ibi qui ætate atque auctoritate eminebant inter eos qui optimatibus imperium aſſerebant, in priuatum concilium à conſulibus ſoli collecti, diſpiciebant qua ratione minis illis eſſet occurrendum. itaque Caius Claudius, qui minime fauebat plebi, idque inſtitutum à maioribus velut hereditarium acceperat, rigidiorem ſententiam dixit, nec conſulatu nec vllo alio magiſtratu cedendum eſſe plebi. ac ſiqui contra facere aggrederentur, armis coercendos, ſi verbis flecti non poſſent: nec ea in re parcendum vel priuato, vel magiſtratui. omnes enim qui patrias conſuetudines abolere conarentur, & vetuſtum reipublicæ ordinem labefactare, alienos atq; hoſtes eſſe reipublicæ. At Titus Quintius non ſinebat vi coercere aduerſantes, neq; armis & ciuili ſanguine graſſari aduerſus plebeios; præſertim quod tribuni plebis obſtituri eſſent, quos maiores ſacros ac ſanctos eſſe voluerint, Diiſque ac geniis in fœderis teſtimonium adhibitis, grauiſſimo iuramento ſuis & nepotum ſuorum capiti-

bus

bus exitium imprecati sint, siquid conuentorum transgrederentur. Cui cum assentirentur etiam cæteri qui ad concilium istud accersiti erant, Claudius resumptis dicendi partibus, Non ignoro, inquit, quantorum malorum leges nobis omnibus prouentura sit, si plebi de lege illa permittamus calculum. Sed dum non habeo dicere quid facto opus sit, neque tanto numero contradicere possum, voluntati vestræ cedo. nam par est vt quisque dicat quidem quæ reipublicæ profutura existimet; sed obsequatur iis quæ maior pars censuerit. Illud tamen vos, vt difficilibus & coactis in rebus monendos existimo, vt consulatu neq; nunc neq; in posterum vllis cedatis, nisi patriciis; quibus solis eo cedi ius & fas est. quodsi necessitas vos cogit, vt nunc, cum ceteris quoque ciuibus summam potestatem atq; imperium communicare, tribunos militares pro cõsulibus designate, quotcumque volueritis. (nam mihi octo aut sex videntur suffecturi) atq; inter hos non minor sit patriciorum quam plebeiorum numerus. id enim si facietis, neque consulatum in abiectos atq; indignos conferetis, neque iniquos principatus vobis astruere videbimini, nullo cum plebeiis communicato magistratu. Quam sententiam cum collaudarent omnes, nec quisquam contradiceret, Audite, inquit, quæ vos etiam consules commonendos arbitror. Die indicta qua consilium illud & senatusconsultum confirmetur, dicendi potestatem facite siqui pro lege aut contra eam verba velint facere. Cumque finitis orationibus ad sententiarum rogationem deuẽtum fuerit, neque à me incipite, neq; à Quintio, neque ab vllo seniorum alio, sed à Lucio Valerio, senatorum omnium popularissimo. & post hunc ex Horatio quærite siquid velit dicere. Postquam vero illorum sentẽtias exploraueritis, tunc nos seniores sententiam rogabitis. Ibi ego contrariam tribunis sententiam dicam, & quidem summa cum libertate. id enim reipublicæ prodest. Tribunos vero militares instituere si vobis placet, instituti eius auctor sit Titus Genucius. cum enim sententia illa maxime decet; minimaque suspicionis occasio præbebitur, si frater tuus, Marce Genuci, sententiam illam dicat. Quæ cum & ipsa recte monuisse videretur, è concilio domum abiere. tribunos vero metus incessit ne secreta ista virorum coitione magnum aliquod malum in plebis caput

LX.

procusum esset, quia non palam sed in domo priuata consultassent, nec vllum plebis antistitem sui consilii participem esse voluissent. itaque & ipsi mox coacto è popularissimis concilio, præsidia machinabantur aduersus insidias quas à patriciis sibi strui suspicabantur.

LXI. Vt vero tempus affuit quo senatusconsultum faciendum erat, consules conuocato senatu, cum concordiam decentemque rerum ordinem prolixe commẽdassent omnibus, primas dicendi partes dederunt tribunis legem suadentibus. E quibus *in medium* progressus Caius Canuleius, de iure vel vtilitate legis nil docebat nec meminerat: sed mirari se consules aiebat, qui cum iam ante apud se ipsos consultassent ac decreuissent quid facto opus esset, quasi inexploratum & deliberatione egẽs negotium, ad senatum referre instituerent, ac de eo dicẽdi potestatem facerent, siquis vellet: quod dissimulationis exemplum neq; ætatem illorum decere, neq; imperii amplitudini conuenire. eosque malis institutis aditũ in rempublicam patefacere, qui secreta concilia in priuatis ædibus cogerent, neq; omnes senatores ad ea conuocarent, sed suis tantũ partibus aptissimos. ac quod ceteros senatores à domestico senatu excluserint, minus se mirari quod vero Marcũ Horatium, Lucium Valeriũ, eos qui paucorum dominatum aboleuerint, consularis ordinis viros, nec vlli secundos in capiendis pro republica consiliis, ad eam cõsultationem vocare dedignati sint, id se obstupescere, nec colligere posse quamnam iustam ob caussam id *factum sit*, vnam tamen eius rei caussam se coniicere, quod cum malas ac perniciosas contra plebeios sententias ferre constituerint, ad concilium istud popularissimos accersere noluerint: quippe qui indignaturi fuissent, nec passuri vt iniusti quidpiam aduersus plebem instituer etur.

LXII. Talia cum Canuleius magna cum indignatione diceret, & senatores qui ad concilium illud non fuerant adhibiti, eo nomine stomacharentur, progressus consulum alter Genucius factum excusare, irasque illorum lenire conabatur, ac docebat, amicos ab ipsis fuisse adscitos, non vt aliquid contra plebem molirentur, sed vt cum maxime necessariis consultarent qua ratione consequi possent vt è duabus istis optionibus neutri quicquam detraxisse viderentur, ociorne senatui de lege proponenda esset cognitio, an serior. Hora-

rium

tium vero & Valerium non aliam ob caussam ad cõcilium non fuisse adhibitos, quam ne aliquam suspicionem plebs immerenter aduersus eos conciperet, quasi pristinum in republica institutum mutassent, si forte alteram sententiam amplexi essent, quæ legis cognitionem in aliud tempus commodius differendam suadeat. quando autem omnibus ad eam consultationem adhibitis compendiosior cognitio tardiore visa sit melior, se, vt illis visum sit, facere. Hæc cum dixisset, ac per Deos iurasset se verum dicere, addidit, eos etiam qui ad consultationem assumpti fuissent, omnem criminationis materiam diluturos esse, non verbis, sed factis. cum enim legis dissuasoribus pariter ac suasoribus exponendum sit quid ipsis iustum videatur, se primos ad sententiæ dictionem accersiturum non natu maximos & honoratissimos senatorum, quibus auitæ consuetudines eum quoq; honorem tribuant, nec illos qui plebeiis suspecti sint, quasi nihil boni pro ipsis vel dicant vel cogitent, sed de iunioribus senatoribus eos qui videantur esse popularissimi.

His promissis, & data cuilibet dicendi potestate, quum nemo prodiret qui vel pro lege vel contra illam verba faceret, iterum progressus, Valerium primum interrogat quid ex vsu reipublicæ esse iudicet, quidque senatui decernendum suadeat. Is surgens, primum longam de se ipso ac de maioribus suis narrationem instituit, eos bono publico plebis partes defendisse, enumerauitque quotquot contrario instituto, *iam inde* ab initio, vrbi conciliata essent pericula; & demonstrauit, omnibus iis qui plebi infensi fuissent, plebis odium fuisse detrimẽtosum, deinde prolixe populum collaudauit, quasi eo præcipuo auctore non libertas modo, verum etiam principatus vrbi partus esset. His & similibus aliis commemoratis, ad extremum dixit, non posse ciuitatem esse liberam, è qua tolleretur æqualitas: viderique sibi, iustam quidem legem esse, quæ omnibus Romanis consulare imperium commune esse velit, qui quidem inculpatam vitam egerint, & res isto honore dignas gesserint, sed tempus eius cognitioni non esse commodum, quum bellicis turbis agitetur respublica. suadebatque tribunis plebis, vt militum delectum haberi sinerent, nec conscriptarum copiarum expeditionem impedirent: tum consulibus, vt bello quam optime confecto, ante LXIII.

omnia senatusconsultum de lege ad populum referrent. Hæc vero iam ab vtraque parte & scripta esse, & confessa. Quam sententiam cum pronuntiasset Valerius, & post eum Horatius, (nam secundas dicendi partes huic tribuerant consules) idem omnibus quotquot aderant, accidit. nam qui legem abrogatam cupiebant, libenter audiebant cognitionem eius differri: sed ęgre ferebant quod post bellum de ea consultandum esset: qui vero eam à senatu ratam haberi volebant, libenter audiebant eam nonnullorum confessione iustam censeri, sed irascebantur cum senatusconsultum in aliud tempus extraheretur.

LXIV. Cum ergo, vt verisimile est, tumultum excitasset ea sententia, quod non omni ex parte probaretur vtrisque, progressus consul, tertium rogauit Caium Claudium, qui in altera factione, eorum qui plebeiis aduersabantur, rigidissimus ac potentissimus esse videbatur. is meditata aduersus plebeios oratione, commemorauit omnia quę vmquam contra pulchras atque auitas consuetudines *a plebe inuecta* viderentur: cuius orationis caput, ad quod eius sententia tendebat, erat, ne vlla à consulibus de lege senatui proponeretur cognitio, neque in præsens, neque in posterum; quippe quæ ad subuertendum optimatum imperium ferretur, omnemque reipublicæ ordinem confusura esset. Ad quam orationem cum adhuc maior tumultus exortus esset, quartus citante consule surgit Titus Genucius, frater alterius consulis. is pauca primum disseruit de temporibus in quæ incidisset respublica: aitque necesse esse vt è duabus maximis difficultatibus alterutra reipublicæ accidat, vt scilicet aut intestinis contentionibus atque ambitionibus res hostium roboret, aut dum externos impetus auertere conatur, domesticum ac ciuile bellum male componat. cum vero duo sint mala, & alterum horum vel inuitis subeundum sit, tolerabilius sibi videri, vt senatus plebem potius sinat aliquid de auitæ reipublicæ decore detrahere, quam externis atque hostibus vrbem deridendam propinet. Deinde his finitis, protulit sententiam quæ (vt dixi) à Claudio in domestico concilio pronuntiata, & ab omnibus qui illic aderant, approbata fuerat, vt *scilicet* pro consulibus crearentur tribuni militares, tres ex patriciis, & totidem ex plebeiis, consulari potestate prædit: exactoque

horum

horum imperio,& reuerso nouis magistratib. designandis tempore, senatus populusque facta coitione iterum dispiceret,vtrum à consulibus an à tribunis militum capi magistratum vellet: & quod omnium suffragiis approbatum foret,id ratum haberetur.fieri autem senatusconsultum quotannis.Eam Genucii sententiam omnes magnis extulerunt laudibus; & qui post eum surrexere,fermè omnes id consilium optimum esse concessere. itaque senatusconsultum à consulib. in tabulas refertur: moxq; tribuni plebis eo accepto,magno cum gaudio in forum prodiere; & aduocato in concionē populo,post prolixam senatus laudationem, iusserunt plebeios, siqui vellent, cum patriciis ambire magistratum. Sed adeò leuis res est cupiditas ratione destituta, & adeò citò in alteram partem recidit,in primis autem vulgi *cupiditas*; vt quibus ante quantiuis erat in magistratus consortium venire, ac, nisi hoc eis à patriciis concessum fuisset,vel vrbem (vt ante) deseruissent,vel ipsi armis id sibi vindicassent, postquam eis concessum fuit postulatum,statim à cupiditate sua destiterint,& studia in alteram partem transtulerint. etenim cum multi ex plebeiis tribunatum ambiissent, magnoque studio petiissent, nullum *eorum* honore isto dignum iudicarunt; sed permisso sibi calculo,patricios cum magistratum ambientes, viros illustres, tribunos designarunt; Aulum Sempronium Atratinum, Lucium Atilium Longum,& Titum Clœlium Siculum. qui primi proconsulare imperium ceperunt anno tertio quartæ & octogesimæ Olympiadis, Archonte Athenis Diphilo. cumque tantum tres & septuaginta dies eum magistratum gessissent,vltrò more vetere deposuerunt, cum signa quædam diuinitus oblata vetuissent illos rempublicam gerere. Qui cum magistratum abdicassent,senatus coiit & interreges creauit. Ii comitiis indictis, & permissa plebi cognitione, tribunosne an consules creare mallet,cum plebs patrias consuetudines retinendas iudicasset,permiserunt patriciis,qui vellent, ambire consulare imperium. fiuntq; rursum è patriciis consules, Lucius Papirius Mugillanus, & Lucius Sempronius Atratinus, frater eius,qui cum collegis tribunatum deposuerat. Hi

LXV.

A.V.C. 311. pro conss. creati sunt tribuni militares tres: qui cum vitio creati viderentur, denuò (LXVI *è patriciis facti conss.*

duo magistratus apud Romanos vno eodemque anno summũ obtinuere imperium. sed non in omnib. Anna- libus Romanis ambo reperiuntur; verum in quibusdam tribuni solum, in quibusdã cõsules; in paucis ambo; qui- bus nos nõ sine ratione assentimur; quippe qui nitam testimoniis è sacris & recõditis libris desumptis. Subla- tum igitur imperio nihil aliud ꝙ quidem historia dign sit, vel militiæ vel domi gestũ est, nisi quod amicitiæ & so- cietatisq; fœdus cum Ardeatib. pactũ est. ii enim om super *controuerso* agro expostulatione, per legatos à Ro- manis petierant, vt inter amicos sociosq; populi Roma cooptarentur. quod fœdus à consulum collegio confir- matum est. Anno insequente, cùm plebs iterum consules creari decreuisset, consulatum capiunt circa plenilunium (*i. idus*) Decembris, Marcus Geganius Macerinus ite- rum, & Titus Quintius Capitolinus quintum. Ii sena- tum docuerunt, cum alia multa propter continuas con- sulum expeditiones neglecta esse, tum institutum illud summè necessarium de fortunarum censu: è quo & nu- merus eorum qui militari ætate essent, cognoscebatur, & opum magnitudo, pro cuius ratione vnumquemq; ad bellicos sumptus contribuere oportebat. nam nullum censum intra septemdecim annos actum esse, à consulatu Lucii Cornelii & Quinti Fabii. vnde factum esse vt boni & frugi viri ad census atque expeditiones vocati fuerint, at improbissimi & nequissimi quique, incensi re- manserint, aliumque locum ceperint, in quo eis pro libito viuere liceret.

LXVII. *A.V.C. 312. conss. M. Geganio II. & T. Quintio 5. census habitus.*

EX DIONYSIO HALICARNASSEO EXCERPTA QVÆDAM DE legationibus.



Erum etiam quia Campanos amicos suos multis & magnis affecissent detrimentis. Senatus Romanus, cum Campani sæpius indicarent & conquererentur de Neapolitanis, misit qui eos rogarent nequid Romani imperii subditis inferrent iniuriæ, sed quod ius postularet, darent reciperentque: & si qua inter eos exsisterent dissidia, verbis, non armis litem componerent; at porro pacem colerent cum omnibus Tyrrheni maris accolis, & neque ipsi aliquid Græcis indignum admitterent, neque alios talia perpetrantes adiuuarent; in primis autem, si fieri posset demeritis potentiorum animis, efficerent vt vrbs à Samnitibus descisceret, ac populi Romani amicitiam amplecteretur. Acciderat autem vt eodem tempore à Tarentinis quoque legati ad Neapolitanos missi essent, viri illustres, & Neapolitanorum auiti hospites: nec non alii à Nolanis, populo finitimo & Græcæ gentis studiosissimo; vt contrarium à Neapolitanis peterent, ne quos cum Romanis aut eorum subditis cõtractus inirent, nec à Samnitum amicitia discederent. vnde si Romani belli occasionem captarent, ne metuerent, nec vires eorum velut inuictas pertimescerent; sed constantes manerent, atq; vt Græcos decet, bellum sustinerent; freti tum suis ipsorum copiis, tum Samnitium auxiliis: ac si forte nauali quoque manu opus foret, nec domestica sufficeret, affuturas ipsis à Tarentinis numerosas fortesque suppetias. Ibi coacto senatu;

I. Olymp. 113. anno tertio; V.C. anno 427. conss. L. Cornelio Lentulo, & Q. Publilio Philone iterum; vt Glareanus tradit in Chronologia Liuiana; vt autem Sigonius, anno V.C. 426. Historia est apud Liu. lib. 8.

multisq; coram eo habitis orationibus partim à legatis partim ab eorum aduocatis, variarunt senatorum sententiæ; & elegantissimi quique in Romanorum partes inclinare visi sunt. Cum igitur eo die nullum senatusconsultum factum esset, sed legationum cognitio in alium consessum esset dilata, potentissimi Samnitum proceres frequentes Neapolim conuenere, ac reipublicæ primoribus in partes suas pellectis, senatui persuasere vt populo potestatem faceret eligendi quod ex vsu futurum videretur. mox in concione progressi, primũ sua *in Neapolitanos* merita commemorarunt; deinde prolixè populum Romanum accusarunt, vt infidum & fraudulentum. demum sub finem orationis admirandas Neapolitanis promissiones fecerunt, si bello implicarentur: missuros se quantiscumque copiis opus foret ad mœnium custodiam; classiarios quoque milites ac totum remigium præbituros; nec suis tantum sumptibus ea missuros *auxilia*, sed ipsis quoque insuper suppeditaturos omnes *belli impensas*. tum profligato Romanorum exercitu Cumas recuperaturos; quas Campani duabus ætatibus ante, Cumanis expulsis, occupauerant; sedibusque suis restituturos Cumanorum exsulum reliquias, quos Neapolitani è patria exactos receperant, omniumque suorum bonorum participes fecerant: atque agri *Cumani*, quem Campani vnà cum oppido ceperant, partem Neapolitanis addituros. His auditis, qui inter Neapolitanos considerati erant, & calamitates vrbi è bello nascituras longè prospicere poterant, pacem colendam censebant. at qui rebus nouis studebant, & quæstum è bellicis turbis faciebant, belli partes fouebant: tanta animorum contentione, vt à mutuis increpationibus ad manuum conlertiones, & lapidum iactus dissidium procederet. ad extremum obtinuit pars deterior, vicitque meliorem: ita vt Romanorum legati re infecta discesserint. Quibus de caussis senatus Romanus expeditionem aduersus Neapolitanos decreuit.

II. Romani, cum Samnites exercitũ cogere cognouissent, legatos primum miserunt. Lecti ergo è senatorio ordine viri idonei, & *in Samnium* profecti, coram Samnitum proce-

proceribus in hanc sententiam verba fecerunt: Iniuriam *nobis* facitis, Samnites, fœdusq; nobiscum initum violatis; dum nomen quidem sociorum præfertis, sed reipsa vos hostes declaratis. multis præliis à populo Rom. superati, *demum* magnis precibus bellum diremistis; & quali voluistis pace impetrata, ad extremum amici ac socii nostræ reipublicæ fieri cupiuistis, vosque eosdem cum Romanis amicos & hostes habituros iurauistis. His omnibus obliuioni traditis & spreto iureiurando, *primum* nos deseruistis in bello contra Latinos, & in prælio aduersus Volscos qui nobis propter vos inimici sunt, quod eos in bello contra vos suscepto noluerimus adiuuare: deinde anno præterito Neapolitanos bellum aduersus nos suscipere verentes, omni studio ac promptitudine instigastis, vel potius coëgistis, sumptusque *eam ad rem* suppeditatis, vrbemq; nostram ipsi tenetis. nuncq; copias vndequaque contrahitis, alio quidem prætextu; sed reuera in colonos nostros eas ducere statuistis: atque ad idem iniuriæ consortium Fundanos pellicitis, Formianosque, & alios quosdam, quibus nos æquale ciuitatis ius impertiuimus. Cum igitur tam apertè tamque imprudenter amicitiæ societatisque fœdus confundatis, populus Romanus prius legatos ad vos mittendos censuit, nec ante à factis auspicandum, quam verborum esset factum periculum. Quæ verò à vobis postulamus, & quibus impetratis superiorum offensarum iram expletam putabimus, hæc sunt. Primum postulamus vt auxilia Neapolitanis missa reuocetis: deinde, vt nullum aduersus colonos nostros emittatis exercitum; neq; subditos ad quodlibet fortunæ augendæ studium instigetis. Quod si delicta non communi omnium vestrum consensu, sed priuato quorundam consilio commissa sunt, eos nobis puniendos dedatis. Hæc si impetrabimus, contenti erimus. sin impetrare non poterimus, Deos ac genios, quos in fœdere iurauistis, attestamur; atq; in hoc fetiales nobiscum adduximus. Hæc cum *legatus* Romanus dixisset, Samnitum proceres, habito inter se consilio, tale dederunt responsum: Quod serius ad bellum contra Latinos auxilia nostra aduenerunt, non reipublicæ culpa factum

factum est: (nam suppetias vobis mitti decreueramus, sed partim ducum *culpa*, qui in comparando exercitu plus consumpserunt temporis; partim vestra ipsorum, qui properantius certamen iniistis. vnde factum vt tribus aut quatuor post prælium diebus suppetiæ à nobis missæ aduenerint. Ad Neapolim verò quod attinet, in qua nostrorum quidam sunt, tantum abest vt aliquam vobis faciamus iniuriam, dum periclitantibus ad tutandam republicæ salutem aliquid auxilii mittimus, vt ipsi nobis magnam à vobis iniuriam fieri arbitremur: nam vrbem hanc, cum qua nobis amicitia & societas est, non recens contracta, neque ex eo tempore quo vobiscum fœdus icimus, sed duabus ætatibus ante, ob multa & magna erga *nos* beneficia, vos nulla iniuria lacessiti, in seruitutem redegistis. ac ne hoc ipso quidem facto tota Samnitum respublica vos læsit; sed, vt audimus, quidam priuati hospitii atque amicitiæ iure, quo Neapolitanis deuincti sunt, suopte impulsu opem eis ferunt; quidam etiam forsan ob fortunarum tenuitatem, stipendii gratia. Nec opus nobis est vt subditos vestros sollicitemus. nam etiam sine Fundanorum & Formianorum ope, ipsimet nobis tutandis sufficimus, si qua belli necessitate obruamur. Exercitum verò nobis comparamus, non vt colonis vestris sua adimamus, sed vt nostra tueamur. Ac vicissim vobis postulamus, si, quod iustum est, facere vultis, vt Fregellis excedatis; quas cum iam pridem armis obtinuerimus, qui acquirendi modus est iustissimus, vos nullo iure occupatas, iam alterum annum vobis vsurpatis. Hæc si *à vobis* impetrauerimus, nulla nos iniuria affectos existimabimus. Post hæc fetialis Romanus, sumptis dicendi partibus, ait: Nihil amplius obstat, quin populus Romanus, dum vos pacis fœdus tam apertè sustulistis, de armis capiendis consultet. nam omnia præstitit quæ tum sacræ patriæq; leges, tum Deorum religio, tum iura humana postulant. vtri autem pactis steterint, Dii, qui bellorum inspectionem sortiti sunt, diiudicabunt. Cumque abiturus esset, detracto capitis amiculo, & sublatis in cœlum manibus, vt moris est, *hæc* à Diis imprecatur: vt, si populus Romanus à Samnitibus iniuria affectus, quæ
verbis

verbis & iudicio dissidiũ dirimere nõ potuerit, ad manus veniat, Dii geniiq; & bona consilia menti eius indant, & felices omnibus successus aduersus hostes largiantur. si verò ipse, fœdere amicitiæ aliqua in parte violato, non veras inimicitiarum caussas prætexat, ne vel consilia eius vel actiones fortunent. Vt verò dimisso concilio, vtrique suæ ciuitati quæ dicta essent retulere, contrarias de se inuicem opiniones ambo populi concepere. Samnites enim Romanorum expeditionem tardiorem fore opinabantur; quod hic eis bello suscipiendo mos esset: Romani verò suspicabantur Samnites breui contra Fregellanos colonos suos cum exercitu venturos. vnde vtrisq; accidêre quæ *accidisse* consentaneum est. nam Samnites, dum se parabant & cunctabantur, rei gerendæ occasionem amiserunt. at Romani, cum in promptu haberent omnia, simulatq; responsum audierunt, & bellum decreuerunt, & ambos consules emiserunt; ac priusquam hostis de expeditione quidquam cognouisset, tum recens conscriptus exercitus, tum hibernantes in Volscis copiæ, quib. Cornelius præerat, in Samnitum fines penetrarunt. Bellum Samniticum denuò huiusmodi occasione excitatum est. Post fœdus, quod cum populo Romano pepigerant, Samnites, breui interlapso tempore, aduersus Lucanos, finitimam sibi gentem, arma sumpsere, vetere quadam simultate impulsi. Principio igitur Lucani, fidentes suis viribus, bellum sustinuere. sed cum ex omnib. præliis inferiores discederent, & multis iam locis amissis, de reliquo etiã territorio toto periclitarentur, coacti sunt ad populi Romani opẽ confugere. ac licet sibi cõscii essent, se prius fœdus, quo amicitiã & societatẽ cũ Romanis firmauerãt, fefellisse: non desperabant tamen se illis persuasuros, si ex vnaquaq; ciuitate nobilissimos pueros cũ legatis mitterent obsides. ꝙ etiã contigit. cũ enim legati venissent, & multis precib. institissent, senatus accipiendos esse obsides & iungendã cũ Lucanis amicitiã decreuit, populusq; senatusconsultũ approbauit. Pacto cũ Lucanis per legatos fœdere, lecti à senatu viri ætate & honore præstantissimi, & ad cõmune Samnitũ conciliũ legati missi, vt Samnitib. significarẽt Lucanos amicos ac socios esse populi

III. *Olymp. 120. anno tertio, V.C. anno 455. L. Cornelio Scipione, & Cn. Fuluio Centumalo consulibus. A.V.C. 428. (vel secundũ Sigonium 427.) L. Papirio Mugillano Cursore, & C. Petilio Balbo tertium, consulibus.*

Romani, rogarentq; vt tum ademptum Lucanis agrum restituerent, tum nihil amplius hostile in eos admitterent; quod populus Romanus non passurus esset, vt qui supplices ad ipsum confugissent, suis sedib. expellerentur. Samnites, auditis legatis, indignantes responderunt: primum, non ea conditione pacis fœdus initum esse, vt neminem priuatim vel amicum vel hostem liceret ducere, nisi populus Romanus iussisset. deinde, Romanos non pridem Lucanos in amicitiam suam recepisse, sed recens, cum iam Samnitum hostes essent: atque *ita* nec iustum nec decentem soluendi fœderis prætextum quærere. Vbi cum Romani responderent, eos qui se subditos fore spopondissent, atque ea lege bellum diremissent, oportere in omnibus obedire iis qui imperium cepissent; ac nisi vltrò imperata facerent, bellum eis minarentur: Samnites intolerabilem esse rati populi Romani superbiam, legatos extemplò abire iusserunt; factoque decreto, res ad bellum necessarias, tum per totam regionem, tum per singula oppida, adornarunt. Aperta igitur Samnitici belli caussa, & cuius prætextus apud omnes speciosius vulgari poterat, erat Lucanorum, qui ad ipsos confugissent, protectio; quod communis ac patrius populo Romano mos esset, iniuriam patientibus atq; ad opem ipsius confugientibus, succurrere. sed occulta caussa, & quæ magis eos amicitiam dirimere cogebat, erat Samnitum potentia, quæ & magna iam erat, & *in dies* maior ac maior futura videbatur: Lucanisque subactis, & per eos finitimis populis, secuturæ erant etiam barbaricæ gentes his contiguæ. Itaque & fœdus post legatorum reditum statim solutum est, & duo conscripti exercitus.

IIII. *Olymp. 124. anno tertio, V.C. anno 471. C. Fabricio Luscino, & Q. Æmilio Papo conss. quibus in consulatu successere L. Æmilius Barbula, & Quintus Marcius Philippus.*

Cum Postumius legatus ad Tarentinos missus esset, & quædam apud eos exponeret, Tarentini non modo non attenderunt animos, aut cogitationes ceperunt hominum cordatorum & de vrbe periclitante consultantium; verum etiam si quid ab eo diceretur quod non exactissimum Græci sermonis characterem referret, obseruabant ac ridebant: offendebanturque *eius ad dicendum*

dum surrectionibus, & barbarum vocitabant, ac tandem, è theatro eiiciebant. cumque abirent, vnus ex iis qui in transitu adstabant Tarentinus, nomine Philonides, homo scurrilis, qui à vinolentia, cui per totam vitam deditus fuerat, appellabatur Cotyla; hesterna ebrietate etiamnum distentus, vt appropinquarunt legati, sublato amiculo, & corpore ad obscœnissimum habitum composito, sordes nominatu indecoras sacro legati vestimento aspersit. vbi cum totum theatrum in risum erupisset, & petulantissimi quique manus complosissent, Postumius Philonidem intuitus; Accipiemus, inquit, omen, ô scurra; quia datis nobis etiam ea quæ non petimus. Deinde ad multitudinem conuersus, vestem contumelia affectam ostendit. cumq; adhuc maiorem ex omnibus risum oriri cerneret, & voces quorundam illætantium petulantiamq; laudantium audiret: Ridete, inquit, Tarentini; ridete, dum licet. nam post hæc diu flebitis. Ad quas minas quum nonnulli exasperarentur; Et vt magis, inquit, stomachemini, etiam hoc vobis dicimus, vos hanc vestem multo sanguine eluturos. His contumeliis Tarenti tum priuatim tum publicè acceptis, hisq; vocibus velut diuino instinctu editis, Romanorum legati ex vrbe abnauigarunt. Porro cum Æmilius cognomento Barbula magistratum recens iniuisset, aduenit Postumius & qui cum eo legati Tarentum missi fuerant; nullum quidem responsum referentes, sed contumelias quibus à Tarentinis affecti essent, denarrantes, & ad faciendam verbis fidem, Postumii vestem exhibentes. Quæ cum magnam omnibus indignationem mouissent, Æmilius & collega coacto senatu, consultabant quid facto opus esset, à mane vsque ad solis occasum; idq; per aliquam multos dies factitarunt erat autem disquisitio, non an pacis fœdus à Tarentinis violatum esset, (id enim apud omnes confessum erat) sed quando in eos emittendus esset exercitus. erant enim qui suaderent ne id bellum tunc susciperetur, dum Lucani & Brutii defecissent, & Samnitum numerosa ac bellicosa gens, atq; ad ipsas fores sita Etruria, nondum subiugata esset; sed postquam hæ gentes in potestatem redactæ forent, si non omnes, at eæ saltem

quæ orienti essent expositæ, & prope Tarentum sitæ aliis contrarium expedire videbatur, ac ne minimum quidem temporis exspectandum esse, sed bellum è vestigio decernendum. & quia sententiæ numerandæ erant, maior horum pars reperta est quam eorum qui bellum in alia tempora differendum suadebant. & populus decretum senatus approbauit.

V. *Olymp. 125. anno primo, V. C. anno 473. P. Valerio Læuino, & Tib. Coruncanio conss.*

Cum Pyrrhus Epirotarum rex Romam versus exercitum eduxisset, senatus legationem decreuit quæ à Pyrrho peteret, vt captiuos liberaret, siue corpora corporibus mutare vellet, siue certum singulis pretium imponere. legatosq; designat, Caiũ Fabriciũ, qui tertió anno ante cõsul, Samnites, Lucanos, & Brutios magnis prælijs superauerat, Thuriosque obsidione liberauerat, & Quintum Æmilium, qui cum Fabricio consulatum gesserat, Etruscoque bello dux copiis præfuerat; & Publium Cornelium, qui quarto anno ante consul, totam Celtarum gentem, Senonas dictos acerrimos Romanorũ hostes, bello deuictos, omnes, quotquot iuuenili ætate essent, contrucidauerat. Hi cum ad Pyrrhum venissent, & quæ ad illud negotium faciebant disseruissent; fortunam *certis* coniecturis explorari non posse; bellorum mutationes esse celeres; nec futurorum quidquam facilè ab homine posse prospici; optionem ei dabant, pretiumne pro captiuis accipere mallet, an alia captiua corpora Pyrrhus re cum amicis deliberata, hoc eis responsum dedit: Rem indignã facitis, Romani, dum nõ amicitiam mecum inire vultis, sed bello captos recipere, vt illis ipsis corporibus ad bellum contra me gerendum vti possitis. Sed si optimè rebus vestris consultum vultis, & quid in commune vtrisq; nostrum conferat dispicitis, composito bello quod mecum & cum sociis meis geritis, gratis à me accipite vestros tum ciues tum socios vniuersos, aliis conditionibus *tam* multos & præstantes viros vobis dimittere haud sustinuerim. Hæc cum in trium legatorũ præsentia dixisset, seducto ad priuatum colloquium Fabricio; Te verò, Fabrici, inquit, audio optimum esse bellis gerendis ducem, iustamq; ac temperantem vitam degere, atq; in summa ceteris omnibus præditum esse virtutibus; sed diuitiis inopem,

opem, atq; ista tantum parte à fortuna destitutum: ita vt nihilo meliore sis vitæ conditione quam senatorum pauperrimus quisq;. Eam ergo *fortunæ* partem cum explere cupiam, paratus sum dare tibi argenti & auri tantam vim, quantæ possessione omnes qui apud Romanos plurimũ opibus pollere videntur, facilè superare possis: præclaras duciq; conuenientissimas impensas esse ratus beneficia in viros præstantes, qui per inopiam, indignam virtutę vitam agunt collata, atq; hæc regiæ opulentię donaria & munia esse splendidissima. Cum igitur animũ voluntatemq; meã intellexeris, deposita omni verecundia, bona quæ nobis suppetunt, participa, quippe quod etiam magnas tibi *eo nomine* gratias habiturus sim, nec minores mehercle . . . . . . hospitumq; honoratissimos esse iudica. Mihi verò pro hisce nulla vel iniusta vel turpia præstabis obsequia, sed talia quæ te præstantiorẽ atque honoratiorem in tua ipsius patria efficiant. ac primũ quidẽ, quantis potes virib. ad fœdus ineundũ instiga senatum, qui se hactenus difficilẽ præbuit, nec quidquã moderatũ animo agitauit. docebis enim me malo reipub. vestræ aduenisse, Tarentinisq; & ceteris Italis promisisse suppetias; quos nec iure vllo nec prætextu, quando cum copiis adsim, & primo prælio victoriã reportauerim, destituere queã. ac permulta & necessaria hoc tempore inciderunt negotia, quæ me in ditionẽ meã reuocant. equidẽ quotcumq; rationib. fides humanis pactis solet adstrui, iis omnib. tibi spondebo, saluum & soli cum ceteris legatis ad patrios lares futurũ esse reditum, si Romanorum mihi amicitiã conciliaueris: vt *scilicet eo* confidentius apud ciues tuos verba facias. Quod si aliqui suspectum habent regum nomen, vt fraudulentum in pactionibus; &, quoniam alios quosdam iuramenta & pacta contra leges fefellisse vident, ex illorum factis de me quoque similem coniecturam faciunt: post pacem firmatam mecum proficiscere, futurus omnium meorum consiliorum consc ius, proximus post me in ducendo exercitu, regiæque felicitatis consors. nam & mihi, bono viro, fidoque amico; & tibi, regia liberalitate regiisque muniis opus est. Si ergo hæc in commune contulerimus,


maxima bona alter ex altero percipiemus. His à Pyrrh peroratis, Fabricius ſuſpenſo pauliſper reſponſo, infit: De virtute qua vel in publicis negotiis, vel in priuata vita ſim præditus, nihil attinet me meopte impulſu dicere, quando *id* ex aliis audiuiſti: nec item de paupertate mea, eſſe mihi agellum admodum paruum, vilemque domunculam; neque mihi vel è multiplici fœnore, vel è mancipiorum laboribus victum ſuppetere. videris enim & hæc accuratè ex aliis cognouiſſe. Quod verò exiſtimas, peius mecum quam cum cum aliis Romanis agi propter inopiam, nec è probitatis ſtudio maius aliquod ad me redundare emolumentum, quia non ſim in diuitum numero; non rectè iudicas, ſiue ex aliis audiuiſti, ſiue ipſe ita coniectas. nam ex eo quod non multa poſſideo, nihil miſeriæ vel ante vmquam ſenſi, vel etiamnum ſentio. Nec eſt quod conquerar de fortuna mea, vel in publicis vel in priuatis negotiis. nam cuius eam accuſem iniuriæ? an quod pulchrorum iſtorum ac præclarorum, quibus omnia generoſa ingenia ſummopere ſtudent, nihil à patria ob paupertatem impetrare potuerim; qui & ſummis imperiis fungor, & luculentiſſimas legationes obeo, & ſanctiſſimis ſacrorum ceremoniis adhibeor; & cum ferendæ ſunt ſententię, de ſummè neceſſariis conſulor. tum iis locis quibus conuenit, laudor ac color, nec vlli eorum qui plurimum poſſunt, poſthabeor, haud ſecus ac publicum conſummatæ virtutis exemplar. neque ex meis facultatibus quidquam in hæc impendo, vt nec cæterorum vllus. nec enim vllius noſtrum fortunas grauat Romana Reſpublica, vt aliæ nonnullæ, in quibus publicæ opes exiguæ ſunt, at priuatæ copioſæ; ſed ipſa iis qui publica munia capeſſunt, omnia ſuppeditat quibus indigent, ſplendidè magnificeq; ſumptus præbens: ita vt ad præclaros honores ac dignitates non minus pauperrimo cuique quam ditiſſimo pateat aditus; ſed omnes Romani, qui quidem ob virtutem talibus honoribus digni ſunt, inter ſe ſint æquales. Dum ergo, quod ad hæc attinet, mea pauperis conditio non deterior eſt quam eorum qui multa poſſident, cuiuſnam iniuriæ fortunam incuſauerim? an quod me vobis regibus non exæquarit:

quibus

quibus tot tantique sunt thesauri? Ad priuatas verò fortunas quod attinet, tantum à miseriæ sensu absum, vt quum conditionem meam cum diuitibus comparo, in perexiguo illo beatorum numero me esse putem, eoque nomine maximopere mihi placeam. nam quæ necessaria sunt, tenuis mihi agellus meus, si diligenter colam & recondam, abunde præbere potest: quæ verò necessaria non sunt, natura non cogit quærere; sed & cibus mihi omnis suauis est, quem fames pararit; & potus omnis dulcis, quem sitis acquisierit: & mollis somnus, quem præcesserit lassitudo: vestisque abundè sufficit quæ me contra frigus tuetur: & inter instrumenta quæ eosdem explere vsus possunt, vilissima quæque sunt mihi familiarissima. adeò vt neque hac in parte fortunam iure accusare possim, quæ tantam mihi suppeditauit substantiam, quantam natura habere voluit: superfluorum verò neque desiderium mihi ingenerauit, neque copiam largita est, me hercule. At non suppetunt mihi tantæ copiæ vt diuitibus erogare queam: nec Deus mihi præcellentem vltra cætera scientiam contulit, aut diuinationem, quibus adiuuare indigentes possim: neque alia multa. Verumtamen dum quæ in me sunt, reipublicæ & amicis impertiò; & de quibus benefacere aliquibus possum, ea indigentibus facio communia, haudquaquam me culpæ affinē duxerim. Hæc autem illa sunt quæ tu optima esse iudicas, & multis pecuniis emere paratus es. Ac si vel maximè ad subleuandā indigentiū inopiā amplarū opū possessio magno studio & cōtentione digna est, atq; ea beatitudo est, si quis sit ditissimus, vt vobis regibus videtur, vter mihi acquisitionis modus potior fuerit, an ex iis quibus à te nunc turpiter participor, an ex iis quę ipse *mihi* ante honestè peperi? nam publica negotia iustas mihi quæstus occasiones præbuere, tum ante sæpenumero, tum in primis anno ab hinc tertio, quum consulare imperium gerens, cum exercitu aduersus Samnites, Lucanios & Brutios missus, hostium acie aliquam multis prœliis superata, multas regionis partes perpopulatus sum, multasque & opulentas vrbes vi expugnatas deuastaui; è quibus tum exercitum totum ditaui, tum priuatis ciui-

bus stipem, quam ad belli sumptus pro se quisque contribuerant, reddidi, tum quadringenta talenta cum triumphis in ærarium intuli. & cum ex illis bello partis dum liceret accipere quot & quanta vellem, non acceperim, sed etiam iure oblatas opes neglexerim, gloria contentus, vt Valerius Poplicola fecit, & alii præterea multi per quos respublica nostra ad tantam amplitudinem peruenit: à te dona capiam, & potiores copias cum deterioribus commutabo? in illa enim acquisitione, non modo honestæ & iustæ, verum etiam iucundæ fruitionis inerat plurimum; ab hac autem hoc quoque abest. nam fœneratitia sunt quæ ab aliis accipiunt homines, animi grauantia, tantisper dum reddantur; etiamsi aliquis ea speciosis nominibus ornans, beneficia vocet, aut dona, aut gratias. Age verò, si eo deueniam insaniæ, vt aurum capiam quod offers, idque omnibus Romanis innotescat, & postea ii qui *absolutum* nec reddendis rationibus obnoxium magistratum gerunt quos nos Censores nominamus, (quibus delegatum est vt omnium Romanorum vitas ac fortunas explorent, & à patriis consuetudinibus discedentes mulctent) me arcessant, & de acceptis muneribus rationem reddere iubeant in omnium præsentia; *

INDEX



IN DIONYSII HALICARNASSEI ANTIQVITATES ROMANAS Index rerum & verborum notatu digniorum.

AD propria Latinæ gentis nomina quod attinet, quia plura vnus idemq; gessit nomina, minimum bina, interdum terna, nonnumquam quaterna, prænomen scilicet, nomen gentilitium, cognomen, & agnomen: memineris tibi non è prænomine, sed ex nomine gentilitio vnumquemque Latinum & Romanum quærendum esse: exempli causa, A. Virginium, non in A. sed in V. In gentilitiorum verò serie, non temporis, sed prænominum habita est ratio: verbi gratia, in Valeriis non Voleso nec Publio primus datus est locus, à quibus veteri sunt orti; sed secundum prænominum seriem præmissus est Lucius Valerius, & deinceps M. Valerius, P. Valerius, Volesus Valerius, itidemq; in aliis. E synonymis quoq; ad synonyma & affinia tibi quandoq; transeundum memineris: vt, (verbi caussa) si quid in Imagine nō inuenias, id in Simulacro aut Statua quæras: itideq; in aliis. Prænomina verò, de quibus modo dictū est, alia in frequenti fuerunt vsu: vt Appius, Aulus, Caius, Cnæus,

Lucius, Manius, Marcus, Postumus, Publius, Quintus, Seruius, Sextus, Spurius, Tiberius, Titus. *Alia rarius vsurpata sunt: vt* Agrippa, Ancus, Aruns, Cæso, Gracchus, Lar, (*seu* Lars) Metius, Neuius,) *pro* Cneus, Numa, Octauius, Opiter, Pompo, Proculus, Tullus, Turnus, Volesus, Vopiscus. *è quorum numero quatuor apud recentiores pro cognominibus vsurpata sunt; Agrippa*, Gracchus, Proclus, Vopiscus. Appius *verò in Claudiorum familia penè ipso nomine fuit vsitatius; præsertim in decemuiri appellatione. Cognomina & Agnomina, quoniam apud hunc auctorem rariora sunt, pleraq; suo loco sunt notata. De his te præmonendum putauimus lector.*

Accu-

Batia

ad

pene-

Crim-

Dilatio

Ebri[illegible]

E.

Eminen-

H.

Saturno

Honesta

I.

Iapy-

Impe-

Iudicia

Ius

Lausus,

Lex

M.

Magi-

Miles

N.

Numi-

P

Ple-

Q

R

Sabini

S.

Sacer-

Sena-

Spes

Sisti

Timæi

Valeria

in Ve-

Virga-

FINIS.



